Digitized by Google

BONAMICI
193

[illegible]
[illegible]

ATHENAEVM ROMANVM

3. 6. 0.

Вион. 103.

ATHENAEVM ROMANVM

IN QVO

SVMMORVM PONTIFICVM,

AC

PSEVDOPONTIFICVM,

Nec non S. R. E.

CARDINALIVM ET PSEVDOCARD.

Scripta publicè exponuntur

STVDIO

AVGVSTINI OLDOINI SOCIET. IESV

ERECTVM

Et ſub Patrocinio

IVLII CARD. SPINOLÆ

Euulgatum.

PERVSIÆ M.DC.LXXVI.

Ex Typographia Camerali, apud Hæredes Sebaſtiani Zechini.

Superiorum permiſſu.

EMINENTISS. PRINCIPI IVLIO SPINOLAE

Auguſtinus Oldoinus S. D.

IN Principum Vitas, factaque tamquam in ſpeculum oculos fixère Maiores, illaque attento animò inſpexère ſemper, vt ſe ipſos fingerent, ac formarent, quales illos agnoſcebant, ac venerabantur; edocti amicitiam illam inter Principes, ac Subditos neceſſariam, iucundiſſimam eſſe, ac diuturnam, quam ſimilitudo morum coniunxerat, animoſque Subditorum accendi ad virtutem, Superiorum ſolo aſpectu. Quare Viri apud illos doctrina venerabiles, experimentis multis eruditi, ad futura ex præteritis prouidenda, omniaque vtilitate publica metienda ar-

denti arſerunt cupiditate, ſummèque cupierunt, communis tantum commodi cauſa, vt aut Reges philoſopharentur, aut regnarent Philoſophantes. Quod illi ſuſpirarunt magis quam ſperarunt, nos Catholici ab Eccleſiæ incunabulis ad hanc vſque diem experti ſumus, ac quotidie exprimur in Pontificibus Eccleſiaſticis, qui maximis licet diſtenti occupationibus, numquam tamen intermisère ſtudia pietatis & ſcientiarum, ita vt idem plerumque ſit Pontificum, aut Purpuratorum vnum nominare, ac Sapientem indicare virum. Ad hanc igitur veritatem, Sole in meridie clariorem omnibus aperiendam, Syllabũ hũc elaboraui, & ATHENAEVM hoc extruxi breui, facilique ſtylo Pont. Romanos, Cardinaleſque illos recenſendo qui ſuis lucubrationibus Eccleſiam, Catholicam maximè illuſtrarunt; quique ſcriptis proprijs Academiam literatorum locupletarunt. At enim ſuperuacaneum laborem me haud dubiè, inſpecto ſolo huius Operis titulo, in fabrica huiuſmodi ATHENAEI poſuiſſe nonnulli putabunt. Luſiſſe quidem operam, atque in ſyluam me ligna tuliſſe clamabunt, nam alios qui me præceſſerunt, manus ad eamdem fabricam cum laude, plauſuque admouiſſe compertum eſt. O dictum benè; incognita verò cauſa reos non damnant niſi Iudices editij, aut gratiæ obnoxij; omnia examinat, vnamque ſemper, melioremque aurem parti audiendæ aſſeruat incorruptus Iudex. Ingenuè quidem fateor, non ego omnium primus hoc preſtiti: optimè certè ſcio Ludouicum Iacobum à Sancto Carolo, natione Gallum, patria Cabilonenſem, profeſſione Carmelitam, Pontificiam Bibliothecã duobus diſtinctam libris Lugduni anno noſtri ſeculi tertio ſupra quadrageſimum eruditè edidiſſe; nec non Henricum Ludoui-

cum

cum Caſtaneum Rupipozæum natione Gallum , Genua ex aliquibus oriundum, Epiſcopum Pictauienſem, & Franciſcum Mariam Torrigium Romanum ambos de literis preclarè meritos, primum ſub titulo Nomenclatoris Cardinalium, alterum de Scriptoribus Cardinalibus, vtrumque ſatis ieiunè quidem, opuſcula euulgaſſe: non tamen ego in vano labore fui, nec actum egi, dum opus hoc elaboraui? verum enim verò ſi in ſyluam ea me ligna comportaſſe inuentus fuero quæ non erant, quæque ad fabricam neceſſariò requirebantur, nihil alienum à me factum fuiſſe fatebuntur? & quidem tota Sylua perluſtrata, noſtraque materia cum antiqua comparata recognoſcere poterunt, ſi modò periti, nec inuidi erunt Materiarij, fruſtra ne hunc laborem ſuſceperim? Nihil hic ego de illorum laude detractum volo, ſed quoniam in medio omnibus palma eſt poſita, atque in Olympicis ludis currere, nec non ad metam contendere cuique licitum ſemper fuit, me & ipſi iugales admittere ſine iniuria non recuſabunt; neque enim is ſum qui vllius, quamuis infimi laborem in re literaria contemnam; alienæ videlicet laudis minimè inuidus, ſed candidus æſtimator: nec idcircò hæc ſcripſi, quòd aliorum conatus, operaſque irritas eſſe putem, ſed vt, quoniam in eadem arena verſamur. ATHENAEVM & ipſe pro mea virili exornem, illorumque veſtigijs inhærens incæptum opus perficiam, fabricæque, cuius fundamenta alij poſuère, finem imponam. Qui fundamenta fodiunt, & qui tectū ædificio imponunt, ſuam, ex mea ſententia merentur laudem; quod ſi minus præſtiti, præſtare tamen conatus ſum, & ſpero æquos homines, & candidos, peritoſque ingeniorum æſtimatores, meos conatus, tales quales in

bonam

bonam partem accepturos. Seneca ad opus hoc perficiendum me excitauit dicto celebri, Omnibus feliciter hic locus ſe dedit, & qui præceſſerunt non præripuiſſe nobis videntur, quæ dici poterant, ſed aperuiſſe; multum intereſt vtrum ad cõſumptam materiam, an ad ſubactam accedas, creſcit in dies, & inuentis inuenta non obſtant. *Quin etiam Diuus Chryſoſtomus non modo verè de Sacra Scriptura, ſed ad rem noſtram aptiſſimè pronuntiauit*, Puteum eſſe altum, vnde Maiores noſtri hauſerunt, non exauſerunt; haurimus & nos, nec exhaurimus, poſteritas hauriet, non exhauriet. *Solo ſaltem titulo opus hoc noſtrum ab aliquibus commendabitur, quoniam nullus eſt qui audito ATHENAEI nomine ab Athenis deducto, in qua vna Ciuitate leges, mores, iura, ingenia, cultus, bonæ artes, ſapientia ſecretioris ſaltem diſciplinæ florebant, iucundum ſimul, & vberem fructum non expectet.*

Hoc autem quodcumque ſit opus, Princeps Eminentiſſime in tuo nomine apparere volui. tum vt in ea re meis obligationibus in parte ſatisfacerem, tum vt primam eiuſdem faciem exornarem nomine, agnomineque nobiliſſimi Viri, pernobili genere nati, clariſſimis parentibus geniti, antiquiſſima ſtirpe profecti, quem non modo excellentia generis, ſed mores quoque ſanctiſſimi, virtuteſque permultæ maximè nobilitarunt, quemque plures ditionis Eccleſiaſticæ Populi, quibus olim præfuit, iuſtum; Neapolitani, quibus Nuntius Apoſtolicus adfuit, beneficum; Germani, quos Pontificius orator fouit, munificum, ſacraque purpura digniſſimum antè purpuram prædicarunt. Tu ab Alexandri Pontificis Maximi

manibus

manibus rubeum biretum accepiſti , quod tibi Populorum plauſus multò ante fabricauerant , & Alexander prudentiſſimus Princeps te illo digniſſimum indicauit, quando vocem Populorum, hoc eſt Dei audiuit : in imperio numquam laus vera eſt,niſi quando is qui imperat,imperio dignus iudicatur. Hęc tibi ſiue à natura , ſiue à diſciplina , ſiue vt ego arbitror ab vtraque ſimul contigit , quę ad naturam attinent , referimus ad Deum , de diſciplina te ipſum laudamus , qui ad hac praclara inuigilaueris , & amamus , quia amabiles ſunt virtute prędıti . Dilexi in te, non Cardinalis dignitatem , non diuitis diuitias , non potentis potentiam, non eam quæ te circumſtare poterat quamlibęt rerum temporalium affluentiã, non illa,inquam, quæ videbatur eſſe circa te , ſed ea tantum quæ agnoueram,& quæ ſola diligenda erant in te; Dilexi in te erga diuina animi puritatem,erga humana morum honeſtatē, amorem verę ſapientiæ , in Cardinalitio faſtigio ſinceræ mediocritatem vitæ , & in paſtorali munere vigilantiam . Scis conſuetudinem famæ , quæ mortales per ora hominum ſublimes vehit, benèfacta ſimul,ac malè facta æquè circumferendo , vt benefacta laudibus excipiantur , malefacta verò conuitijs explodantur . Refer quæſo animum ad Maiores tuos, multis ab hinc annis licet extinctos , in laude tamen nunc quam maximè viuentes , omnes reperies his gradibus aſcendentes ad immortalitatem perueniſſe , quorum tu quia facta imitaris,non dubito quin , eorum ſemper florentibus nominibus ita tuum inſeras , vt numquam exareſcat. materiem habes paratam ad gloriam , in purpura viuis , ideſt in agro fertiliſſimo ad meſſem copioſam ; Spinolæ *familia, ideſt Herorum, germen es nobiliſſimum ; fortes enim non niſi*

ex

ex fortibus generantur, fortiumque pectora recti cultus roborat quammaximè, inſitamque vim promouet noua virtus. Spinolarum id proprium, ac peculiare fuiſſe legimus, Eccleſiam Romanam, Reſpublicaſque Chriſto ſubiectas vſquè adeò amare, ac colere, vt pro earumdem dignitate, maieſtateque tuenda non opes tantum, ſed & ſanguinem profundere poſſint. Hæc Maiorum ornamenta tua ingenij vi tuiſque virtutibus, vt diuinis quæ tractas melius conſulas, exorna, & auge; dumque diuina diſpoſitio ad Purpuratorum Senatum te tranſtulit, atque de ſublimi ſublimiorem fecit, humilia ne contemnas, & dum propinquior nobis loco, ne ſis diſiunctior animo. Tibi igitur clariſſime Iuli quod in fabrica huius ATHENAEI laboris impendi, maximè ob eam cauſam cupio probari, vt ſi qui verè iudicare, aut propter inſcientiam non poſſunt, aut propter maleuolentiam nolunt; eos à conſilio detrahendi tua deterreat auctoritas, tua humanitas amoueat, tuumque patrocinium abigat. Demum ne muneris paruitatem, ſed præſtantem mea in te voluntatem ſpectes oro, exiſtimeſq; te hominem habere, qui Iulij Cardinalis Spinolæ nomen, illuſtreq; genus ſumma fide, obſeruantia, charitate colit.

Lectori meo S.

EN Tibi, benigniſſime Lector, ATHENÆVM hoc apertum, tibique ſelectiſſimorum hominum Theatrum reſeratum propono, vt vnico oculorum intuitu, quot in Petri Cathedra, atq; in Sacro Cardinalium Collegio ſcriptis claruerint, aſſequi valeas. Illorum multos plura, pauca alios exaraſſe, omnes tamen pariter incedentes, cum omnes in medium proferantur, inuenies. Placuit in hoc, tum antiquos, tum nouos Scriptorũ Collectores imitari, qui neminem, ſolo etiã libello clarum in ſuis Syllabis prætermiſerunt; cum Gemmæ, ac gẽmulæ, licet inæquales mole, ſuum habeant natiuũ ſplendorem; & Dactylotechæ illæ conuentu cuiuſcumque generis hominum frequentiores fiunt, quæ & gemmis prægrandibus, ac gemmulis apparent oppulentiores, ditioreſque, Vtræque ſicut pretio, ita nec emptoribus carent. Neminem mihi notum ſpontè prætermiſi, ne nemini offenſioni eſſem; omnes expoſui vt Officina locupletior omnibus pateret; nam & ſuſcepti laboris noſſe menſuram voluptati eſt, ſtimulatq; ac pungit ad ſimilia fortius peragenda. Maiorum & acta, & ſcripta Poſteris facilimè ſuadent imitationem, atq; ad illam ſequentes excitant. Græcia, antequam Roma adoleſceret, Virtuti Templum conſecrabat; Olympia vincentibus ſtatuas erigebat Ægyptij Regibus ſuis Pyramides ad Cœlum vſque educebant, ſolum, vt vel ex ruderibus tantæ molis poſthuma virtus excitaretur. Nos qui libris ſumus addicti, Purpuratis Patribus, librorum amantibus ATHENÆVM hoc extruximus, vt in vnum collecti etiam poſt mortem æternitate donati in Doctorum memoria viuant; illorumq; nomen vigeat in æuum, qui ſcientias in purpura maximè coluerunt. Beatos, Caius Plinius iunior reputabat, quibus Deorum munere datum erat, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda; Nos beatiſſimos meritò reputabimus, quibus vtrumq; cõceſſum eſt. Supra octingẽtos, præter Pontifices in hoc ATHENÆO (quod ſine diphtongo etiam ſcriptum apud probatos Auctores inuenitur) nominantur Cardinales, qui ſuis Scriptis Rempublicã literariã, quantũ quiſq; potuit maximè illuſtrarunt; nullũ certè legi in Orbe Senatũ noſtro hoc doctiorem; nullum præſenti fœcundius inter collegia vidi, nullũq; Cœtum paucorũ hominum tot dediſſe Orbi Catholico Viros doctrina præſtantes ſciui. Faue tu igitur Collectori, illumq; aliqua amoris teſſera nõ indonatũ dimitte, hoc eſt vt amicè legas, & cãdidè cẽſeas. Vale.

IOAN-

IOANNES PAVLVS OLIVA

Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu.

CVm Opus, quod inſcribitur ATHENÆVM Romanum à P. Auguſtino Oldoino noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. Dat. Romæ 23. Iunij 1671.

IOANNES PAVLVS OLIVA.

Imprimatur.

Pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Luca Alberto Patritio, Peruſiæ Epiſcopo.

Carolus Sabattinus Phil. Doct. Librorum Cenſor Synodalis.

Imprimatur

Hac die 15. Decembris 1674. Fr. Hyacintus Picchettus Sac. Theologiæ Magiſter, & Inquiſit. Gener. Peruſiæ, & Vmbriæ Ord. Prædicat.

ATHE-

ATHENEI ROMANI

PARS I.

IN QVA

ROMAN. PONTIFICVM AC *PSEVDOPONTIFICVM SCRIPTA INDICANTVR.*

SANCTVS Abundius Eleutherius, vide Eleutherius inferius. litera E.

S. Abundius Zephyrinus vide Zephyrinus. litera Z.

S. Adeodatus, alijs Deodatus, patria Romanus è Monaſterio ad Pontificatum vocatus, Pontifex in ordine 78. deceſſit die 26. Iunij, anno 676. cum ſcripſiſſet Epiſtolam ad vniuerſos Galliæ Epiſcopos pro priuilegio Abbatiæ S. Martini Turonenſis, quæ primò prodijt ex Chronico cuiuſdam Canonici Turonenſis, & Chartulario eiuſdem Abbatiæ opera, & ſtudio Papyri Maſſoni Galli eruditiſſimi. Extat tomo 4. Conciliorum

generalium, & prouincialium Seuerini Binij, & apud Baronium tomo 8. anno 676. Ioannes Mariana lib. 6. Hiſtoriarum Hiſpanarum affirmat alterã huiuſce Pontificis Epiſtolam ad Gratianum, ſeu Giordianum Epiſcopum extare in Hiſpania.

S. Agapetus huius nominis I. vide Agapetus parte 2.

S. Agapetus huius nominis II. dictus iunior, patria Romanus, Pontifex Maximus in ordine 132. obijt 27. Decembris die anno ſalutis humanæ 955. Poſteris relinquendo Epiſtolas plures ad diuerſos, quarum extant illæ datæ Atenulpho, alijſq. qui Monaſterium Sanctę Sophiæ in Vrbe Beneuentana per vim occupauerant, aliæq. alijs qui Capuanum Cœnobium inuaſerant. Vidi eiuſdem literas miſſas ad Leonem Presbyterum, & Monachum, & ad Benedictum Presbyterum occupantes per vim Cathedras Triuentinam, ac Tremulenſem, & ad Leonem Abbatem Monaſterij SS. Stephani, Silueſtri, ac Dionyſij in Vrbe, & ad Othonem Imperatorem.

S. Agatho Pontifex; vide parte 2. Agatho.

Alexander huius nominis primus, in ordine ſeptimus Pontifex, patria Romanus de Vico Caput Tauri, e vita migrauit Chriſti Martir ſub Hadriano Principe, & Aureliano Iudice 3. Maij, anno 129. alijs 132. cum ſcripſiſſet Epiſtolas tres, quas Binius recenſet Tomo 1. Conciliorum. Corpus iacet Lucæ in Etruria, vti habemus ex ſequenti Epigraphe ad aram maximam Templi eius nomini ſacri.

Corpus
BEATISSIMI ALEXANDRI PRIMI
Pont. Max.
Martyrio coronati
Vna cum Catena, qua vinctus cuſtodiebatur.
Ab
ALEXANDRO SECVNDO
In ara huius Templi ſubterranea conditum
Debita cum reuerentia fuit.
In hoc Altare translatum
Curante nobili Viro
Ioanne Arnolphino Ædi,

Sulmona quoq. Pelignorum Metropolis in Templo eidem Pontifici ſacro Corpus ſe habere fatetur ex lapidea tabula

Hic Alexandri ſunt oſſa recondita Sancti
Papa qui Petro Quintus ſucceſſor habetur.

Quintum Alexandrum poſt Petrum, Pontificum dixit Auctor Epigrammatis ſequutus illorum errorem qui Linum & Cletum à numero Pontificum Romanorum excludunt.

Alexander huius nominis ſecundus, antea Anſelmus Badagius nuncupatus, patria Mediolanenſis, Pontifex in ordine 158. deceſſit die 22. Aprilis, anno 1073. ſenio iam confectus. huius extant Epiſtolæ plures; octo ſupra triginta reſcripſit Binius. Tomo 7. Conciliorum; quindecim habentur Tomo 3. Bibliothecæ Patrum. Coſtitutionem quoq. euulgauit, qua Monachis pedem è clauſtris efferre, & Ciuitates peragrare prohibuit. Huic etiam tribuunt collectionem Canonum quæ eſt in Vaticana Bibliotheca, nec non tractatum in Pſalmos

Tractatum in Ieremiam

Contra Gibertum libros duos.

Alexander III. Vide parte 2. Rolandus Bandinellus.

Alexander IV. Vide parte 2. Rainaldus ex Comitibus Signæ.

Alexander V. Vide parte 2. Petrus de Candia.

Alexander VI. Vide parte 2. Rodericus Lenzolius Borgia.

Alexander VII. Vide parte 2. Fabius Chiſius.

Anacletus I. vide parte 2. Anacletus Græcus.

Anaſtaſius I. vide parte 2. Anaſtaſius Maximi filius.

Anaſtaſius II. vide parte 2. Anaſtaſius iunior.

Anaſtaſius huius nominis III. Pontifex in ordine 123. patria Romanus ſupremum diem obijt 4. Iunij anno poſt Chriſtum natum 912. & ſepultus ad S. Petrum, in cuius laudem exaratum legimus Epitahium tale apud Manlium;

Vatis Anaſtaſij requieſcunt membra ſepulchro,
Sed numquam meritum paruula claudit humus.
Rexit Apoſtolicam blando moderamine Sedem
Tertius exiſtens ordine Pontificum.
Ad Chriſtum pergens peccati vincula ſperat
Omnia Clementer ſoluere poſſe ſibi.
Vndique currentes huius ad limina Templi
Vt præſtet requiem poſcite corda Deum.

Huius Pontificis literas ad diuerſos indicant Baronius, Vghellius, & alij.

Anaſtaſius IV. vide parte 2. Conradus de Suburra.

Anicetus. Vide parte 2. Anicetus Syrus.
Antherus. Vide parte 2. Antherus Græcus.

PſeudoPontifices.

AnacletusII. antea Petrus Leonis cognominatus, nobilis Romanus per ſeptennium contra Innocentium II. Sedem occupauit, ex hac vita tandem diuulſus die 7. Ianuarij anno 1138. Huius Epiſtolæ ad diuerſos extant M. SS. in Bibliothecis Montis Caſſini, & Barberina, quarum aliquas Cardinalis Baronius Annalibus Eccleſiaſticis, inſeruit.

Anaſtaſius dictus III. PſeudoPontifex in Schiſmate contra Benedictum III. ex Presbytero Cardinali S. Marce li ſub eodem Anaſtaſij nomine, renunciatus, poſt menſes duos, & aliquot dies coactus è Sede deſcendit

Huiuſce literæ ad Fideles de ſua electione extant in Vaticano.

Apoſtolicus Pſeudo Pontifex, antea Albertus Pſeudo Cardinalis, defunctus Auerſæ in Campania in Monaſterio S. Laurentij anno ſalutis 1102. qui per menſes quinque Petri Cathedram contra Paſchalem II. inuaſerat, ſcripſit Epiſtolas plures ad Principes pro ſua electione; extant M. SS. in Vaticano.

Benedictus huius nomini I. Vide parte 2. Benedictus Bonoſus.
Benedictus II. vide parte 2. Benedictus iunior.
Benedictus III. vide parte 2. Benedictus Petri filius.

Benedictus VIII. dictus VII. patria Romanus ex Comitibus Tuſculanis, Deus dedit antea dictus, pontifex in ordine 139. poſt obitum ſecutum die 10. Iulij anno à partu Virginis 984. ſepultus ad S. Crucem in agro Seſſoriano.

Scripſit Epiſtolas varias præſertim ad Monachos Caſſinenſes, quæ extant apud eoſdem.

Benedictus XI. vide parte 2. Mag. Nicolaus Boccaſinus.
Benedictus XII. vide parte 2. Iacobus Fornerius.
Bonifacius I. vide parte 2. Bonifacius Iucundi Presbyteri filius.
Bonifacius II. vide parte 2. Bonifacius iunior.
Bonifacius III. vide parte 2. Bonifacius patria Romanus.
Bonifacius IV. vide parte 2. Bonifacius Marſus.
Bonifacius V. vide parte 2. Bonifacius Ioannis Fumminij filius.
Bonifacius VIII. vide parte 2. Benedictus Caietanus.
Bonifacius IX. vide parte 2. Petrus Tomacellus.

Benedictus XII. ſeu XIII. Vide parte 2. Petrus de Luna.

Caius. vide parte 2. Caius Maximi filius.
Calliſtus I. vide parte 2. Caliſtus Romanus.
Calliſtus II. antea Guido Magni Guilielmi Burgundiæ Comitis filius, profeſſione Monachus, natione Gallus ſcripſit
De miraculis & tranſlatione S. Iacobi Apoſtoli libros plures.
Theſaurum Pauperum libro vno
De obitu & vita Sanctorum librum vnum
De inuentione corporis Turpini Archiepiſcopi & Martyris.
Vitam Caroli Magni Imperatoris
De contractibus illicitis librum vnum
Epiſtolarum ad diuerſos libros duos.
Obijt Laterani Idibus Decemb. anno Dominicæ Natiuitatis 1124.
Calliſtus III. vide parte 2. Alphonſus Borgia.
Calpurnius Pontianus. vide Pontianus inferius.
Cæleſtinus I. vide parte 2. Cæleſtinus Patre Priſco.
Cæleſtinus II. vide parte 2. Guido de Caſtello.
Cæleſtinus III. vide Hyacinthus de Bubonibus parte 2.
Cæleſtinus IV. antea Gilfredus Caſtilionæus patria Mediolanenſis, Pontifex in ordine 181. poſt breuem Pontificatum obijt die Octobris 8 anno Dominicæ Natiuitatis 1241. & ſepultus in Vaticano ſub hac Epigraphe.

CÆLESTINO IV.
Caſtilionæo Mediolanenſi Pont. Max.
Prudentia, Doctrina, Eloquentia, morum grauitate,
Vitæ integritate inſigni,
Qui cum multis legationibus
Sub Gregorio IX. egregiam pro SRE. operā nauaſſet
Summo totius Reipub. Chriſtianæ gaudio. Cardd.
Omnium ſuffragijs Pont Opt. Max. pronunciatus eſt,
Sed conceptam ex eius Pontificatu lætitiam,
Importuna mors publico mœrore,
Deſideriumq; mox immutauit.
Obijt VIII. Idus Octob. Anno ſalutis MCCXLI.

Huius extat Epiſtola ad S. Abbatem Mailroſenſem Adamum, vt refert Thomas Dempſterus in hiſtoria Eccleſiaſtica Scotorum

Epiſtolæ aliæ ad diuerſos

Piæ ac deuotæ orationes quas ſcripſit dum in Altecumbæ Cœnobio Monachus degeret.

Cæleſtinus V. antea Petrus Moronus, vel de Murrhone, natione Italus, patria Iſernienſis, Ordinis Cæleſtinorum Sanctiſſimus Patriarcha, ex Anacoreta renuntiatus Pontifex in ordine 194. poſt ſex menſes ſpontè ſe abdicans Pontificatu, in ſolitudine reliquum vitæ in oratione perduxit, obijtq. in arce Fumonis die 19. Maij, ſeu 8. Iunij anno ſalutis 1296. ætatis 87. cum ſcripſiſſet Opuſcula varia, Neapoli anno 1640. edita, nempè

Relationem vitæ ſuæ

Opuſculum de virtutibus, quinque partibus diſtinctum

Opuſculum de vitijs tribus partibus diſtinctum

Opuſculum de hominis vanitate tribus itidem partibus.

Opuſculum de exemplis, ac ſimilibus moralibus

Opuſculum de ſententijs Patrum Eremitarum

Opuſculum de miraculis B. Mariæ

Opuſculum, ſeu Summam de Cenſuris

Opuſculum de Sacramentis Eccleſiæ

Opuſculum de decem præceptis Decalogi

Opuſculum de Præceptis Eccleſiæ

Opuſculum de Legibus.

Epiſtolas ſeptem ad diuerſos

Orationes deuotiſſimas viginti

Quaſdam Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quarum vna licère Romano Pontifici abdicare ſe Magiſtratu

Scripſit etiam de perfectione Religioſa librum vnum, quem extare M. S. dicunt in Monaſterio Medutenſi.

Clemens I. vide parte 2. S. Clemens.

Clemes II. antea dictus Suidgerus natione Saxo, Pontifex in ordine 152. deceſſit Idibus Octobris anno Dominicæ Natiuitatis 1047. cuius corpus ex ſupremis tabulis ad Eccleſiam Bambergenſem delatum, in Choro magnificentiſſimè conditum fuit.

Huius Epiſtola ad Ioannem Archiepiſcopum Salernitanum legitur Tomo 7. Conciliorum & Tomo 11. Annalium Baronij.

Clemens III. vide parte 2. Petrus Scholaris

Clemens IV. vide Parte 2. Guido Groſſus.

Clemens

Clemens huius nominis V. antea Bertrandus de Gouth Pontifex in ordine 197. natione Gallus, qui Sedem Petri Auenionem tranſtulit, obijt in Rocca Maula ſuper amnem Rhodanum in Prouincia Narbonenſi die 20. Aprilis anno poſt Chriſtum natum 1314. dum Auenione Burdegalam peteret.

Scripſit Clemens Sermones ad populum habitos

Epiſtolarum librum vnum; illas ad Regem Sueciae reſcriptas inuenies apud Ioannem Vaſtonum Gothum in Vitis Aquiloniæ fine,

Conſtitutionum vulgò Clementinarum, vel liber ſeptimus Decretalium in Concilio Vienenſi ordinatus, quem poſtea Ioannes xxi. dictus xxii. ſucceſſor, diuulgauit Pariſijs cum commentarijs Gulielmi de Lauduno anno 1517. editus eſt.

Regiſtri huius Pontificis volumina nouem in Bibliotheca Vaticana aſſeruantur

Quædam eiuſdem Epiſtolæ leguntur Tomo 7. Conciliorum cum Notis Binij.

Extant in Parnaſſo Mariano, Duaci per Bellerum excuſo anno 1624. Hymni ſacri Officij de compaſſione B. Mariæ Virginis ex hortulo animæ deprompti, auctore Clemente Romano Pontifice huius nominis quinto.

Clemens VI. vide parte 2. Petrus Rogerij Monſtrius.
Clemens VII. vide parte 2. Iulius Medices.
Clemens VIII. vide parte 2. Hyppolytus Aldobrandinus.
Clemens IX. vide parte 2. Iulius Roſpiglioſius.
Cletus. vide parte 2. Cletus.
Concordius Soter. vide parte 2. Soter.
Conſtantinus I. vide parte 2. Conſtantinus Ioannis filius.
Conſtantinus II. vide parte 2. Conſtantinus Marinus.
Cornelius. vide parte 2. Cornelius natione Italus.

Pſeudopontifices.

Clemens VII. vide parte 2. Robertus Geneua.

Damaſus I. Vide parte 2. Damaſus Antonij filius.
Deuſdedit. vide parte 2. Deuſdedit, alijs Deodatus.
Dionyſius. vide parte 2. Dionyſius qui ex Monacho.
Donus ſiue Domnus vide parte 2. Donus ſeu Domnus.

Eleutherius. vide parte 2. Eleutherius, alijs Abundius Eleutherius.

Euariſtus. vide parte 2. Euariſtus Iudæ Iudæi filius.
Eugenius *I.* vide parte 2. Eugenius patria Romanus.
Eugenius *II.* vide parte 2. Eugenius Romanus.

Eugenius *III.* antea Petrus Bernardus Vicedominus, patria Piſanus, profeſſione Monachus, Pontifex in ordine 169. mortuus Tibure die Iulij 9. anni 1153. ſcripſit Epiſtolas plures ad diuerſos, quarum aliquæ Tomo 7. Conciliorum, aliæ Tomo 2. Annalium Ciſtercienſium, & Tomo 12. Annalium Eccleſiaſticorum Baronij leguntur.

Huius Epitaphium tale eſt apud Angelum Manrique Tomo 2. Annalium Ciſtercienſium.

Hic iacet Eugenius defunctus; cerne ſepulchrum
Cui pia cum Chriſto viuere vita fuit.
Piſa virum genuit, quem Clarauallis alumnum
Exhibuit, ſacræ religionis opus.
Hinc ad Anaſtaſij tranſlatus Martyris ædem,
Ex Abbate, Pater ſummus in Orbe fuit.
Eripuit ſolemne iubar, mundiq. decorem
Iulius, octauum ſole feruente diem.

Eugenius IV. vide parte 2. Gabriel Condulmerius.
Euſebius. vide parte 2. Euſebius natione Græcus.
Eutychianus. vide parte 2. Eutychianus è familia Martia.

Fabianus. vide parte 2. Fabianus Romanus.
Felix *I.* vide parte 2. Felix patria Romanus,
Felix *II.* alijs *III.* vide parte 2. Felix Anicius.
Felix *III.* alijs IV. vide parte 2. Felix Caſtorij Fimbrij filius.
Formoſus. vide parte 2. Formoſus Ciuis & Epiſc. Portuenſis.

PſeudoPontifices.

Felix. vide parte 2. Felix natione Romanus.

Gelaſius I. vide parte 2. Gelaſius Africanus.
Gelaſius II. vide parte 2. Ioannes Caietanus.
Gregorius I. cognomento Magnus. vide parte 2. Gregorius Anicius.
Gregorius II. vide parte 2. Gregorius Patria Romanus.
Gregorius III. vide parte 2. Gregorius Ioannis filius.
Gregorius IV. vide parte 2. Gregorius alius Ioannis filius.

Gregorius V. antea Bruno dictus, natione Saxo, Othonis Saxoniæ, & Sueuiæ Ducis filius Pontifex in ordine 143. mortuus

-tuus Romæ 18. Februarij anno poſt Chriſtum natum 998. ſepultus in Vaticano prope Altare S. Andreæ ſub. hoc Epitaphio

Hic quem tegit humus, oculis, vultuq; decorum
Papa fuit Quintus nomine Gregorius.
Ante tamen Bruno, Francorum regia proles
Filius Othonis de Genetrice Iudith.
Lingua Teutonicus, Vangia doctus in vrbe
Sed iuuenis Cathedram ſedit Apoſtolicam.
Ad binos annos, & menſes circiter octo
Ter ſenos Februo connumerante dies.
Pauperibus diues, per ſingula Sabbatha veſtes
Diuiſit, numero cautus Apoſtolico.
Vſus Franciſca, vulgari, & voce latina
Inſtituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho ſibi Petri commiſſit ouile
Cognatis manibus, vnctus in Imperium
Exuit, & poſtquam terrenæ vincula carnis
Æquiuoci dextro ſubſtituit lateri.

Scripſit Gregorius Epiſtolas plures, præſertim ad Abbonem Abbatem Floriacenſem.

Gregorius VI. vide parte 2. Ioannes Gratianus.

Gregorius VII. vide parte 2. Hiltprandus ſeu Gildebrandus.

Gregorius VIII. vide parte 2. Albertus à Mora.

Gregorius IX. vide Hugolinus ſiue Hugo Anagninus, parte 2.

Gregorius X. antea Theobaldus, alijs Theoaldus Vicecomes Placentinus, natione Italus, Pontifex in ordine 186. exceſſit è vita Aretij in Etruria die 11. Ianuarij anno ab orbe redempto 1276. ibidem in Cathedrali ſepultus claruit miraculis.

Scripſit Dialogum inter Saulum & Paulum; vt ex M.S. in Bibliotheca Varmienſi.

Orationem pro concordia inter Guelphos & Gibellinos

Epiſtolas ad diuerſos, quarum Regiſtrum aſſeruatur in Vaticana Bibliotheca M.S. Vna ad Regem Armeniæ extabat in Bibliotheca Sirletti. vide tomum 7. Conciliorum Binij. Eiuſdem literas Nidroſienſi, & Fulcono Vpſalenſi Archiepiſcopis, nec non Epiſcopis earumdem Prouinciarum, & Aruſienſi miſſas inuenies apud aliàs laudatū, Ioānē Vaſtonū Gothū in Viti Aqilonia.

Gregorius XI. vide parte 2 Petrus Rogerius Monſtrius

Gregorius XII. vide parte 2. Angelus Corarius

Gregorius XIII. vide parte 2. Hugo Boncompagnus

Gregorius XIV. vide parte 2. Nicolaus Sfondratus
Gregorius XV. vide parte 2. Alexander Ludouiſius.

Hadrianus I. vide parte 2. Hadrianus Romanus.
Hadrianus II. vide parte 2. Hadrianus Iltiprandus.
Hadrianus III. vide parte 2. Agapetus, alijs Agapitus.
Hadrianus IV. vide parte 2. Nicolaus Albanenſis Epiſcopus.
Hadrianus V. vide Parte 2. Othobonus Fliſcus.
Hadrianus VI. vide parte 2. Hadrianus ex inferiori Germania.
Hilarus. vide parte 2. Hilarus Sardus.
Honorius I. vide parte 2. Honorius Petronij de la Mara.
Honorius II. vide parte 2. Lambertus Fagnanus.
Honorius III. vide parte 2. Cencius Sabellus.
Honorius IV. vide parte 2. Iacobus Sabellus.
Hormiſda. vide parte 2. Hormiſda alijs Cœlius Hormiſda.
Hyginus. vide parte 2. Higinus, alijs Iginius.

Innocentius I vide parte 2. Innocentius patria Albanus.
Innocentius II. vide parte 2. Gregorius de Papa.
Innocentius III. vide parte 2. Lotharius ex Comitibus Signiæ.
Innocentius IV. vide parte 2. Sinibaldus Fliſcus.
Innocentius V. vide parte 2. Petrus Tarantaſienſis
Innocentius VI. vide parte 2. Stefanus Alberti filius.
Innocentius VII. vide parte 2. Coſmas, ſeu Coſmatus Melioratus.
Innocentius VIII. vide parte 2. Io: Baptiſta Cybo.
Innocentius IX. vide parte 2. Io: Antonius Facchinettus.
Innocentius X. vide parte 2. Io: Baptiſta Pamphilius.
Ioannes I. vide parte 2. Ioannes Conſtantij filius.
Ioannes II. vide parte 2. Ioannes Mercurius.
Ioannes III. vide parte 2. Ioannes Catellinus.
Ioannes IV. vide parte 2. Ioannes Venantij Scolaſtici filius.
Ioannes V. vide parte 2. Ioannes Cyriaci filius.
Ioannes VI. vide parte 2. Ioannes Paterni alijs Petronij filius.
Ioannes VII. vide parte 2. Ioannes Platone Ianni dega natus.
Ioannes VIII. vide parte 2. Ioannes Gundi filius.
Ioannes IX. vide parte 2. Ioannes Rampoaldi filius.
Ioannes X. patria Rauennas, alijs Romanus Pontifex Maximus in ordine 125. Vidonis Tuſciæ Comitis, ac Marociæ vxoris fraudibus ſuffocatus in carcere 7. Aprilis die, anno poſt Chriſtum natum 928. cum ſcripſiſſet Epiſtolas plures ad diuerſos.

Ioannes XI. patria Romanus in ordine 128. ex Comitibus Tuſculanis è ſolio deiectus extinctus in carcere die 25. Octobris anno 935. ſcripſit Epiſtolas plures, quarum duas Andreas Ducheſnius apud ſe habere, fatetur in eiuſdem Ioannis Vita.

Ioannes XII. Vide parte 2. Octauianus ex Comitibus Tuſculanis.

Ioannes XIII. Sergius ante Pontificatum nuncupatus, Epiſcopus Narnienſis; Ioannis Epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, obijt 6. Septembris anno ſalutis humanæ 975. & poſt obitum ſepultus in Baſilica S. Pauli Via Oſtienſi ſub hac Epigraphe.

Pontificis ſummi hic clauduntur membra Ioannis
Qui prudens Paſtor perſoluens debita mortis
Iſtic præmonuit moriens ſua membra locari,
Quò pietate Dei reſolutus nexibus aſtris
Eximij Pauli meritis conſcendat in æthra,
Inter Apoſtolicos cœlorum gaudia metat,
Gaudeat, exultet ſociatus cœlitus almis
Dicite corde pio relegentes carmina cuncti.
Chriſtę tui famuli miſertus ſcelera purga
Sanguine qui ſancto redimiſti crimine Mundum.

Ioannes XIV. Petrus à Caneua noua ante Pontificatum nuncupatus, ex Epiſcopo Papienſi, & Archicancellario Othonis Imperatoris ſummum Principatum Eccleſię obtinuit, & carcerem opera Bonifacij Pſeudopontificis per plures menſes paſſus eſt. Hunc tamen aliqui excludunt à numero Pontificum Romanorum, quia viuente Benedicto VII. dicto VIII. in Schiſmate electus eſt.

Fuit vir doctiſſimus & multorum Auctor librorum; nondum verò inueniri potui, quales libros ſcripſerit

Obijt 16. Maij anno noſtræ ſalutis 985. cuius Corpus conditum in Vaticano ſub hoc Epitaphio

Præſulis eximij hic requieſcunt membra Ioannis
Extiterat dictus qui antea quippe Petrus.
Sedem Papiæ blando moderamine rexit
Imperatori Othoni dulcis fuit . . . .
Commiſſum Populum Romanum moribus ornans
. . . .
Eloquio cunctis, præſertim dulcis amicis,
Subiectis placidus, pauperibuſq. pius.

Ioannes XV. ordine 141. Pontifex Maximus, patria Romanus Leonis Presbyteri, ex legitimo matrimonio filius, ſcripſit Epiſtolas plures, quarum duæ leguntur, prima apud Papyriu in Maſonium ad Hugonem Galliarum Regem, altera apud Vuilelmum Malmesburienſem ad omnes fideles de pace inter Angliæ Regem, & Northmannorum Ducem, compoſita per Leonem Viceepiſcopum Treuirenſem. E vita migrauit Romæ 10. Februarij, alijs 7. Maij anno à partu Virginis 995. conditus iu Vaticano ſub hoc Epitaphio, teſte Manlio.

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Ioannes
Qui leges ſacras diffundere nouerat omnes;
Egregius Doctor verbo quæcumq. docebat
Moribus, & vita, tribuens exempla, gerebat.
Hunc à Canonici diſtricto iure rigoris,
Non timor, aut lucrum, non gratia flexit amoris.
Det Deus æternus cœlorum lumine paſci,
Cui dat Roma mori, dederat benè gaudia naſci.
Quando vir iſte obijt, ſi vis cognoſcere verum.
Septima lux Maij fuit illi meta dierum.

Ioannes XVIII. alijs XXII. cognomento Faſanus, ſeu Fanaſſus patria Romanus de Vico Portæ Methodiæ, Pontifex in ordine 146. Scripſit Epiſtolas plures tam ad Græcos, quam ad alios, vt ex actis colligimus. Deceſſit Romæ die 18. Iulij, anno à Chriſti natiuitate 1009. ſepultuſq. in Vaticano cum ſequenti Epigraphe à Vegio deſumpta.

Quam ſolers Domino placuit? quam mente modeſta.
Præſul Apoſtolicus Orbis, & omne decus.
Hic ſtatuit tumulo claudi ſua membra ſub iſto
Hæc eademſperant, vt ſibi reddat humus.
Ardua qui fulſit cunctis per ſydera cœli.
Auguſtis clarus, gentibus, & tribubus.
Doctrinis comptus ſacris, & dogmate claro.
Per patrias ſanctas ſemina fudit ouans.
Nam Graios ſuperans, Eois partibus vnam,
Schiſmate pellendo, reddidit Eccleſiam.
Principis hinc Petri; ſed quiſquis tendit ad aulam.
Dic ſupplex, idem regnet vt arce poli.

Ioannes XIX. alijs XVIII. vel XX. in ordine Pontifex 149. patria Romanus ex Comitibus Tuſculanis, Benedicti VIII. germanus frater, & Monachus Benedictinus ſcripſit Epiſtolas quaſdam, quarum aliquas aſſeruabat Andreas Ducheſnius, aliaſq. euulgauit

cum

cum Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem.

E vita migrauit Romæ die Nouembris 8. anno ſalutis 1032. poſt obitum conditus in Vaticano inter portam argenteam, & Romanam.

Ioannes XX. ſeu XXI. vide parte 2. Ioannes Petrus Iuliani.

Ioannes XXI. alijs XXII. vide parte 2. Iacobus Oſſa.

Ioannes XXIII. vide parte 2. Balthaſſar Coſſa.

Iulius huius nominis I. vide parte 2. Iulius Ruſtico Patre natus.

Iulius II. vide parte 2. Iulianus de Ruuere

Iulius III. vide parte 2. Ioannnes Maria de Monte.

Leo I. cognomento Magnus. vide parte 2. Leo Quintani filius.

Leo II. vide parte 2. Leo ex Cedalla.

Leo III. vide parte 2. Leo patria Romanus.

Leo IV. vide parte 2. Leo Rodulphi filius.

Leo VI. patria Romanus Chriſtophori Primicerij in legitimo matrimonio filius ex familia Gemina, Sanguinea poſtea dicta, Pontifex in ordine 126. ſcripſit Epiſtolam ad Leodegarium Archiepiſcopum Viennenſem, quam profert Ioannes Lieuræus.

Poſt obitum ſequutum 23. Octobris die, anno 928. ſepultus ad Sanctum Petrum.

Leonem VIII. licet ſchiſmaticum, tamen ab eius nominis nota rationem cum habeant Hiſtorici in recenſendis alijs Pontificibus, qui Leonis nomine ſunt vocati, nos quoq; hoc in loco numeramus; fuit hic Romanus ex ſtatu laicali aſſumptus, ſeu intruſus in Petri Cathedram, obijtq; 17. Maij anno à partu Virginis 965. Huius extant Epiſtolæ plures, quarum quatuor ad S. Odonem Abbatem ſecundum Cluniacenſem erant apud Andream Ducheſnium, illæ ad Egilulphum Salisburgenſem, Eiſengrenium Regmoburgenſem, Lambertum Fringenſem, & Starchandum Eiſtatenſem Epiſcopos de cauſa fidei, apud alios.

Leo IX. Bruno antea vocatus, Hugonis Comitis Dagſpurgenſis filius, Germanus, Pontifex in ordine 154. Sanctitatis nota illuſtratus, cuius dies feſtus ſingulis annis celebratur in Eccleſia Romana di 19. Aprilis ſcripſit ad Conſtantinum Monomachum Imperatorem de extirpandis hæreſibus librum vnum.

Ad Patriarcham Conſtantinopolitanum de eadem re librum vnum.

Ad Græcos librum contra eorum errores;

Ad Epiſcopos Affricæ & Ægypti librum vnum.

Epiſtolas

Epiſtolas plurimas, quarum aliquæ leguntur apud Binium tomo 7. Conciliorum, & Baronium tomo xi. Annalium, ac Laurentium Surium Carthuſianum.

Officium recitandum in ſolemnitate Sancti Hidulfi Epiſcopi Treuirenſis.

Sermones, ſeu Homilas, Louanij 1565. & Coloniæ 1568. ſtudio Laurentij Surij euulgatas.

Ab hoc etiam prodierunt Reſponſoria in veneratione Martyris Cypriaci, Hidulphi Archiepiſcopi Treuirenſis, B. Odilæ Virginis, B. Gregorij Doctoris & Pontificis Anglorum Apoſtoli, nec non B. Gregorij alijs Gorgonij Presbyteri, & Martyris, quæ leguntur in Eccleſijs in quibus horum Beatorum memoria celebratur.

Animam Deo reddidit die 16. Aprilis anno ſalutis 1054. corpus miraculis illuſtre conditum in Vaticano ſub hoc lapide.

Victrix Roma dolet nono viduata Leone
Ex multis talem non habitura Patrem.

Leo X. vide parte 2. Ioannes Medices Laurentij filius.

Leo XI. Alexander Mediceus antea nominatus, Pontifex in ordine 236. patria Florentinus, ne vno quidem expleto in noua dignitate, Menſe deceſſit 27. Aprilis die, anno ſeculi decimi ſeptimi, quinto, corpus iacet in Vaticano in tumulo à Roberto Cardinale Vbaldino ex Sorore pronepote excitato, cum hac Inſcriptione.

D. O. M.
LEONI XI. Medici Florentino
Pont. Opt. Max.
Qui ad ſummam Eccleſiæ Dei felicitatem
Oſtenſus magis quam datus
Chriſtianum Orbem breui xxvij. dierum lætitia
Et longo annorum mœrore compleuit.
Robertus Card. Vbaldinus ex Sorore pronepos
Grati animi monumentum P.
Obijt An. Ætatis ſuæ LXIX. Quinto Cal. Maij
MDCV.

Hiuiuſce

Huiuſce Pontificis Epiſtolam vnam ad Archiepiſcopum Neapo-anum legi apud Stephanum Quarantam.
Liberius. vide parte 2. Liberius Auguſti filius.
Linus. vide parte 2. Linus natione Italus.
Lucius I. vide parte 2. Lucius Romanus.
Lucius II. vide parte 2. Gerardus Caccianemicus.
Lucius III. vide parte 2. Hubaldus Allucingolus.

Marcellinus. vide parte 2. Marcellini Proiecti filius.
Marcellus I. vide parte 2. Marcellus Benedicti filius.
Marcellus II. vide parte 2. Marcellus Ceruinus.
S. Marcus. vide parte 2. Marcus filius Priſci..
Martinus I. vide parte 2. Conſtantinus Marinus.
Marinus II. ſeu iunior patria Romanus in ordine Pontifex 131. ſcripſit Epiſtolam ad Leonem Abbatem Monaſterij S. Vincentij VVlture prope Capuam, quam recitant Ioannes Monachus in Chronico eiuſdem Monaſterij, & Cardinalis Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum 946. atq. obijt Romæ Idibus Maij anno ſalutis 946.
Martinus I. vide parte 2. Martinus natione Italus.
Martinus II. alijs IV. vide parte 2. Simon de Bria.
Martinus III. alijs V. vide parte 2. Otho Columna.
Melchiades ſeu Miltiades. vide parte 2. Melchiades.

Nicolaus I. cognomento Magnus, vide parte 2. Nicolaus filius Theodori.
Nicolaus II. vide parte 2. Gerardus Allobrox.
Nicolaus III. vide parte 2. Ioannes Vrſinus.
Nicolaus IV. vide parte 2. Hieronymus Aſculanus.
Nicolaus V. vide parte 2. Thomas Parentucellus.

Pſeudopontifices.

Nicolaus V. antea Petrus Reinalutius ſeu Raynaldutius vel Rainaluccius natione Italus, de Vico Corbario Aprutinus, profeſſione Minorita Romæ à Ludouico Bauaro contra Ioannem xxi. dictum xxij. renuntiatus Pſeudopontifex Auenione 25. Auguſti die, anno ſalutis 1330. errorem deteſtans ſuum, ſponte veſtes pontificias depoſuit, obijtq. anno 1333. cum Poſteris tradidiſſet.
Gloſſula in ſuper Chriſti imitatione libro vno.
Abdicationem Antipapatus.
Nouatianus. vide parte 2. Nouatianus natione Italus.

Paſchalis

Paſchalis I. vide parte 2. Paſchalis Bonoſus.

Paſchalis II. vide parte 2. Raynerius, alijs Renatus.

Paulus I. vide parte 2. Paulus patria Romanus.

Paulus II. vide parte 2. Petrus Barbus.

Paulus III. vide parte 2. Alexander Farneſius ſenior.

Paulus IV. vide parte 2. Ioannes Petrus Caraffa.

Paulus V. vide parte 2. Camillus Burgheſius.

Pelagius I. vide parte 2. Pelagius Vicarianus.

Pelagius II. vide parte 2. Pelagius iunior.

Petrus Apoſtolus, Chriſtianorum Summus Pontifex, & Vicarius Ieſu Chriſti anno Domini trigeſimo tertio, alijs trigeſimo quarto Eccleſiæ Chriſtianæ præſidere cœpit, & anno ſexageſimo nono, vel ſeptuageſimo martyrio coronatus eſt.

Scripſit Petrus Epiſtolas duas Canonicas: quæ licet videantur in ſtilo diuerſæ, ſunt tamen ambæ eiuſdem Auctoris; diuerſitas ſtili à diuerſis Interpretibus prouenit.

Multos alios libros olim ſub nomine Petri ſcriptos fuiſſe addit S. Hieronymus, quos ipſe ibidem enumerat, & reicit vt apocryphos & ſpurios; hi autem ſunt

Actorum eius liber vnus.

Euangelium.

Prædicationis liber alter.

Apocalypſeos liber

Iudicij liber vnus

Epiſtola ad Iacobum Hieroſolymitanum, quæ ab alijs tribuitur Clementi I. Papæ.

Pręcepta, ſunt M. SS. Græcè Florentiæ in Bibliotheca Medicea, Liturgia, ſeu Apoſtolica Miſſa, vel Diuinum Sacrificium D. Petri, quod è Græco in Latinum vertit Ioannes à Sancto Andrea Canonicus Pariſienſis, ex Miſſali Bibliothecæ Regiæ Chriſtianiſimi eruto, notiſq. illuſtratum: extat etiam Græcè, & Latinè tomo 2. Bibliothecæ Patrum, illudq. notationibus illuſtrauit Guilielmus Lindanus Epiſcopus Ruræmundanus.

Pius I. vide parte 2. Pius natione Italus.

Pius II. vide parte 2. Æneas Syluius Piccolomineus.

Pius III. vide parte 2. Franciſcus Todeſchinus Piccolomineus.

Pius IV. vide parte 2. Ioannes Angelus Medices.

Pius V. vide parte 2. Michael Ghiſlerius.

Pontianus. vide parte 2. Pontianus, alijs Calpurnius Pontianus.

Pſeudo-

Paſchalis I. ex Archidiacono S.R.E. Pſeudopontifex; magices tamen paulò poſt accuſatus, & conuictus, vt reus non modo dignitate quam iniuſtè vſurpauerat, ſed etiam Archidiaconatu ſpoliatus, in Monaſterium pœnitentiæ cauſa detruſus, poſt quinquennium mortuus, die 17. Ianuarij anno ſalutis 689. cum ſcripſiſſet literas ad Ioannem Exarcham Rauennæ.

Sabinianus. vide parte 2. Sabinianus natione Tuſcus.
Sergius I. vide parte 2. Sergius Tiberij Mercatoris filius.
Sergius II. vide parte 2 Sergius iunior.
Sergius III. vide parte 2. Sergius ex Comitibus Tuſculanis.
Sergius IV. vide parte 2. Petrus Buccaporci.
Simplicius. vide parte 2. Simplicius natione Italus.
Siricius. vide parte 2. Siricius natione Italus.
Sixtus I. vide parte 2. Sixtus Paſtoris filius.
Sixtus II. vide parte 2. Sixtus iunior.
Sixtus III. vide parte 2. Sixtus alius.
Sixtus IV. vide parte 2. Franciſcus Ruuerius.
Sixtus V. vide parte 2. Felix Perettus.
Soter. vide parte 2. Soter, alijs Concordius Soter.

Stephanus huius nominis primus, Iulij filius patria Romanus, Pontifex in ordine 24. ſcripſit Epiſtolas duas, quæ extant apud Binium tomo 1. Conciliorum, Baronium tomo 2. Annalium. Martirio coronatus Romæ in perſecutione Valeriani die 2. Auguſti anno ſalutis humanæ 260. conditur in Cœmeterio Calliſti, ex quo trai ſlatus ad titulum Equitij.

Stephanus III. vide parte 2. Stephanus Conſtantini filius.
Stephanus IV. vide parte 2. Stephanus Olybrij filius.

Stephanus V. Martini filius Romæ nobili genere natus, Pontifex in ordine 99. poſt breuem Pontificatum deceſſit die 25. Ianuarij anno reparatæ ſalutis 817. cum ſcripſiſſet Epiſtolam vnam quæ habetur M.S. in Vaticano; quam tamen Binius, & Baronius indicant eſſe alterius Stephani.

Stephanus VI. vide parte 2. Baſilius Romanus.

Stephanus VII. Ioannis Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, patria Romanus, in ordine Pontifex 115. ſcripſit Epiſtolas plures, quarum illa ad Fulconem Remenſem extat, vt refert Flodoardus lib. 4. hiſt. Remenſis. Obijt Romæ 24. Martij Menſis die anno ab incarnatione Chriſti 900.

conditus in Vaticano cum ſequenti Epitaphio à Sergio III. Papa concinnato.

Hoc Stephani Papæ clauduntur membra locello,
Sextus dictus erat ordine quippe Patrum.
Hic primum repulit Formoſi ſpurca ſuperbi
Culmina qui inuaſit Sedis Apoſtolicæ,
Concilium inſtituit, præcedit Paſtor, & ipſi;
Lege ſatis feſſis iure dedit famulis.
Cumq; Pater nullum certaret dogmate ſancto
Captus, & à Sede pulſus ad ima fuit.
Carceris interea vinclis conſtrictus, & vno
Strangulatus neruo, exuit, & hominem.
Poſt decimumq. regens, ſedem cum tranſtulit annum
Sergius huc papa funera ſacra colens.

Stephanus IX. alijs VIII. natione Germanus, Pontifex in ordine 130. ſcripſit ad Principes Franciæ pro receptione Ludouici in Regem Francorum, teſte Ducheſnio: à Romanis ſæpius ſeditionibus vexatus, mortuus 21. Octobris die anni 942. & corpus conditum in Vaticano.

Stephanus X. vide parte 2. Fridericus Gozzellonis Ducis filius.

Syluerius. vide parte 2. Siluerius alijs Cœlius Siluerius.

Syluester I. vide parte 2. Silueſter Ruffini filius.

Silueſter II. antea dictus Gerebertus Aruernus, patria Aurelianenſis ex Monacho Benedictino Pontifex Maximus in ordine 144. ſcripſit ante Papatum aliqua contra Decretales Pontificum Epiſtolas, quæ Baronius tomo x. Annalium Eccleſiaſticorum confutat.

Item Dialogum pulcherrimum.

De Arithmetica, ſeu de numero ad Conſtantinum Floriacenſem Monachum. Extabat M. S. apud Ioannem Maſſonum. Papyrij fratrem.

De Sphæra librum vnum.

De compoſitione Aſtrolabij librum vnum.

De Rhethorica librum vnum.

De Geometria lib. 1. aſſeruabatur M. S. in Bibliotheca Cardinalis Farneſij, teſte Panuinio in annotationibus ad Silueſtri II. vitam.

Epigrammata in Boetij Imaginem quorum vnum extat in Appendice notationum Baronij ad tomum 7. anno 526.

Ora-

Orationem quam habuit anno 995. 4. Nonas Iunij in Synodo Moſonij.

Vitam S. Adalberti Archiepiſcopi Pragenſis Martyris, quam Romæ prælo mandauit Abrahamus Bzouius.

Præterea ſcripſiſſe Silueſtrum ſcimus Epiſtolas centum quinquaginta nouem, quibus vſus eſt Cardinalis Baronius ad annalium fabricam.

Obijt Romæ 12. Maij anno ſalutis 1003. ſepultus in Laterano ſub hoc Epitaphio à Sergio IV. compoſito.

Iſte locus mundi SILVESTRI membra ſepulti
Venturo Domino conferet ad Dominum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſſima virgo
Atq. caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena ſede.
Rhemenſis populi metropolim patriæ.
Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen nobile, ſitq. potens.
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit
Vt toto Paſtor fieret orbe nouus.
Cui nimium placuit ſociali mente fidelis
Obtulit hoc Cæſar tertius Otho ſibi.
Tempus vterq. comit clara virtute ſophiæ
Gaudet, & omne ſeculum, frangitur omne reum.
Clauigeri inſtar erat, cœlorum ſede potitus
Ter na ſuffectus cui vice Paſtor erat.
Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit
Luſtrali ſpatio ſecula morte ſui.
Obriguit mundus diſcuſſa pace triumphus,
Eccleſiæ nutant dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate ſacerdos
Succeſſorq. ſuus compſit, amore ſui.
Quiſquis ad hunc tumulum deuexa lumina vertis
Omnipotens Domine, dic Miſerere ſui.

Symmachus. vide parte 2. Symmachus, alijs Cœlius Symmachus.

Theleſphorus. vide parte 2. Theleſphorus natione Græcus.

Theodorus I. vide parte 2. Theodorus natione Græcus.

Victor I. vide parte 2. Victor Afer.
Victor III. vide parte 2. Dauferius, alijs Deſiderius.
Vigilius. vide parte 2. Vigilius ex nobiliſſimo genere ortus.
Vitalianus. vide parte 2. Vitalianus natione Apuutinus.
Vrbanus I. vide parte 2. Vrbanus S. R. E. Presbyter.
Vrbanus II. vide parte 2. Otho Caſtilioneus.
Vrbanus III. vide parte 2. Lambertus Cribellus.

Vrbanus IV. antea Iacobus Pantaleo, natione Gallus, patria Trecenſis ex patriarcha Hieroſolymitano caſu pro Terræ Sanctæ negotijs in Vrbe exiſtente, promotus omnium Cardinalium ſuffragijs ad Pontificatum ſedit in Petri Cathedra in ordine 184. & ſcripſit Deſcriptionem Terræ ſanctæ, qua Adrichomius vſus eſt in Theatro terræ ſanctæ.

Epiſtolarum Volumen in Vaticano M. S. aſſeruatur.

Obijt Peruſij in Vmbria die Octobris 11. anno ab incarnatione Chriſti 1264. iacetq. in Cathedrali cum hac Inſcriptione.

Archi Leuita fuit, Paſtorq. gregis Patriar.
Tunc Iacobus, poſui mihi nomen ab Vrbe Monar. } Cha.
Tunc ciuis exiui, tumuli poſt condor in ar.
Te ſine fine frui tribuas mihi ſumme Gerar.

Vrbanus V. antea Guilielmus Griſatus, Grimaldi ſeu Grimoaldi viri militaris filius, natione Gallus, Pontifex in ordine 202. ſcripſit Orationem de expeditione Terræ ſanctæ.

de Oratione ex voto Commentaria.

Verſus de Agnus Dei, leguntur apud Stephanum Quarantam, & Victorellum in Aditionibus ad Ciaconium, nec non Auguſtinum Patritium.

Epiſtolarum volumen extat M. S. in Vaticano.

Ceſſit è vita Auenione 19. Decembris die, anno à partu Virginis 1370. cuius oſſa translata Maſſiliam iacent in Eccleſia Monaſterij S. Victoris, in quo olim vixerat Monachus, & Abbas, ſubſequenti Epigraphe.

Hic requieſcit VRBANVS Pontifex in ordine quintus
Summus diuinitus Romanorum Præſul electus.
Auctor bonorum, lux, cenſor, normaq. morum
Speculum cunctorum, dogma, dux Monachorum
Bonorum ductor, malorum quoq; corrector,
Iuſtitiæ tutor, ſtudiorumq. reparator.
Nullius acceptor, direxit iuſtitiæ libram,
Virtutibus fulgens cunctis iura reddidit idem.

Atq.

Atq. ſimoniam ſui ſplendore fugauit,
Eccleſias nempe reparauit Romæ diuinitus,
Apoſtolorumq. capita tunc recondidit,
Pauperes alendo Chriſti mandata compleuit;
Hicq. bonus Paſtor ad fidem Chriſti reduxit
Græcorum Cæſarem errorum caligine tectum.
Poſt labores tandem multos, deſuperq. vocatus
Inter fratrum manus illa facta membra reſoluens
Chriſti Vicarius tranſiuit ad aſtra beatus.
Quem Deus multum ex alto per ſigna monſtrauit.
Qualis autem fuerit ſigna tanta clare demonſtrant,
Ad tumulum huius languentum membra ſanantur;
In multis alijs Prouincijſq. clarè conſtat;
Nec non Italia ab ipſo multum amata,
Miraculis latè hoc in Hiſpania patet,
Ac in Boemia, nobiliq. Francia tota.
Gaudet Prouincia Arelatenſis ſiuè vocata
Per tanta ſigna meritis Vrbani ornata.
Ergo mente pura te Vrbano Beato
Pontifici ſummo, lectòr deuote commenda.
Anno milleno trecenteno quoq; ſeptuageno
Currente Domini, menſiſq. decima nona
Decembris erat dies, cum Beatus iſte
Vrbanus ad Chriſtum tranſitu felici migrauit.

Vrbanus VI. Bartholomæus Prignanus ſeu Barillus ante Pontificatum nuncupatus, & Archiepiſcopus Barenſis, Pontifex in ordine 204. patria Neapolitanus ſcripſit.

Hiſtoriam Epiſcoporum Barenſium ad ſua vſq. tempora.

Formulas precum typis Dilinganis euulgatas anno 1567.

Epiſtolas quaſdam, quæ extant tomo 7. Conciliorum, literas apud Laertium Cherubinum.

E vita migrauit in Vrbe 15. Octobris die, anno poſt Chriſtum natum 1389. conditus in Vaticano cum hoc Epitaphio.

Hac animo magnus, ſapiens, iuſtuſq. Monarcha
Parthenopæus adeſt Vrbanus ſextus in arca,
Feruebat fidei latebras conferre Magiſtris.
O decus, bis fretus ſemper poſt prandia ſiſtris
Schiſmatibus magnis animo maiore regebat.
Omne ſimoniacum tanto ſub Patre tremebat.
Quid iuuat hunc terris mortali tollere laude?
Pro meritis, cæli ſplendet ſibi gloria valde.

Vrbanus VII. vide Io: Baptiſta Caſtanea parte 2.
Vrbanus VIII. vide parte 2. Maphæus Barberinus.

Zacharias. vide parte 2. Zacharias Policronij filius.
Zepherinus. vide parte 2. Zephyrinus, alijs Abundius Zephirinus.
Zoſimus. vide parte 2. Zoſimus natione Græcus.

ATHENEI ROMANI

PARS II.

IN QVA S. R. E. CARDINALIVM ET *PSEVDOCARDINALIVM SCRIPTA INDICANTVR.*

A

ACHILES de Graſſis Bononienſis à Iulio II. Pont. Max. Epiſcopus Tiphernas , ſeu Modoecenſis primò , mox Auditor Palatij Apoſtolici, demum S R. E. Præsbyter Cardinalis renunciatus, in titulo S. Sixti , quem poſtea commutatuit cum illo S.M. Tranſtyberim, legationes plures geſſit , & rexit Eccleſiam Bononienſem huius ſunt euulgatæ Deciſiones plures quas exarauit Romæ dum inter illos Patres ſedit anno 1511. hæ tamen aliæ ſunt ab illis excuſis ab Achille de Graſſis iuniore nepote. Diem ſupremum obijt

Romæ

Romæ 22. Nouembris 1523. iacet apud S. Mariam Tranſtyberim ſub hoc Elogio.

ACHILLEI DE GRASSIS
Epiſcopo Bononienſi
Huius Baſilicæ Cardinali, morum
Grauitate, & legum in patria nulli ſecundo;
In quo nullum iuſtitiæ, modeſtiæ, ac liberalitatis
Genus vnquam deſideratum eſt
Vixit annos LX. Clementi VII.
Et
Vniuerſæ Curiæ maximo de ſe deſiderio
Relicto.

De Achille Cardinale tractant Carolus Sigonius, & Ferd. Vghellius de Epiſcopis Bononienſibus. Martinus Polonus, in ſua hiſt. Garimbertus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Leo X. in literis, Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi.

Adalbertus Epiſcopus Cardinalis Syluæ Candidæ aliàs S. Ruffinæ, qui interfuit Conciliabulo Schiſmaticorum Romæ habito contra Catholicos ſub Gregorio VII. Romano Pontifice Synodalem cum ſocijs ſcripſit Epiſtolam omnibus Deum timentibus, & ſalutem Romanæ Reipublicæ diligentibus. Cardinalibus adſcriptus hic fuit à Clemente III. Pſeudopontifice.

Adam de Eſton Herefordienſis nobilis, teſte Aubery, ex Ferdinando verò Vghellio Abbate Ciſtercienſi humilibus in Anglia natus Parentibus, adoleſcens S. Benedicti Regulam amplexus, non modo latinam, ſed & græcam, atq. hebriaicam linguam exactè didicit, multaq. in illis omnibus compoſuit. Fortuna igitur comite, nec non virtute duce Herefordienſem, ſeu ex alijs Londinenſem primò obtinuit Epiſcopatum, & ſub Vrbano VI. Angliæ Regis precibus ſacram purpuram cum Titulo S. Cæciliæ. At vti in vitam eiuſdem Vrbani Pontificis conſpirator, cum alijs quinque Cardinalibus Luceriæ in Regno Neapolitano carceri traditus, grauiterq. tortus, diù vixit in vinculis; tandem in gratiam Regis Angliæ, eò quod nihil aliud peccaſſet,

quam

quod Pontificem dixiſſet eſſe intolerabilem, ſeu quod ſciens coniurationem nō detexiſſet, ac ſatis iam pœnarum expendiſſet ſuæ taciturnitatis dimiſſus eſt, ſed ſpoliatus purpura, quam denuò induit Bonifacij IX. ſucceſſoris beneficio. Exceſſit Romæ die 15. Sept. ſeu ex alijs 13. Kal. Nouembris anno ſalutis MCCCXCVII. ſepultus in ſuo Titulo ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

ADAM ANGLO
Titulo Sanctæ Cæciliæ Presb. Cardinali
Epiſcopatus Londinenſis perpetuo
Adminiſtratori
Integritate, doctrina, & religione
Præſtanti.
Artibus iſte Pater famoſus in omnibus Adam,
Theologus ſummus Cardiquenalis erat.
Anglia cui Patriam, Titulum dedit iſta beatæ
Ædes Cæciliæ, morſq. ſuprema Polum.

Tantus ac talis Cardinalis in poſterorum commodum reliquit
Offitium Viſitationis B. Mariæ à ſe ordinatum Romanorum Pontificum iuſſu
De communicatione idiomatum opus.
De ſua calamitate quam paſſus eſt ſub Vrbano VI. Opuſculum
De poteſtate Eccleſiæ aliud
De electione Pontificis
Defenſorium Eccleſiæ
De perfectione vitæ ſpiritualis
Modum conferendi beneficia
Formam procedendi contra hæreticos
Opus vitæ contra hæreticos
Dialogum Regis & Epiſcopi
De diuerſitate translationum
De veritate Catholica græcè
Donauit latinitate Metheororum libros Ariſtotelis
Edidit etiam hebraicè Alphabetum Iudæorum

D Textum

Textum hebraicum Bibliorum
Poſtillam hebraicam.
Pſalterium hebraicum
Expoſitionem Leuitici
Hebraica Saraceni
Hebraica Iarchi Salomonis.
Vertit in latinum totum vetus Teſtamentum ex Hebræo.

Præter laudatos Auctores meminere cum laude Adami Cardinalis Nicolaus Apsfildius in hiſt. Anglicana, Ioannes Pitſæus de ſcrip. Angliæ & de Epiſcopis Londinenſibus, &, Aereford. Godeuinus in Annal. Angliæ, Theodorus Niemus de ſchiſmate, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Nomenclator Cardinalium, Ciaconius cum Auctarijs, Hippolytus Marraccius in Purpur. & in Bibliotheca Mariana, alijq. quamplures cum Panuinio, Contelorio.

Ægidius, nonnullis Gilo Monachus Cluniacenſis, & Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus à Caliſto II. in Synodo Lateranenſi renuntiatus, Apoſtolicæ Sedis legatione in Syria vna cum Guillelmo Tyri Archiepiſcopo ſub Honorio II. functus, ſectatus eſt Anacleti Pſeudopontificis ſchiſma, & cum reliquis ſchiſmaticis Cardinalibus pro Anacleto ſcripſit ad Lotharium Regem Romanorum, quare ab Innocentio II. Cardinalitia dignitate priuatus eſt. at cum D. Bernardi Abbatis Claraeuallis opera ad meliorem mentem rediſſet ſequutus eſt Innocentium verum Chriſti in Terris Vicarium, à quo reſtitutus honoribus ſub eodem Pontifice è vita migrauit poſt annum 1138. Extant eiuſdem Epiſtolæ ad Antiochenos; vt refert Gulielmus Tyrius de bello ſacro libro 13. cap. 23.

De hoc Cardinali tractant Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Auberius in hiſtoria Cardinalium, Honorius II. in Epiſtolis, Ferdianadus Vghellius in Italia ſacra, alijq.

Ægidius Albernotius Carillus natione Hiſpanus ſtirpe regia natus à Clemente VI. Romano Pontifice inter Presbyteros Cardinales Tituli S. Clementis, & ab Innocentio VI. ſucceſſore inter Epiſcopos Sabinenſes cooptatus, in Italiam Legatus Apoſtolicus miſſus, breui illam plurimorum tyrannide oppreſſam priſtinæ reſtituit libertati, & Eccleſiæ adiunxit, etenim omnia oppida recepit, quæ inſtigante Bauaro, in Flaminia, Piceno, ac Sancti Petri Patrimonio Principes varij occupauerant. huiuſce Cardinalis ſunt opus, Conſtitutiones Ægidianæ nuncupatæ, quibus etiam

noſtra

noſtra hac ætate Picenum & regiones aliæ diriguntur. alias etiam eddidit Conſtitutiones cum Vicarius eſſet Regni Siciliæ citra, quæ in Bibliotheca Cardinalis Sirletti M. SS. olim aſſeruabantur. Iulius Roſcius Hortinus in ſuis Elogijs militatibus fatetur ſe habuiſſe aliquando præ manibus peruetuſtum exemplar Inſtitutionum Cardinalis Albernotij, ſeruatum apud ſuos Ciues; an hæ aliæ ſint à ſuperius indicatis Conſtitutionibus, mihi ignotum. Tantus hic vir è vita exceſſit Viterbij die 24. Menſis Auguſti anno à Chriſti natiuitate 1365. Corpus Aſſiſsij temporario ſepulchro in Eccleſia S. Franciſci conditum, poſtea Toletum in Hiſpania nobilium, piorumq. hominũ humeris tranſlatum, cum ſequenti Inſcriptione.

Meminere Ægidij Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Auctor Nomenclatoris Cardinalium: Antonius Sanderus, Iulius Roſcius in Elogijs, Auberius in Vita, Ioannes Genes in Vitâ Matthæus Villanus in hiſt. Henricus Albius in Elogijs. Oder. Raynal. in Annal. Eccleſ. Scipio Ammiratus in hiſt. Florentina, Ferd. Vghellius in Ital ſacra, & alij omnes qui hiſtorias ſui æui deſcripſerunt.

ÆGIDIVS de ALBORNOTS
Cardinalis Archiepiſcopus
Toletanus.

Ægidius de Campis natione Gallus, Theologus Pariſienſis, Caroli VI. Francorum Regis à confeſsionibus, Epiſcopus Conſtantienſis in Normannia, & S. R. E. Cardinalis à Ioanne xxij. dicto xxiij. renuntiatus, in ſchiſmate eruditionem ſimul & ſtrenuam operam ad Eccleſiæ fauorem impendit; Auenione enim grauiſsima oratione typis edita Clementem VII. Pſeudopotificem affatus eſt, quo tempore è vita exceſserit certi facti ſumus à Sãmarthanis qui ſepulchralem proferunt huiuſce Cardinalis inſcriptionem ſequentem.

In hac ſepultura iacet bonæ memoriæ
Quondam
Eminentiſſimæ ſcientiæ nobiliſ. vir.
Magiſter
ÆGIDIVS de CAMPIS

 de Roto-

De Rotomago Oriundus,
Sacræ Theologiæ eximius Profexor,
Epiſcopus Conſtantienſis
Ac
Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Cardinalis, Conſtantienſis nuncupatus,
Qui obijt anno Domini MCCCCXIII.
Die 15. Martij.

Laudibus plurimis Ægidium efferunt Petrus Frizonius in Gallia purpurata Panuinius, Ciaconius & illius Auctarij, Auberius in Vita, Felix Contelorius in Elencho, cum laudatis Sammarthanis in Gallia Chriſtiana.

Ægidius Petri Leonis Romanus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano à Clemente III. Romano Pontifice renunciatus, Cæleſtini item III. ſucceſſoris iuſſu apud Tancredum Siciliæ Regem Legationem obiuit, vt Conſtantiam Imperatricem, eiuſde n Regis captiuam liberaret, ac Romam deduceret. S. R. E. Cancellarius Cæleſtini nomine literas exarauit plures, in Bentiuoli Eugubini Epiſcopi, Abbatis S. Mariæ in flumine, ac Ogerij Præpoſiti, Othonis Archidiaconi, nec non Canonicorum Ianuenſium commodum, & alias ad diuerſos ſuo nomine editas. mortalitatem depoſuit ſub eodem Cœleſtino anno ſalutis humanæ 1195.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Ciaconium, Panuinium, & alios.

Fr. Ægidius Romanus, illuſtri Columenſium ſanguine ex multis natus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologus, ac Philoſophus magni nominis, S. Thomæ Aquinatis diſcipulus, Doctor fundamentalis omnium voce dictus, ſui Ordinis Generalis, Archiepiſcopus Bituricenſis, plurimorum ſententia à Bonifatio VIII. euulgatus Cardinalis, ſcripſit.

Libros duos de Mundo ſex diebus condito, quos quæſtionibus ſcolaſticis multis repletos ſeculò præterito Venetijs primùm impreſſos legimus.

Inſuper in Canticum Canticorum Commentaria, ſeu lectiones nouendecim.

In

In omnes D. Pauli Epiſtolas lectiones.
In Epiſtolas Canonicas
In Euangelium Ioannis
In Canonem Bibliorum libros duos
In Boetium de Philoſophię conſolatione
De excellentia Summi Pontificarus
De eſſe & eſſentia Theoremata viginti duo.
Introductionem fidei ad Regem Armeniæ Bonifacio VIII. iubente
Super ſententias libros quatuor.
Expoſitionem primæ Decretalis
De regimine Principum libros tres.
Quodlibeta multa
In officium Miſſæ
De intellectu poſsibili
Laudes ſapientiæ diuinæ
De ſapientia diuina in Beatis
De ſubiecto Theologiæ lib. 1.
De corpore Chriſti tractatum, & de Sacramento altaris Theoremata quinquaginta
De menſura Angelorum Quæſtiones
De Mortuis
Diſtinctionem articulorum fidei, & de arca Noe. lib. 1.
De gradibus formarum lib. 1.
De Prædeſtinatione libros duos
De generatione & corruptione
De peccato originali lib. 1.
De formatione humani corporis in vtero Matris librum vnum.
De poteſtate Eccleſiaſtica ad Bonifacium VIII.
De carcere
Compendium Theologiæ veritatis
De renuntiatione Papę tractatum
Defenſorium aduerſus corruptorem librorum D. Thomæ Aquinatis
Sermones varios de tempore & de Sanctis.
In omnes Ariſtotelis libros Commentaria.
De materia cœli contra Auerroem. lib. 1.
De medio demonſtrationis
De Inferno, Purgatorio, & Paradiſo
De reſurrectione Mortuorum Quæſtiones ſeptem diſputatas Pariſijs.

In

In Salutationem Angelicam Commentarium, non eſt tamen omnino certum an opus hoc ſit Ægidij

Orationem pro tempore luculentiſſimam habitam coram Philippo Galliarum Rege cognomento Pulchro in frequentiſſimo conuentu virorum vtriuſque Ordinis in Accademia Pariſienſi.

Explanationem in Orationem Dominicam, dubitant aliqui an ſit Ægidij noſtri opus

Libellum ſcriptum occaſione Clerici minus ſufficienter ad Subdiaconatum promoti

Quomodo Reges poſſint bona Regni Eccleſijs elargiri

Tractatum contra exemptos

De defectu malorum culpæ

De motu Angelorum Quæſtiones.

De compoſitione Angelorum Quæſtiones

De cognitione Angelorum Quæſtiones

In illud Canonicæ Ioannis Omne quod eſt in Mundo. lib. 1.

Contra expoſitionem Petri Ioannis de Narbona ſuper Apocalypſim. lib. 1.

In Ius Canonicum de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

De gratiarum actione ad Bonifatium VIII. Pont. Max. lib. 1.

De erroribus Philoſophorum lib. 1.

De diuina influentia in Beatos lib. 1.

De Charactere lib. 1.

De rationibus ſeminalibus lib. 1.

De Intentionibus in medio lib. 1.

De differentia Ethicæ & Rhetoricæ

De medio Demonſtrationis lib. 1.

De loco Angelorum Quæſtiones.

De plurificatione Intellectus poſſibilis lib. 1.

Super librum de bona fortuna Commentaria

Super librum de Cauſis Commentarium.

De gubernatione Principum librum qui factus eſt Gallicus ab Henrico Ganchy.

Auenione mortalitatem expleuit die 22. Decembris anno ſalutis 1316. Corpus Lutetiam delatum, conditum fuit in Eccleſia Patrum Eremitarum S. Auguſtini ſub hoc Elogio.

Hic

Hic iacet aula morum,
Vitæ munditia Archiphiloſophiæ Ariſtotelicæ
Perſpicaciſſimus Commentator,
Clauis, & Doctor ſacræ Theologiæ,
Lux, in lucem reducens dubia.
Frater
ÆGIDIVS de ROMA
Ordinis Fratrum Eremitarum
S. Auguſtini Epiſcopus Bituricenſis,
Qui obijt anno Domini
MCCCXVI.
Die 22. Menſis Decembris.

De hoc plura Ioſeph Pamphilus in Chronica Fratrum Eremitarum, Auctarij apud Ciaconium, Bellarminus de Eccleſiaſticis, Marraccius de Marianis Scriptoribus, Sammarthani in Gallia Chriſtiana. Thomas Herrera in Alphab. Auguſt. Iordanus de Saxonia in Vitis Fratrum. Odericus in Annal. Eccl. Honorius IV. in literis. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Paulus Æmilius de geſtis Franc. Bzouius in Annal. Angelus Rocca in Vita, alijq. plures cum Philippo Labbe.

Mag. Fr. Ægidius Viterbienſis Antonini filius, ideò ab aliquibus Ægidius Antonini dictus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Theologiæ decus, & ornamentum, ſui Ordinis primùm Vicarius, deindè Prior generalis, Iulio II. Pontifice ad Venetos & ad Regem Neapolitanum Legatus, vt illos in Turcas excitaret, demum Peruſium miſſus vt Populum illum Romano Pontifici benè affectum redderet; Orator enim doctus & eloquentiſſimus habetur, quare non defuerunt qui dicerent tanti viri eloquentiam eſſe verborum & ſententiarum torrentem; cuiuſq; enim generis Auditores doctos, indoctóſq; mares, fæminas, iuuenes, ſenes, Principes & plebeios mulcebat, allatoq. animi motu, quocumque volebat, impellebat. at non ſolum Orator, ſed & Poeta, hiſtoricus, Philoſophus, ac Theologus inſignis; Hæbraicam, Caldaicam, Græcam, Latinam, Etruſcam optimè calluit. A Leone X. ad Cæſarem primò, tum ad Vrbinatem Principem delega-

tus,

tus, ab eodem ſacra purpura ornatur, cum Titulo S. Matthæi in Merulana, quem progreſſu temporis cum alio S. Marcelli commutauit. præfuit Patriarcha Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & Epiſcopus Viterbienſi, Caſtrenſi, Lancianenſi, Sutrinæ, Nepeſinæ. Cingulum Marchiæ Anconitanæ adminiſtrauit, & publicum Palatium ornauit; functus etiam eſt legatione in Hiſpania. Romæ ſexageſimo ætatis anno, die 12. Nouembris, ſalutis humanæ 1532. ſubita oppreſſus pituita interijt. poſt obitum ſepultus in Eccleſia S. Auguſtini antè aram principem cum hac inſcriptione.

D. O. M.

ÆGIDIO Viterbienſi Cardinali
Gabriel Venetus Generalis poſuit
MDXXXVI.

Ante ſacroſanctos cineres bona verba Viator
Dicito, diuinus hic iacet Ægidius.
Qui potuit lingua humanas inflectere mentes,
Et trahere hærentes feruidus ad ſe animos.
Quidquid pandit Arabs diuinum, quidquid Erembus
Diues Aramæis occulit in Tabulis.
Explicuit populis, & ſi quid ſpiritus vltra
Sentit, adhuc ſanctum quod meditetur habet.

Funebri oratione à Laurentio Granio Epiſcopo Signino in parentalibus laudatus eſt.

Multa ingenij ſui monumenta reliquit, & ſunt
Liber in tria priora capita Geneſeos
Commentaria in quoſdam Pſalmos
De Eccleſiæ incremento liber
Dialogorum liber.
Panegyris de viris illuſtribus & ſanctitate inſignibus Conuentus Ilicetani.
Hiſtoria viginti ſeculorum
Liber primus ſententiarum vſq. ad diſtinctionem decimam ſeptimam iuxta mentem Platonis
Epiſtolarum familiarium liber vnus
Diuerſarum libri ſeptem

Ecglo:

Ecglogæ ſacræ tres.
Opus prænotatum Secchina eſt in Bibl. regia Gallica
Dictionarium, ſiue liber Radicum
Liber in Taghin 1. ſigna facta ſuper hæbraicas latinitate donata.
Oratio habita in Concilio Lateranenſi.
Odæ in Ægidij Romani laudem.
Et alia multa, proſa & carmine, vernacula, latinaq. lingua exarata.

Celebrant Ægidium Paulus Iouius, Ianus Vitalis in carmine ſepulcrali, Ioſeph Pamphilus in Chronico ſui Ordinis, Thomas de Herrera in Alphabeto Auguſtiniano, Iacobus Sadolettus in literis, Io: Baptiſta Pius in Carmine, Panuinius, Auberius, Ciaconius, Vghellius in Italia ſacra, Contelorius in Elencho, Clemens VII. Pont. Max. in literis, Ambroſius Calepinus, aliiq. quamplures.

Æneas Syluius Piccolomineus, etiam Bartholomæus nuncupatus, Ciuis Senenſis anno ſalutis 1405. in Vallis Vrciæ oppido Corſiniano, poſtea Pientia dicto 14. Kal. Nouembris venit in lucem, Syluio Piccolomineo & Victoria Fortiguerra parentibus. Senis Grammaticam, Rhetoricam, Poeticam, & Iuris prudentiam didicit. Dominico Cardinali Capranicæ primum, deinde Nicolao Albergato Sanctiſſimo Cardinali à ſecretis fuit. Felici V. Pſeudopontifici ab Epiſtolis legatione functus eſt apud Federicum Cæſarem, qui eum ad Eugenium Pontificem miſit Oratorem, vt pro Germania obedientiam præſtaret, poetica laurea, & priuilegiis plurimis à Cæſare auctus; Baſileenſi Concilio in vlteriorem Britāniam Orator miſſus, ac in Scotiam ad Regem, Tergeſtinam primò Eccleſiam, deinde Senenſem regendam ſuſcepit. Calliſtus III. illum inter Purpuratos cooptauit, & Diaconiam S. Euſtachij, ſeu Titulum S. Sabinæ eidem tribuit, poſt Calliſti III. obitum Patri Cathedram aſcendens dictus eſt Pius II. Sedit annos, ſex, menſes vndecim, dies 27. obijt Anconæ die 15. Auguſti anno 1464. Corpus Romam delatum apud S. Petrum annos aliquot, mox in Templo S. Andreæ de Valle iacuit cum hac Epigraphe.

PIVS II. Pont. Max.
Natione Tuſcus,

 Patria

Patria Senenſis, gente Piccolominea
Sedit An. VI. auguſta
In auguſto Pontificatu gloria
Conuentum Chriſtianorum Mantuæ
Pro fide habuit.
Oppugnantibus Rom. Sedis intra
Atque extra Italiam reſtitit.
Catharinam Senenſem
Inter Sanctas Chriſti retulit
In Gallia Pragmaticam abrogauit
Ferdinandum Aragonen.
In Regnum Siciliæ cis fretum reſtituit.
Rem Eccleſiæ auxit
Fodinas inuenti tum primum aluminis
Apud Tolfam inſtituit.
Cultor Iuſtitiæ & Religionis, eloquio admirabilis
Parata claſſe, ac Venetorum Duce
Cum ſuo Senatu Commilitonibus Chriſti habitis
In bello Turcis indicto
Anconæ deceſsit
Ex Patrum decreto in Vrbem relatus,
In Baſilica S. Petri
Anno MCCCCLXIV. conditur
Tum relicto ibidem capite S. Andreæ Apoſtoli,
Vbi ad ſe
Peloponneſo aduectum collocarat
Alexanderi Peretti
Card. Montalti pietate, huc cum PII III.

Nepo-

Nepotis oſsibus
Summo translatus honore
hic honorificè tumulatur
Kal. Febr.
Anno MDCXXIII.

Scripſit de miſerijs Curialium librum vnum, qui prodijt hiſpanicè & latinè anno 1529.
De educatione liberorum
Solutionem quæſtionum libro vno
De duobus Amantibus librum vnum
Contra Thaboritas de communione Corporis Chriſti librum 1. qui prodijt Pariſijs 1562.
Ad Nicolaum Cuſanum librum vnum
De fide ad Turcam lib. 1. quem gallicè reddidit, & ſcholijs illuſtrauit Petrus Crepetius 1589. & italicè Antonius Peregrinus.
De profectione in Turcas lib. 1.
Ad Epiſcopum Cracouienſem lib. 1.
De ortu & hiſtoria Boemorum lib. 1. qui prodijt Baſileæ 1552.
Pręcepta Rhetoricæ libro vno
Pro laude Homeri Præfationem Londini 1509.
Diploma Chriſtianorum militantium contra Turcas, & Epiſtolam ad Chriſtophorum Maurum Ducem Venetiarum
De aduentu Sigiſmundi Coſtantiam Epiſtolas
Epiſtolam ad Morbiſanum Turcarum Principem, aliam ad Archiepiſcopum Genuenſem Venetijs 1574.
Pararellam Alphonſinam, ſeu Commentarium in 4. libros Antonij Panormitæ de dictis & factis Antonij Regis Aragonum. Vittebergæ 1585.
Hiſtoriam Aſiaticam Pariſijs 1534. & alibi
De Aſia minori librum
Hiſtoriam Europæam Pariſijs 1534. & alibi
Rerum in Italia ſuo tempore geſtarum libros 12. decimum tertium incepit, ſed non perfecit.
Hiſtoriam Germanicam.
De auctoritate, & ortu Romani Imperij lib. 1.

 De

De origine & progreſſu Romani imperij.

Hiſtoriam de geſtis ſub Federico III.

De Hungaria, & de geſtis in ea.

Faſciculum rerum expetendarum.

Decadum Blondi Epitomen, extat Patauij M. S. in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis.

De bono pacis.

Hiſtoriarum librum 1.

Geographiam totius Orbis.

De ortu Nili fluminis librum 1.

De Concilio Baſileenſi libros 2. qui extabant M. S. in Bibliotheca Ducis Vrbini & Baſileæ, & retractationem.

De fato librum 1.

De ſtudio venandi librum 1.

De præſentia, alijs de præſcientia Dei librum 1.

De grammatica librum 1.

Dialogum contra Turcas libro vno.

De clade vniuerſali Eccleſiæ librum vnum.

De rebus à ſe geſtis librum. Romæ 1584.

De clade Conſtantinopolitana Orationem.

De prauis mulieribus libellum, euulgatum in Germania.

Epitaphiorum libellum. Ibidem

Orationum librum qui Florentiæ & Senis M. S. aſſeruatur.

Orationem ad Calliſtum III. M. S. Patauij.

De morte Eugenij IV. creationeq., ac coronatione Nicolai V. in Summum Pontificem.

Orationem in Conuentu Mantuano habitam. extat M. S. Patauij, euulgata Pariſijs 1668.

Orationem coram cœtu Cardinalium.

De aduentu capitis S. Andreæ Apoſtoli, & de ſanguine Chriſti librum 1. extabat M. S. in Bibliotheca Ducis Vrbini.

De erratis Pariſienſium librum 1.

De defenſione Poetices lib. 1.

De dignitate Cæſaris lib. 1.

Orationem Mantuæ habitam in reſponſionem ad Oratores Regios Francos. extabat M. S. apud Iacobum Philippum Tomaſinum.

Nicolai V. obitum, & Calliſti III. creationem M. S. apud eumdem.

Reſponſionem ad Martinum Meyer pro Eccleſia Romana anno 1584. Romæ

Epi-

Epigrammata, variaq. poemata & carmina; inter quæ vnum de Purificatione

Sententias in prouerbij modum. Baſileæ 1575.

Remedium amoris. Pariſijs 1548.

Hiſtoriam amorum Euriali & Lucretiæ. Pariſijs, diuerſum à ſuperiori.

Familiarium Epiſtolarum opus in quadruplici eius ſtatu tranſmiſſarum; primò cum eſſet imperialis Secretarius, deindè Epiſcopus Senenſis, poſtea Cardinalis, poſtremò Pontifex; ſunt enim omnes Epiſtolæ 431. quæ prodierunt Nurembergæ anno 1481. ſtudio Nicolai Dieuuillæ. qui ſingulis argumentum præfixit.

Dialogum in quo diſputat quis magis Adam, & Eua peccauit

Cõſtitutiones Eccleſiaſticas plures.

De Ænea Syluio, ſeu Pio II. tractarunt cum laude Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Ioannes Gobellinus in Comentarijs Gregorius Lollius in Epiſtolis, Ægidius Viterbienſis Cardinalis in hiſt. Auguſtinus Patritius de ritibus S. R. E. Antonius Poſſeuinus iunior in hiſt. Gonzagæ familiæ; Hippolythus Doneſmundus in hiſt. Eccleſiaſtica Mantuana; Archangelus Gianius in Annal. Seruorum B. Mariæ, Ianus Vitalis in Carminibus, Felix Contelorius in Elencho, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium, Bellarminus de Eccl. Iacobus Gaddius de non Eccl. Marraccius de Marianis Scriptoribus: Io: Petrus Creſcentius de nobilitate Italiæ; Martinus Cromerus in hiſt. Poloniæ; Hieronymus Grimbertus, Lilius Gregorius Giraldus de claris Poetis; Ioannes Mariana in hiſtoria hiſpanica, Bizarus in Genuenſi, Iuſtinianus in Veneta, Coirus in Mediolanenſi, Bonifigli in Sicula, Pontanus in Neapolitana. Guicciardinus in ſua Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, alijq. quamplures, quos ne faſtidium pariam prætermitto.

Agapetus, alijs Ruſticus Agapetus, Gordiani Prsbyteri Cardinalis ex legitimo matrimonio filius, ex Presbytero Cardinali SS. XII. Apoſtolorum euulgatus Chriſtianæ Reipublicæ Princeps in Eccleſiæ bonum ſcripſit Epiſtolas octo, à Seuerino Binio in tomo 3. Conciliorum notis illuſtratas, licet non ſederit in Petri Cathedra niſi Menſes 9. ac dies vndeuigenti. Conſtantinopoli 12. Kal. Iunij anno ſalutis humanæ, 536. extinctus eſt; cuius corpus Romam translatum, reconditum in Vaticano his verſibus prænotatum.

Mente

Mente pia viuens Chriſti nutritus in aula
Et ſola gaudens ſimplicitate boni.
Blandus in obſequijs, & puro plenus amore
Pacificam vitam iure pietatis agens
Qui gratus Populis & celſo dignus honore
Sumpſiſti meritis pontificale decus.
Commiſſumq. tibi paſcens bonitate magiſtra
Seruaſti cunctum ſub pietate gregem.
Atq. tuum rite venerans Agapetus honorem
Præſtitit hæc tumulo munera grata tuo.
Qui nunc Antiſtes Romana celſus in Vrbe
Sedis Apoſtolicæ culmina ſacra tenet.

Huiuſce Sancti Pontificis res geſtas narrant Cardinalis Baronius in Annalibus, Paulus Diaconus in hiſt. Caſſiodorus in præfat. de inſtit. diuin. ſcript. Panuinius Ciaconius eiuſq. Auctarij in Vita Sanctus Gregorius Papa in Dial. Paulus de Angelis in deſcript. Baſil. Vatic., alijq. omnes qui rem Eccleſiaſticam & Pontificiam tractarunt.

Agapetus, alijs Agapitus patria Romanus, Benedicti filius S. R. E. Cardinalis qui ſummum in Eccleſia Principatum per annum vnum; Menſes tres, dies vndeuigenti regendo dictus eſt Hadrianus III. ſcripſit literas plures, licet vna tantum reperiatur ad Baſilium Imperatorem, quæ eſt apud Binium tomo 7. Conciliorum, Deceſſit 7. Idus Maij anno redemptionis humanæ 885.

Celebrant Agapetum, Ciaconius & illius Auctarij, Lodouicus Iacobus à S. Carlo in Bibliotheca Pontif. Baronius in Annal. S. Antoninus, alijq. omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Agapetus, ſeu Agapitus, alius à ſuperiori, Diaconus Cardinalis floruit doctrina, pietate, prudentiaq. ſingulari ſeculo ſexto poſt Chriſtum natum, ſub Iuſtiniano Imperatore, quem vt vera, chriſtianaq. ciuili ratione erudiret, græcè ſcripſit Capita quædam admonitoria ſub Titulo Regia Scheda, quæ tum græcè tum latinè typis Venetis anno ſeculi decimi ſexti primo ſupra ſexageſimum euulgata vidi, illaq. curioſè atq. contentè maximi mei animi voluptate lectitaui. Vtinam Principes omnes. ac Reges Chriſtiani, illa procurarent, ac exequerentur.

Agatho

Agatho natione Siculus Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, & inter Petri ſucceſſores omnium ſuffragijs relatus duas miſit Epiſtolas ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, vnam cum actis Synodi quam Romæ conuocauerat, & tertiam ad Archiepiſcopum Viennenſem, quibus functus operibus, annis & meritis grauis cum Eccleſiæ res ſanctiſſimè adminiſtraſſet, per annos duos, & menſes ſex., nonagenario maior morbo, naturæq ceſſit anno reparatæ ſalutis octogeſimo ſecundo ſupra ſexcenteſimum 4. Idus. Ianuarij.

Ad huius Sepulchrum in Vaticano olim legebatur tale Epitaphium.

Pontificalis apex virtutum pondere fultus
Vt iubar irradiat, perſonat vt tonitru.
Quæ mox hic peragit doctrinæ fomes, & auctor
Format enim geſtis, quos docet eloquijs.
Dum ſimul æquiparet virtus, & culmen honoris
Officium decorat moribus, arte gerit.
Praditus his meritis Antiſtes Summus Agatho
Sedis Apoſtolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en priſca fides: inſignia Patrum
Intemerata manent niſibus, alme tuis.
Quis verò numeret morum documenta tuorum
Formula virtutum cum tua vita foret?

De hoc Pontifice Sanctis adſcripto tractant Baronius in Annalibus, Ciaconius & Auctarij in Vita; Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum. Hieronymus Maraphiotus in Calabriæ, Rubeus in Rauennæ hiſtorijs; Rocchus Pyrrhus in Notitijs Eccl. Sicil. Ioannes Bollandus in Vita, Panuinius, Martyrologia Romanum & Galeſini, Græcorum, Maurolyci, Germanicum, Carthuſiani Colonienſes in Additionibus ad Vſuardum, Ferrarius, Hugo Menardus, Vuion, Dorganius, Octauius Caietanus de SS. Siculis, Franciſcus Scorzus in Vita, alijq. plures qui de Sanctis, nec non de Romanis Pontificibus tractarunt.

Albericus Monachus Caſſinenſis Ordinis S. Benedicti à Stephano x. alijs ix. renuntiatus S. R. E. Diaconus Cardinalis, doctrina & virtutibus ſuo æuo clarus, denatus Romæ anno reconciliationis humanæ 1106. ſepultus in Eccleſia SS. IV. Coro.

Coronatorum, ſcripſit contra Imperatorem Henricum de Romani Pontificis electione.

Contra Berengarium Diaconum Eccleſiæ Andegauenſis de veritate Sacramenti Euchariſtiæ, cuius rationibus ſuperatus Berengarius errorem ſuum publicè eiurans ſuſcepta peregrinatione ſatisfecit peccato.

De Virginitate Virginis Mariæ librum vnum
De Aſſumptione eiuſdem Hymnos & Sermones tres
De Muſica dialogum.
De diuerſis dictaminibus, & ſalutationibus
De dialectica
Paſſionem SS. Modeſti & Cæſarei
Vitam S. Dominici Abbatis
Vitam S. Scolaſticæ, & de ea homiliam
Hymnos, Rythmos & Epiſtolas plures

Quæ omnes lucrubationes habentur M. SS. in Bibliotheca Cœnobij S. Crucis Fratrum Minorum Conuentualium S. Franciſci Florentiæ, & aliquæ in Caſſinenſi

Meminit Alberici Petrus Diaconus lib. de vita Iuſtorum Caſſinenſium; Io: Baptiſta Mari in Notis ad Petrum Diaconum, Ciaconius. cum Auctarijs, Panuinius, Marraccius in Bibl. Marriana, qui illum facit natione Campanum ex oppido ſeptem Fratrum, ſed ille Albericus Campanus alius fuit ab hoc noſtro, licet vterq. profeſſus Caſſinenſis.

Albericus Presbyter Cardinalis nec non S. R. E. Cancellarius literas ſcripſit Lambardo Præſuli Beneuentano anno ſalutis 1179. quas Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis reſcripſit in tomo 8. ſuæ Italiæ ſacræ.

De hoc Alberico eſt mentio apud Auctarios Ciaconij.

Albertus Epiſcopus Cardinalis Nepeſinus renuntiatus à Clemente III. Pſeudopontifice, adfuit Conciliabulo Romano habito contra Catholicos, & Synodalem cum ſocijs elucubrauit Epiſtolam, miſſam ad omnes Deum timentes, ad diligentes ſalutem Romanæ Reipublicæ.

De Alberto Ciaconius & Ferdinandus Vghellius in Syllabo Epiſcoporum Nepeſinorum.

Albertus Auſtriacus Archidux Auſtriæ, Maximiliani II. & Mariæ Caroli V. filiæ natus, Rodulphi II. Imperatoris frater, Diaconus primò, mox. Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem à Gregorio XIII. renunciatur cum annum ætatis primum ſupra vigeſimum ageret; per decennium Regnum Luſitani.

tanicum cum tegeret Apoſtolicæ Sedis nomine, in eodem Regno Legationem geſſit; Archiepiſcopus deinde Toletanus cuulgatus Philippi II. iuſſu Belgium adminiſtrauit, ac dimiſſa purpura in vxórem duxit Iſabellam Claram. Eugeniam filiam Philippi II. & Belgij Principatúm obtinuit vbi pius, ſapiens, ac prudens Princeps plura extruxit Templa, & pro religioſis viris Cænobia, pauperes fouit; vti etiam ingenio & artes. à grauibus negotijs feriatus ſelectos ſcriptores Hiſtoricos præcipuè, & bonos Politicos percurrebat; Muſas Marti iungebat. piè deceſſit ſine prole anno 1621. ætatis 61. die 13. Iulij magno ſui Belgis relicto deſiderio. Cadauer Franciſcani Ordinis veſte indutum in maiori Bruxellenſis Vrbis Templo ante principem aram ſepultum cum hoc Cœnotaphio ab Auberto Miræo exarato.

SERENISSMO PRINCIPI ALBERTO
Pio, ſapienti, prudenti
Auſtriæ Archiduci
Neapoli in Auſtria MDLIX.
Idibus Nouembris
Patre Maximiliano II. Cæſare feliciter nato
Madriti Carpentanorum
A teneris in Aula, & oculis Auunculi
Philippi II.
Regis Catholici
Sanctè educto, qui primus Luſitaniæ Prorex
Ab eodem
Conſtitutus Regnum recens partum
Ac
Fluctans ſua prudentia firmauit.
Erneſto fratre è viuis ſublato Belgicę
Ac
Burgundiæ primum Gubernator,

 poſt

Poſt Princeps publico dono datus
Quod ſera poſteritas
Vix crederet. Imperij Romani
Coronam
A VII. Viris bis delata, bis reſpuit.
Prouinciæ Belgicæ
Ob religionem, prudentiam, fortitudinem,
Conſtantiam iuſtitiam,
Altaſq. virtutes verè regias,
Quibus.
Tot o vitæ decurſu. clariſſimus hoſtibus
Etiam gratus extitit,
In pientiſſimum Patriæ Parentem affectus
Teſtandi gratia PP.

Scripſit Albertus pro Conceptione Virginis Mariæ literas plures Romano Pontifici, quas referunt Fr. Lucas Vadingus in tractatu de Conceptione, atq. ex illo alij. De hoc Cardinali, ac Principe tractant Ciaconij Auctarij, Cabrera, Petramellarius, Aubertus. Miræus, Hippolitus Marraccius in Bibl. Mariana, & in Purpura; Henricus Catarinus Dauila in hiſt. Gall. Guido Card. Bentiuolus, & Famianus Strada in hiſt. Belgica. Summontius in Neapolitana, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Auberius in Vita., alijq. omnes qui hiſtorias ſui æui tractarunt.

Albertus Bolognettus natione Italus, patria Bononienſis, Franciſci Senatoris, & Lucretiæ Elephantucciæ filius anno ſalutis 1538. V. Kal. Auguſti natus à Gregorio XIII. Referendarius vtriuſq. Signaturæ primò conſtitutus, deinde Sedis Apoſtolicæ apud Florentiæ Ducem, tum apud Rempublicam Venetam Nuncius, Maſſæq. Populoniæ Epiſcopus renuntiatus eſt; poſtremò ad Stephanum Bathorium Poloniæ Regem Legatus in Presbyterorum Cardinalium Collegium abſens cooptatur. poſt Gregorij XIII. obitum. Romam properans è Polonia. febri.

febri correptus apud Germanos in oppido Vacòrio anno Chriſti 1585. ætatis ſeptimo ſupra quadrageſimum x. kal. Iunij vitæ conceſſit. Cadauer Bononiam delatum, repoſitum in Maiorum ſepulchro ſub hoc Elogio

D. O. M.

Memoria
ALBERTI BOLOGNETTI
FRANCISCI SENATORIS
Filij
Literis, prudentia,
Atque omnibus Chriſtianis virtutibus
Clariſſimi,
Qui legum ſcientiam Bononiæ
Et
Salerni ſumma cum laude profeſſus
A Gregorio XIII.
Pont. Max.
Euocatus primùm inter V. S. Referendarios
Adſcribitur.
Mox Florentiam, tum Venetias
Vbi Maſſę Popoloniæ
Epiſcopus creatur, poſtremò ad Stephanum I.
Poloniæ Regem Legatus,
In ampliſſ. Cardinalium Ordinem
Cooptatus,
Inde Romam ad nouum eligendum
Pontificem
Contendens febri in itinere correptus
In Germaniæ oppido Vacorio

Sanctiſſimè in Domino quieuit MDLXXXV.
Vixit Annos XLVI. Menſes IX. Dies XXI.
Alexander Bolognettus
Senator Fratris
Opt. meriti oſſibus in auita ſepulchra tranſlatis
Monumentum hoc P. C.

Extant Alberti Bolognetti ſingularia legalis ſapientiæ ſigna, Diſputationes videlicet de lege, Iure, & æquitate typis datæ inter vniuerſi Iuris tractatus.

Et commentaria ad rebuffi §. de verborum obligationibus. Romæ 1571. in fol.

Meminere Alberti Auctarij Ciaconij, Petramellarius, Annales Gregorij M. SS. Pompejus Vizzanus in hiſt Bononienſi, Franciſcus Amadei de nobil. eiuſdē Vrbis, Auctor vitæ Gregorij XIII. Doglionus in hiſt. Ferdinandus Vghellius in Ital. ſac. Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Antonius Bumaldus in Biblior. Bonon.

Albertus de Brandeburgo, Ioannis Marchionis Electoris, & Margaretæ Saxoniæ filius ex Canonico Moguntinenſi Archiepiſcopus Magdeburgenſis Germaniæ Primas, Eccleſiæ Halberſtatenſis Adminiſtrator, Moguntinus Antiſtes, in Cardinalium Collegium cooptatus, à Thoma Caietano Legato Apoſto'ico purpureæ inſignibus condecoratus, auctor fuit vt Carolus V. Francofurti eligeretur Imperator. Martino Luthero Nouatorum in Germania anteſignano hereſim ſuam diſſeminanti egregiè voce & ſcriptis obſtitit, illumque epiſtolis & exortationibus ad meliorem vitam reducere tentauit ſub huius Archiepiſcopi nomine eſt euulgatus libellus de Indulgentijs, contra quem Lutherus ſcripſit.

Præclaræ indolis Princeps cum doctrina pietatem, cæteraſq. virtutes vſq. ad ſupremum vitæ ſpiritum raro ornamento cumulauit. Moguntiæ defunctus 8. kal. Octobris anno ſalutis 1545. ætatis 55. in Templo primario S. Martini ad aræ ſummæ baſim inciſum marmori hoc Epitaphium.

Albertus iacet hoc loco ſepultus,
Qui de ſanguine regio creatus

Lumen

Lumen Cardinei fuit Senatus:
Qui virtute potentiaq. rexit
Magni Saxonicus Othonis vrbes,
Et Mogunciaci fluenta Rheni.
Nil Germania maius hoc habebat,
Nam de litibus, arduiſq. rebus
Conuentus vbi Principes agebant
Verbis promptus & elegante lingua,
Ceu Laertiades regebat alter,
Tutum conſilio ſuo Senatum,
Ac tot diſſidijs vbiq. motis
Terrarum bene conſulebat orbi.
Pacis ſuaſor erat, quieta pacis
Sauis ocia præferebat armis,
Quin & in iuſtitia tenax & æqui
Dignas ſontibus irrogare pœnas,
Complectiq. bonos & innocentes
Mitis non ſecus ac parens ſolebat.
Nec fuluum ſibi congregabat aurum,
Doctos munera conferens in omnes,
Diſpenſabat opus, manuq. larga
Sacras Pieridum fouebat artes.
Nunc lugubria tectus ora velo
Albis, Rhenus, Nauellus hunc peremptum,
Fontis Pegaſci cohors, & omnis
Eſt Republica proſecuta fletu.

De hoc Cardinali tractant Serarius in Móguntina hiſt. Trithemius in hiſt. S. Maximini, Sammarthani tomo 1. Gall. Chriſt. Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberius in Vita, Henricus Albi in Elogio, Genebrardus, Laurentius Surius, Bruſchius de Archiep. Mogunt. Felix Contelorius in Elencho, Henricus Spondanus in Annal. & alij multi.

Albertus à Mora, alijs Spanadrionis, patria Beneuentanus, natione Italus, ex Presbytero Cardinali renuntiatus Romanus Pontifex præfuit Eccleſiæ Catholicæ ſub nomine Gregorij VIII. dies 27. ſupra menſem vnum, quo breui tempore Epiſtolas plures ad Principes Chriſtianos direxit, vt illos commoneret ad opem Terræ Sanctæ ferendam, quarum aliquæ euulgatæ ſunt in tomo 7. Conciliorum, & aliæ apud Ferdinandum

dum Vghellium. Paſis è vita migrauit viij. Kal. Ianuarij anno Dominicæ Incarnationis 1187.

Celebrant Albertum Ciaconius eiuſq. Auctarij, ac Bernardus in Vita, Panuinius in Vita, Ioannes Stella, de Rom. Pont. S. Antoninus, Iacobus Gaulterius in tab. Chronol. Genebrardus in Chronol. Carolus Sigonius de Epiſc. Bononienſibus. Rogerius in Annal. Anglorum, Petrus Ricordatus in Monaſtica, Capicius Latro & Summontius in Neapolitana, Ghirardaccius & Vizzanus in Bononienſi, Coirus in Mediolanenſi, Guarinus in Ferrarienſi Ammiratus in Florentina hiſtoria, Baronius tom. 12. Annal. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia, alijq. quamplures,

Mag. Domus Albinus Mediolanenſis Canonicus Regularis Monaſterij S. Mariæ de Creſcentiaco, Mediolanenſis, Diaconus Card. S. Mariæ nouæ primò, deinde Presb. S. Crucis in Hieruſalem à Lucio III. atq. à Clemente item III. Epiſcopus Albanenſis renuntiatus librum compoſuit prænotatum Collectio Canonum, qui M. S. aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana. Vita functus eſt ſub Cœleſtino III. circa annum noſtræ ſalutis 1198.

De noſtro Albino cum laude tractant Io: Philippus Nouarienſis in Chronico, Gabriel Pennottus in hiſt. Canonicorum, Regularium, Ciaconius, Pauinius, Auberius, Baronius.

Alderanus Cybo Caroli Principis Maſſæ & Carrariæ ex Brigida Spinula vxore filius natus anno decimo tertio voluentis ſeculi decimi ſeptimi, ab Innocentio X. Romano Pontifice ex Palatij Apoſtolici ſupremo Præfecto S. R. E. Presbyter Cardinalis renuntiatus, Vrbini primùm, mox Æmiliæ, ac Ferrariæ Legatus Apoſtolicus & Epiſcopus Æſinus edidit Ordinationes & Decreta in Synodo anno ſalutis humanæ 1658. celebrata. Eiuſdem literas italica lingua euulgatas inuenies in prima parte Epiſtolarum memorabilium à Michaele Iuſtiniano Abbate collectarum, qui eiuſdem Cardinalis meminit in prima parte Syllabi Scriptorũ Ligurum, & nos in quarto tomo Vitarũ Romanorum Pontificum & Cardinalium, atq. in Atheneo Liguſtico.

Alexander Campegius nobilis Bononienſis, Laurentij Cardinalis ex legitima vxore ante purpuram natus die 11. Aprilis anno 1504. ingenio, morum ſuauitate, linguarum peritia, humanitate, ac liberalitate commendatus ſemper apud omnes vixit. hic Apoſtolicæ Cameræ Clericus, & Bononienſis Eccleſiæ Antiſtes, Auenionenſem dictionem Proiegatus prudenter curauit, & ad hæreticam peſtem Pauperum Lugdunenſium, Prouinciam corrum-

corrumpentem compeſcendam & abolendam toto pectore incubuit. Interfuit Synodo Bononiam Tridento translatę. Presbyteris Cardinalibus à Iulio III. adſcriptus Titulum S. Luciæ in Silice obtinuit. at non diu ſuperuixit, nam 11. Calendas Octobris Romæ ceſſit è vita anno ſalutis 1554. ætatis 48. Corpus in æde S. Mariæ Tranſtyberim tumulo temporario traditum, poſt nonnullos annos Bononiam translatum in Eccleſia S. Bernardini iuxta Laurentium parentem quieſcit. Scripſit Alexander de auctoritate Romani Pontificis librum vnum.

Eſt Alexandri mentio apud Auctarios Ciaconij, Carolum Sigonium, Ferdinandum Vghellium de Epiſcopis Bononienſibus, Garimbertum, Auberium, Ludouicum Iacobum à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, alioſq.

Alexander Cæſarinus ſenior Romanus ſub Leone X. Diaconus Cardinalis, Eccleſiæ Pampilonenſis Epiſcopus, Statuta ſcripſit, nec non Conſtitutiones quas publici iuris fecit anno ſalutis 1531. vir ingenio clarus, ac iuris ſcientia conſultiſſimus vitam produxit vſq; ad annum ſecundum ſuper quadrageſimum eiuſdem ſeculi; die enim 13. Februarij è mortali corpore anima immortalis euaſit, vt æternis frueretur.

Meminere noſtri Alexandri Auctarij Ciaconij, Auberius in Vita, Stephanus Ioannienſis in Monarchia Medicea; Ioſeph Maria Suareſius de Epiſc. Præneſt. Florauantes Martinellus de Diaconia S. Mariæ in via lata; Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Felix Contelorius in Elencho, Cardinalis Sadoletus in Epiſt. Iouius in Leone X. & alij.

Alexander iunior Cæſarinus Romanus natus Romæ anno ſeculi decimi ſexti ſecundo ſupra nonageſimum ex Iuliano Ciuitatis nouæ Duce, & Lucia Vrſina, Virginij frater, ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico ab Vrbano VIII. promotus ad ſacram purpuram, S. Mariæ in Dominica Diaconiam primò, deinde S. Euſtachij, demum S. Mariæ in via lata obtinuit. improuiſa angina correptus, annum ſecundum ſupra quinquageſimum agens Romæ obijt die 25. Ianuarij, anno ſalutis 1644.

Hic deſcripſit acta Conſiſtorialia Vrbani Pontificis ab anno 1628. vſque ad 1642. quæ extant M. SS. apud Hærędes.

De quo vide plura apud Auctarios Ciaconij.

Alexander Farneſius ſenior patria Romanus natus die 23. Februarij anno ſeculi decimi quinti octauo ſupra ſexageſimum, eximia Parentum cura educatus, Pomponio Læto magiſtro vſus

primo

primò eſt, deinde Florentiæ in Laurentij Medicei Academia latinæ, græcæq. linguæ, nec non optimarum diſciplinarum ſtudijs addictus non vulgares progreſſus in omnibus fecit. Romam reuerſus Rodericum Borgiam coluit, Scriptor & Protonotarius Apoſtolicus; inde Pontificio Ærario, & Eccleſiæ Montis Faliſci, ac Corneti præpoſitus, ab Alexandro VI. in Cardinalium Collegium cooptatur. Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani, Patrimonij, ac Piceni Legationem, cum Eccleſia Parmenſi obtinuit. a Leone X. ad Tuſculanam, Præneſtinam, Sabinenſem, Portuenſem, & Oſtienſem diuerſis temporibus translatus eſt; nemini addictus, omnibus gratus, integritatis, prudentiæ, dexteritatis laudem promeruit; quadraginta & amplius annis in purpura vixit, deinde renunciatus Summus Pontifex dictus eſt Paulus huius nuncupationis tertius.

Tantus hic vir iuuenis adhuc Ciceronis Epiſtolas ad Atticum declarationibus illuſtrauit, Verſus plurimos, & literas ſcripſit. extant tredecim eius Epiſtolæ ad Federicum Nauſeam, Eraſmum, Corteſium, & alios doctrina præſtantes viros. Romanus Pontifex edidit Conſtitutiones plurimas & Epiſtolas ad diuerſos, præcipuè ad Carolum V. Imperatorem, Franciſcum I. Galliarum Regem, & Iacobum Sadoletum Cardinalem. Cum ſediſſet in Pontificatu annos 15. dies 28. x. Nouembris anno 1549. ætatis 82. è viuis abijt, poſt obitum ſepultus in Vaticano in pernobili ſepulcro ſub hac Epigraphe

PAVLO III. FARNESIO
Principi
Optimo Maximo.

De Paulo tractant, Panuinius, Auctarij Ciaconij in vita, Romulus Amaſæus in oratione funebri, Blaſius de Ceſena in Diarijs, Sanderus de viſibili Eccleſiæ monarchia, & de ſchiſmate Anglicano, Iouius in hiſt. Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, Iacobus Sadoletus in Epiſt. Hippolytus Marraccius in Pont. Marianis, Bonauentura Angeli in hiſt. Parmenſi, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Iacobus Gaddius de Scrip. non Eccl. alijque omnes qui hiſtoriam Pontificiam, ſeu Eccleſiaſticam, vel ſecularem illius æui tractarunt.

Alexan-

Alexander Farneſius iunior, ſenioris nepos, Petri Aloyſij Parmæ & Placentiæ Ducis, ac Hieronymæ Vrſinæ filius Romæ die 7. Octob. anno 1520. natus a Clemente vij. Eccleſiæ Parmenſis adminiſtrator, à Paulo patruo Diaconus Cardinalis S. Angeli anno ſuæ ætatis decimo quinto renuntiatus rexit progreſſu temporis Sabinenſem; Tuſculanam, Portuenſem, & Oſtienſem, Eccleſias, Decanus Cardinalium Collegium, Sanctam Romanam Eccleſiam Vicecancellarius, Archipresbyter Liberianam primò, mox Vaticanam Baſilicas. moderatus eſt Præſul Giennenſem in Hiſpania, Maſſenſem in Etruria, Spoletanam in Vmbria, Viſenſem in Luſitania, Anagninam in Hernicis, Maceratenſem in Piceno, Herbipolenſem in Germania, Bituntinam in Neapolitano Regno; Archiepiſcopus vero Auenionenſem, Montis regalis in Sicilia, Beneuentanam, & Patriarcha Hyeroſolymitanam Cathedram. Legationes item plurimas geſſit, videlicet ad Carolum V. Cæſarem & ad Galliarum Regem, Auenionenſem, & Patrimonij S. Petri; Tantus hic Cardinalis literas plures negotialis exarauit, quarum aliquæ publici iuris ſunt, aliæ M. SS. aſſeruantur, apud Parmenſem Ducem, apud Burgheſios, & Barberinos Romæ è vita migrauit in Vrbe die 2. Martij anno ſalutis 1589. ætatis 69. iacet in Templo Nominis Ieſu a ſe erecto ſub hac Epigraphe.

ALEXANDRI FARNESII
Cardinalis
S. R. E. Vicecancellarij
Epiſcopi Oſtienſis
Huius Eccleſiæ Fundatoris.

Celebrant Alexandrum Auctarij Ciaconij, Auberius in Vita, Sammarthani in Gallia, Gaſpar Iongellinus in hiſt. Abbatum Ciſtercienſium, Antonius Sanderus in Elogijs Cardd. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana, Lud. Iacobus a S. Carolo in Bibl. Pont. Iò: Ant. Petramellarius, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Paulus de Angelis in deſcript. Baſilicæ Liberianæ, Aloyſius Lellus in hiſt. Montis regalis, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho, Marius Vipera in Chronol. Archiep. Beneuentanorum, Iac. Philippus Tomaſſinus in Elogijs, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Rocchus Pyrrhus in not. Eccl. Siciliæ Hieronymus Fracaſtorius in Carm. Iacobus Sadoletus in Epiſt. Sfortia Card. Palaui-

Palauicinus in hiſt. Concil. Tridentini, alijq. quamplures.

Alexander Ludouiſius natione Italus, patria Bononienſis præclariſſimæ in dolis, ac ſpectatiſſimæ virtutis, Patriæ Antiſtes, Preſbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſpontinæ, demum Romanus Pontifex, ſacrum principatum geſſit per annos duos, & menſes quinque vno tantum die excepto, ediditq. ex officio Eccleſiaſticas conſtitutiones & literas Apoſtolicas plures, inter quas vnam de Conceptione B. Mariæ, de creationibus Romani Pontificis, ac Cæſarum duas. Deciſiones quas elaborauerat Iudex Rotæ Romanæ, Oliuerius Beltrammius I. C. notis adiunctis euulgauit Romæ. Reliquit etiam Nepoti monita egregia quæ M. SS. per manus multorum circumferuntur. Obijt Romæ in Quirinali 8. Idus Iulias anno ſalutis 1623. Corpus iacet in Templo S. Ignatio Fundatori Societatis Ieſu ſacro, à Nepote Cardinali extructo in temporario ſepulchro adnotato.

GREGORIO XV.
Pont. Max.

Eſt Gregorij cum laude mentio apud Auctarios Ciaconij, Ferd. Vghellium in Ital. ſac. Henricum Spondanum in Annal. Eccl. Guidonem Card. Bentiuolum in memorijs hiſtoricis, Io: Nicolaum Paſchalem de Vrbe Bononienſi, Hippolytum Marraccium in Pont. Marianis, Io: Matthæum Caryophilum in Carm. Io: Petrum Capriatam in hiſt. Hannibalem Adamum in Pallade purpurata, Iacobum Accariſium, & Theodorum Amydenium in Vita M. SS. Nicolaum Villanum, Patritium Rocchum, Azonem Arioſtum in carmine, Antonium Bumaldum in Bibliot. Bononienſi, alioſq. multos, qui hiſtorias voluentis ſeculi decimi ſeptimi narrarunt.

Alexander Oliua, ſeu de Oliua Italus patria Saxoferratenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Procurator primò, tum Prior Generalis, Theologica doctrina celebris, & vitæ ſanctitate illuſtris abſens inter Presbyteros Cardinales Titulo S. Suſannæ ad duas Domos à Pio II. cooptatus legatione functus eſt ad recipiendum caput S. Andreæ Apoſtoli. Viros doctos ac probos magni fecit; illorum verò genera perniicioſa Reipublicæ iudicabat, qui mendaces ſunt, quiq. credita ſecreta aperiunt, nam primi ſuam, alij fidem produnt alienam. ægrotans à Seruis non initiatis ſacris tangi noluit. obijt annum ætatis agens quintum, ſeu ſextum ſupra

quin-

quinquageſimum Tibure 21. Auguſti anno ſalutis 1563. Cadauer Romam delatum ad D. Auguſtinum, iacet in Tumulo cum ſequenti Elogio.

Vt tibi ſola probitas, non gratia ſoli
Digno Cardineum nomine, req. decus.
Sic eadem indignis raptum dum tollit ad aſtra
Felix hoc, inquit, Principe Roma foret.

ALEXANDRO OLIVA
Saxoferraten.
Theologo clariſſ.
Eremitarum B. Auguſtini ab infantia
Spei maximæ.
Alumno,
Qui cum eſſet ſui Ordinis
Generalis
Ob ſingularem doctrinam,
Et
Vitæ Sanctimoniam Cardinalis
A Pio II.
Ignorans creatus eſt.
Vix ann. LV. obijt Ann. Sal.
MCCCCLXIII,
XII. Kal. Septembris.

Pro poſteris ſuæ doctrinæ monumenta reliquit
De ortu Chriſti, ſeu de partu Virginis Mariæ Sermones centum
De cœna cum Apoſtolis facta tractatum
De peccato in Spirtum Sanctum Opus
Orationes plures elegantes

Aliaq. multa quæ morte preuentus emendare non valuit, ideò, euulgata non ſunt.

Celebrant Alexandrum Auctarij Ciaconij, Thomas Gratianus in Anaſtaſi, Herrerea in Alphabeto Auguſtiniano, Marraccius in purp. & Bibliotheca Mariana, Ioſeph Pamphilus in Chronico, Auberius in Vita, Ioannes Campanus, Epiſcopus Interamenſis in Oratione funebri, Panuinius, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Cardinalis Papienſis & Franciſcus Phillelphus in Epiſt. Hieronymus Garimbertus, Antonius Sanderus in Elog. Antonius Poſſeuinus, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Nicolaus Cruſen in Chron. Ord. & alij multi.

Alexander Vrſinus Romanus, Virginij Ducis Brachiani filius, & Pauli Iordani nepos, nactus eſt à natura ingenium perſpicax, acutum, docile, nobile, increſibilemq. morum ſuauitatem, & elegantiam. Educatus eſt in domo Ferdinandi Medicei, magni Ducis Etruriæ aui ſui materni, vbi quod habuit à natura boni non ſolum alere, verum etiam augere maximè valuit. Senis, ac Piſis Iuri canonico, Romæ Philoſophiæ, ac Mathematicę operam dedit. hunc iuuenem, adhuc 22. annorum Paulus huius nominis V. Rom. Pont. Diaconum Cardinalem die 2. Decembris anni 1621. dixit; interfuit Comitijs, Gregorij XV. ſub quo Legationem Æmiliæ adminiſtrauit. poſt legationem Germaniam inuiſit. Romam repetens totum ſe vitæ ſanctitati, vigilijs & ieiunijs dedit. propè Brachianum, quod oppidum eſt Romæ vicinum, Ducum Vrſinorum ſedes. quo in loco ædificare Monaſterium ſtatuerat cui fabricæ cum diù, noctùq. aſſiſteret, à calcis malo odore morbum contraxit, quo intra paucos dies ſummo bonorum mœrore conſumptus eſt die Sabbati 22. Auguſti anno ſalutis 1626. ætatis 31. Cadauer tumulo datur in Vrbe apud Patres Societatis Ieſu in Templo Farneſiano ſecus oſſa Cardinalis Bellarmini, prout ab eodem Bellarmino viuente impetrauerat. Scripſit plura tum ſoluta, tum, vincta oratione; inter illa eſt Oda de Chriſti paſsione elegantiſsima; & de eodem argumento horas nocturnas, diurnaſq. recitandas, & de S. Ioſepho Sponſo Deiparæ, varia exarauit. Opus inchoauerat, in quo præcepta ſapientis Regis exponebat, ex quatuor Regum rebus geſtis excerpta, qui primi Regnum Hieroſolymorum obtinuerant; videlicet ex Saule qui illud fundauerat, Dauide qui ſtabiliuerat & auxerat, Salomone qui conſeruauerat, & Roboam qui perdiderat.

De Regum vnctione alterum opus adornauerat, quod morte præuentus perficere non valuit.

Laudi-

Laudibus debitis Alexandrum extollunt Auctarij Ciaconij, Ianus Nicius Erythræus part. 2. Pinacoth. Hippolytus Marraccius, in purpura Mariana, Philippus Allegambe in Bibliotheca Soc. Ieſu, Cornelius à lapide in Commen. Epiſt. S. Pauli & in 1. Epiſtolarũ Ioannis, Ioãnes Rhò in exemplis virt. & vit. Ludouicus Donius d'Attichy & Theodorus Amydenus in Vita, Petrus Courcier in opere Mariano ad annum 1626. & alij plures.

Almericus S. R. E. Diaconus Cardinalis & Cancellarius plurium Romanorum Pontificum nomine literas ſcripſit, quarum aliquas publici iuris fecit Ferdinandus Vghellius in ſua Italia ſacra. clarebat anno ſalutis 1140.

Eſt huiuſce mentio apud Auctarios Ciaconij ſub Innocentio II.

Aloyſius Capponius nobilis Florentinus à Leone XI. Cameræ Apoſtolicæ iuuenis adhuc, Theſaurarius, à Paulo V. Diaconus Cardinalis renuntiatus, vixit generis claritudine, probitate morum, conſultiſſima prudentia, ingenioq. inſignis. Romæ Preſbyterorum primus die ſeptima Maij voluentis ſeculi anno nono ſupra quinquageſimum è vita decedens ſepulchrum habuit in ſuo Titulo S. Laurentij in Lucina ſub hoc Elogio.

ALOYSIO CAPPONIO
S. R. E. Cardinali
Qui ob ſummam ingenij præſtantiam,
Solertiam, prudentiam,
Cæteraſq. præclaras animi dotes
In primo
Iuuentutis flore ad ſupremum Cameræ Apuſtolicæ
Quæſturam
A Leone XI. euectus
A Paulo V. purpura inſignitus,
Ac
Bononienſi Legatione decoratus,
A Gregorio XV.
Ad Epiſcopatum Rauennatenſem promotus
Ab

Ab Vrbano VIII.
Collegatus trium Prouinciarum
Nepoti Legato adiunctus
Ab Innocentio X.
Bibliothecæ Vaticanæ Præſes
Et
Congregationi de fide propaganda
Præfectus conſtitutus
Quiq. maximis laboribus prò Dei Eccleſia
Ac ſenio , & curis confectus
Anno ætatis ſuæ LXXVI.
Cardinalatus LI.
Vitam, non famam, nominiſq. celebrantem
Morte finiuit
Die VII. Maij MDCLIX.
Petrus Capponius Marchio ex Fratre Nepos
Magni Patrui memor
Hoc
Monumentum poſuit
Anno Domini MDCLXVII.

Extant huiuſce Cardinalis Lucubrationes plures literariæ M.SS. apud diuerſos. vidi illius literas ad Clementem Gallianum Clericum Regularem , Auctorem Voluminum trium ſub Titulo Conciliatio Eccleſiæ Armenæ cum Romana, miſſas, quibus vniuerſam illam hiſtoriam compendio & per capita, ita repetit, vt diſertè oſtendat quam frugifera , quamq. efficax ad conuellendos Armeniorum errores ea ſit, quippè quæ non aliunde adſcita argumenta, ſed ab ipſiuſmet Armenis Auctoribus & Commentarijs petita contorqueat, ſumatq. an eorumdem armamentarijs tela, quæ prauas opiniones , atq. errorum monſtra conficiant.

Extat typis Romanis euulgatum S. Andreæ Corſini Carmelitani, Epiſcopi Feſulani Elogium , ſcriptum in eius Canonizatione.

Ad

Ad hunc Cardinalem ſunt Iani Nicij Erithræi, & Tholomæi literæ, eumdem laudant Iacobus Gaddius in Poetica, Homobonus de Bonis Clericus Regularis S. Pauli in Commentarijs reſolutorijs, Franciſcus Rocchius in Elogijs Florentinorum, Albertus Draghi in Conuiuijs, Ferrantes Alborgottus in Elogio, Hannibal Adamus in Pallade purpurata, & Auctarij Ciaconij cum Ferd. Vghellio in Italia ſacra, alijſq. permultis.

Alphonſus Borgia natione Hiſpanus, diuinis, humaniſq. literis inſtructus, Iuris vtriuſq. Doctor conſtitutus, vtramq. Facultatem publicè profeſſus, a Martino III. alijs V. Presbyterorum Cardinalium Collegio adſcitus, Titulum SS. IV. Coronatorum obtinuit, & ſenio grauis, cum ſeptuageſimum ætatis annum ageret Petri Cathedram aſcendens ſub nomine Calliſti III. in ea ſedit annos tres & Menſes quatuor, quo tempore Epiſtolas plures ad diuerſos ſcripſit. harum nouem publici iuris fecit Æneas Siluius, pluresq. alias Fr. Lucas Vadingus in Annalibus Minorum. illarum vna S. Mariæ de Columna Cæſarauguſtanæ Ciuitatis hiſtoriam complexus eſt.

Compoſuit Officium Transfigurationis.

Bibliothecam Vaticanam libris Bibliothecę Conſtantinopolitanæ poſt excidium Imperij Græcorum pretio quadraginta milium aureorum emptis, maxime auxit.

Deceſſit in Vaticano 8. Idus Auguſti anno reparatæ ſalutis 1458. ætatis 80. de hoc Pontifice tractant Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Auberius in Vita, Mutius Panſa in Bibl. Vatic. Ioannes Antonius Campanus in Orat. funebri, Cęſar Baronius in Not. ad Martyrolog. Rom. Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Ianus Vitalis in Carm. Felix Contelorius in Elencho, Pius II. in Commentarijs, Platina, Genebrardus, Ægidius Viterbienſis, Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis & in Bibl. alijq. omnes qui hiſtorias illius ſeculi elucubrarunt.

Alphonſus Carafa Neapolitanus, Antonij Montisbelli Marchionis filius, Caroli Cardinalis nepos, natus anno ſalutis 1540. Idibus Auguſti, ſub diſciplina Pauli IV. educatus, ſtudiorum ſocium Antonium Caraffa habuit, cuius exemplo, atq. æmulatione incitatus, virtutibus ita animum applicuit, vt admiratione omnibus eſſet, in i o enim integritatis vitę modeſtia, humanitas ſumma, in rebus gerendis admirabilis prudentia, iuſtitiæ cultus, Eccleſiaſticæ rei zelus, aliaq. ferè omnes virtutes mirè elucebant. his motus idem Paulus ex Protonotario Apoſtolico decimum ſeptimum ætatis annum agentem Diaconum Cardinalem

lem SS. Io: & Pauli primò, mox S. Nicolai inter imagines renunciauit, cui paulo poſt Eccleſiæ Neapolitanæ adminiſtrationem commiſit; officioq. Auditoris Cameræ delato, in Cameræ Regentatus nomen conuerſum, eidem addixit. Sub Pio IV. in Hadriani molem, cum aliis Carafis coniectus carcerem illum ſumma patientia ſuſtinuit, accuſatus tantum quod mortuo Paulo Pontifice quędam è cubiculo eius ſurripuiſſet, in centum millium aureorum ſolutione & Camerę Apoſtolicæ Regentatus muneris priuatione mulctatus. Cæterum cum ipſius annui redditus adeò tenues eſſent, vt nullo pacto tantam pecuniæ ſummam effundere poſſet, cum partem Pontifex condonaſſet, Sacrum Collegium Cardinalium, Antonius Parens, & Romanorum Poceres aliqui aliam ſpontè perſoluerunt. Neapoli mœrore confectus ad cœleſtem vitam tranſijt 4. kal. Septembris anno 1565 ætatis 25. iacet in ſepulchro ex marmore illi à Pio V. erecto cum hoc Elogio.

D. O. M.

ALPHONSO CARAFÆ
S. R. E. Card.
Archiepiſcopo Neapolitano
Adoleſcenti non minus virtute ſua
Quã Maiorum ſplendore claro,
Patrui Pauli IV.
P. M. Religionem,
Integritatem referenti ea ſapientia prædito,
Vt in ſecundis rebus
Summam eius temperantiam,
In aduerſis miram conſtantiam omnes
Laudauerint
Pius V. Pont. Max. poſuit.
Vixit An. XXV. D. XV.
Obijt An. MDLXV. IV. Kal. Septem.

Scripſit

Scripſit acta Synodi Neapolitanæ, quam ipſe Archiepiſcopus congregauerat, & in Sancti Ianuarij Martyris laudem luculentam orationem, nec non vitam D. Marcelli Gazellæ Caietani, Iuriſconſulti doctiſſimi; quam profert Nicolaus Toppi in primò tomo de Origine Tribunalium Neapolitanorum.

Tractant de Alphonſo Auctarij Ciaconij, Auberius, Petramellarius in Vita, Gabutius in Actis Pij V. Pontificis, Iulius Peruſcus in Epiſt. Antonius Summontius in hiſt. Neapol. Bartholomæus Chioccarellus de Archiepiſ. Neapolitanis, Felix Contelorius in Elencho, Ferdinandus Vghellius in Ital. Sacra. Io: Baptiſta Arcutius in carmine funebri, alijq. multi.

Alphonſus. de la Cueua Hiſpanus, militaris de Alcantara Religioſus cum Oratoris munus ſui Regis iuſſu primò apud Genuenſes, deindè apud Venetam Republicam, Philippi III. nominatione à Gregorio XV. Diaconorum Cardinalium Collegio adſcriptus. progreſſu temporis Presbyter Titulo S. Balbinæ, & Epiſcopus Eccleſiæ Prænestinæ, ac Malacitanę in Hiſpania præfuit, in cuius poſtremæ regimine octogeſimo tertio ætatis anno, Chriſti 1655. die X. Auguſti Heritis extinctus eſt. Sunt huiuſce Cardinalis apud me SS. relationes duæ de Reipublicis Veneta & Genuenſi, quas elucubrauit dum apud illas regij Oratoris munere fuugeretur. fuit vir magno ingenio, tenaciſſimaq. memoria præditus.

Celebrant Alphonſum Ciaconij Auctarij, Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium & alij.

Amalarius Fortunatus Treuirenſis à puero monaſticam diſciplinam in celeberrimo Benedictinorum Patrum Luxouienſium Burgundiæ Monaſterio didicit, illiq. religioſæ familiæ vltro ſe tradidit, vt diuinæ opportunius contemplationi vacare omninò poſſet. Flaccum Albinum, virum omni doctrinarum genere, ac ſanctitate clariſſimum in Magiſtrum habuit. Leo III. Romanus Pontifex, ſeu ex alijs Sergius II. anno octigenteſimo Chriſti tantum virum S. R. E. Cardinalem dixit, & poſt annos quatuor Treuirenſem Archipræſulem, nec non Galliæ Primatem declarauit. Caroli Magni Legatus Conſtantinopolim petit ad pacem cum Michaele Imperatore firmandam. Scripſit libros quatuor de diuinis officijs, ſeu *de diuinis* Sacramentis

De Septuageſima libellum

De officio Miſſæ

Lectionarium, ſeu de Eccleſiaſticis officijs ſuperioribus libris adiunctum.

Antiphonarium
Epiſtolas ad diuerſos
Ordinauit & collegit Officium Defunctorum
E vita migrauit circa annum ſalutis 840.

De hoc tractant Eginhartus in Vita Caroli Magni, Theganus Monachus Engoliſmenſis, Annalium Fuldenſium Auctor, Honorius Auguſtodunenſis, Bellarminus, Sigebertus, Trithemius de ſcrip. & de viris illuſt. Ord. S. Benedicti, ac in Chronico Hirſaugienſi, Baronius in Annal. Bernardus à Mallinckroot de Cardinalibus Germanicis, Villelmus Kiandrus in Annal. Treuien. Ioannes Cochlæus in Epiſt. Arnoldus Vuion, Auctarij Ciaconij & alij plures.

Amedeus de Thalaru nobilis Gallus, Archidiaconus Lugdunenſis interfuit Concilio Conſtantienſi, & eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus Conuentui Bituricenſi, à quo ad Eugenium Romanum Pontificem legatus eſt; vt ab illo impetraret ne quid contra Baſileenſes Patres ageret, & Concilium illud ſua auctoritate approbaret. ad Cardinalatum deindè promouetur à Felice V. & Presbyter anno 1440.nominatur, non diù tamen in illa dignitate vixit, nam tertiò Idus Februarij anno 1443. mortale ſolum deſeruit. Corpus humatum apud Eccleſiam Principem Lugdunenſem in Sacello D. Petri ad læuam Chori. Scripſit leges contra blaſphœmos,quæ extant in Tabulario Lugdunenſi, & literas ad Patres Concilij Baſileenſis, nec non ad Epiſcopum Loſanæ.

Meminere Amedei Ciaconius cum Auctarijs,Panuinius, Ioannes Chenu, Claudius Robertus,Sammarthani de Galliæ Epiſcopis, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Henricus Spondanus in Annal. Felix Contelorius in Elencho, & alijquamplures.

Amicus Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei à Paſchali II. renuntiatus, qui adfuit electioni Gelaſij II. in ſchiſmate contra Innocentium II. literas exarauit pro Anacleto ad Regem Romanorum Lotharium. viuebat anno ſalutis 1116. de illo pauca habent Auctarij Ciaconij.

Anacletus natione Græcus S.R.E Diaconus primùm, tum Presbyter, & Epiſcopus, Clementi in Pontificatu ſuccedens ſedit annos nouem, Menſes duos dies 27. ac ſcripſit Epiſtolas tres, quæ extant de teſtibus, iudicijs, & ordinationibus Epiſcoporum: Romæ Traiani iuſſu martyrio coronatus occubuit 3. Idus Iulij anno decimo ſecundi ſeculi ab orbe redempto.

De Anacleto Ciaconius cum Auctarijs., Baronius in Annal. Platina, Panuinius, Martyrologia, Optatus, Ferrarius, & Scriptores omnes qui Chriſtianas hiſtorias narrarunt.

S. Anaſtaſius Maximi filius, patria Romanus S. R. E. Præsbyter Cardinalis primùm, tum Summus Pontifex cum rem publicam ſanctiſſimè adminiſtraſſet annorum quatuor, menſis vnius, dierumq. tredecim ſpatio obijt Romæ V. kal. Maij anno ſalutis 402. cuius nomine duæ habentur Epiſtolæ inter decretales; tres verò leguntur in tomo 1. Conciliorum cum notis Binij; alias ſcripſit in cauſa Origeniſtarum & Donatiſtarum, quæ adhuc nobis ignotæ. Inter Epiſtolas D. Hieronymi vna reperitur. Anaſtaſij ad Ioannem Hieroſolomytanum Epiſcopum de Rufini ſententia. Poſt obitum ſepultus ad Vrſum pileatum cum ſequenti Epitaphio.

Limina nunc ſeruo, tenui qui culmina Sedis
Hic merui tumulum Præſul Anaſtaſius.
Presbytero genitus delegi dogmata vitæ,
Militiæq. Dei natus in officijs.
Pontificum caſto famulatus pectore iuſſis
Obtinui magnum nomen Apoſtolicum.

De S. Anaſtaſio ſeniori tractant Baronius in Annal. & in Notis ad Martirologium Romanum, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Platina, Ludouicus Iac. à S. Carolo In BibliothecaPontificia, alijq. omnes qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſerunt.

Anaſtaſius iunior Petri filius, patria Romanus, qui euulgatus Pontifex, dictus eſt Anaſtaſius II. ipſo initio Pontificatus volens ſuccurrere periclitanti Eccleſiæ Orientali Epiſtolam miſit ad Anaſtaſium Imperatorem toleratum adhuc ab Eccleſia Catholica mortuus eſt in Vrbe xiij kal. Decembris, anno ſalutis 499. cum ſediſſet annum vnum, Menſes vndecim, totidemq. dies.

Eſt Anaſtaſij iunioris, ſeu ſecundi mentio apud Baronium in Annal. Ciaconium & Auctarios, Panuinium, Boſium in Roma ſubterranea, Iacobum Lud. à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, Stanislaum Oſium de legitimis Iudicibus rerum Eccleſiaſticarum, & alios.

Anaſtaſius Monachus Caſinenſis ex aliquibus S. R.E. Cardinalis, & Bibliothecarius ſeculo octauo claruit ſub Stephanis II. & III. Rom. Pontificibus, ac ſcripſit de translatione Reliquiarum S. Benedicti. Hic alius, & antiquior Anaſtaſio Romano

Abbate, S. R. E. Bibliothecario, qui floruit ſub ſummis Pontificibus Nicolao I. Hadriano II. & Ioanne VIII. vitamq. ad annum fermè 886. produxit.

Meminit huius Ricciolius in ſua Chronologia, nulla tamen de hoc Cardinali eſt memoria inter monumenta antiqua.

Anaſtaſius Romanus Abbas S. R. E. Bibliothecarius, & ex aliquibus Cardinalis, floruit circa finem ſeculi IX. ſub ſummis Pontificibus Nicolao I. Hadriano II. & Ioanne VIII. vitamq. produxit ſuam ad annum ferme 886. ſcripſit latinè

Concilium generale octauum Conſtantinopolitanum, cui interfuit anno 869. ſub Baſilio Macedone

Concilium VIII. generale, ſeu Conſtantinopolitanum tertium.

Tanſtulit in latinam linguam Vitam Ioannis Eleemoſinarij, græcè deſcriptam à Leontio Epiſcopo.

Vitam S. Demetrij Martyris, & acta, ac Paſſiones aliorum SS.

Præfationem in Vitam S. Dionyſij Areopagitæ

Hiſtoriam de Vitis Pontificum

Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſiue Chronographiam tripartitam

Iacobus Sirmundus Soc. Ieſu anno 1620. edidit eiuſdem Anaſtaſi j Collectanea de ijs quæ ſpectant ad Hiſtoriam Monothelitarum Hæreticorum, & Martyrium Sancti Martini Papæ, S. Maximi Abbatis, & aliorum

Extant eiuſdem Epiſtolæ nonullæ, nempè ad Ioannem Diaconum Vrbis Romæ, ad Martinum Epiſcopum Narnienſem

De hoc Anaſtaſio tractant Baronius in Annalibus, Voſſius, Bellarminus, Philippus Iabbe de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Sigebertus, Trithemius, alijq. quamplures.

Anatolius Diaconus S. R. E. ſub Vigilio Papa Epiſtolas plures Ferrando Diacono Eccleſiæ Carthaginenſis ſcripſit. huius Cardinalis mentio eſt apud Auctarios Ciaconij

Ancherus Pantalao Trecenſis, natione Gallus, Vrbani IV. ex fratre nepos Præsbyter Cardinalis ſub Titulo S. Praxedis à Patruo renuntiatus ſcripſit varia circa acta Vrbani, quibus ſcriptis adiutus Thierricus Valliſcolor Poeta haud ignobilis, Vrbani, ipſius geſta vincta oratione euulgauit. Romæ è vita exceſſit Ancherus Kalendis Nouembris anno ſalutis 1286.

De hoc Cardinalis tractant ipſe Thierricus Valliſcolor in Vita Vrbani, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Fr.

Fr. Andreas Anagnimus ex illuſtri Comitum Signiæ familia, Alexandri VI. Pontificis pronepos, & Bonifatio 8. ſanguine iunctus, ſeu ex aliquibus Patruus, Ordinis Minorum ſanctitate clarus Presbyteris, vel ex alijs Diaconis Cardinalibus ab ipſo Bonifatio adſcriptus, honorem vltrò oblatum conſtantiſſimè recuſauit, ac maluit in clauſtris ſub rigida S. Franciſci regula quam ab adoleſcentia profeſſus fuerat, latere, quam in ipſo Orbis, Vrbiſque Theatro noua dignitate fulgere ſingulari affectu tantus hic vir Deiparam Virginem coluit, deq. partu eiuſdem edidit Volumen. Miraculis clarus e ſeculo migrauit in Cœnobio Anagnino, in quo iacet, anno ſalutis humanæ 1302. die prima Februarij.

Memoratur à S. Antonino 3. part. hiſt. tit. 24. cap. 9. Eiſingrenio, Poſſeuino, Martyrologio Franciſcano, a Ciaconio & Auctarijs, Panuinio, Fr. Luca Vadingo in Annal. & de Scriptoribus Minorum, Marraccio in purpura & in Bibliotheca Mariana, & ab alijs pluribus.

Andreas Matthæus Palmerius patria Neapolitanus ex Archiepiſcopo Materano & Acheruntino Presbyter Cardinalis S. Clementis à Clemente VII. Pontifice Maximo renuntiatus, præfuit Epiſcopus Eccleſijs Sarnenſi, Lucerinæ Saracenorum, Conſeranenſi, & Policaſtrenſi; Mediolanenſis Ducatus à Carolo V. Gubernator conſtitutus zelo religionis Catholicæ ſua, amicorumq. pecunijs ſcripto milite Rhodianis Religioſis ſuppetias parauit. Romæ in Palatio apud Baſilicam Vaticanam morte ereptus eſt die 20. Ianuarij anno 1535. alijs 1537. mortuo talis Epigraphes ad Sanctam Mariam de Populo inſculpta.

ANDREÆ MATTHÆO PALMERIO
Neapolitano
S. Clementis Presbytero
Cardinali
Io Vincentius Palmerius.
Fratri optimo
Multis cum lacrymis poſuit
Qui vixit
Ann. XLIII. Menſes V. dies X.
Deceſſit xiij. Kal. Febr. MDXXXVII.

Huius

Huius & pius & conſtans animus non minus docuit fortunam aduerſam ſuperare, quam ſecundam contemnere. Extant Andreæ Matthæi literæ ad Clericos Eccleſiæ Milioniaci.

Laudant hunc Cardinalem Ciaconius cum Auctarijs, Aubertius, Panuinius in Vita, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſac. Felix Contelorius & alij cum Bembo in literarum volumine.

Androinus, quem aliqui Hadrianum nominant de Rocha, natione Gallus, profeſſione Monachus Benedictinus ſub Innocentio VI. Romano Pontifice Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Marcelli adſcriptus, legationis munere functus in Italia, Poſteris reliquit Sermones multos diebus feſtiuis totius anni à ſe habitis, inter quos plures de feſtiuitatibus B. Mariæ: Relationem etiam ſcripſit de ſtatu rerum Sedis Apoſtolicæ in Italia à die 13. Aprilis, vſque ad 23. Auguſti anni 1357. ad Innocentium Pontificem tranſmiſſam. peſtifero morbo deceſſit Viterbij anno 1369. Corpus iacet in Eccleſia Cluniacenſi

De hoc Cardinale tractant Auctor Vitæ Innocentij VI. apud Boſquetum, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberius, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Thomas Vualſingamus, Felix Contelorius in Genealogia Comitum Rom. Bernardinus Coirus in hiſt. Mediol. Archangelus Gianius in Annal. Seruorum, Stephanus Baluze in Antifrizzonio, & alij.

Fr. Angelicus Grimaldi, ſeu Angelicus Grimaldi, ſeu Anglicus Grimoaldi natione Gallus, Vrbani V. Pontificis germanus frater, Patre Guillelmo, Matre Amphiſia Monterrana natus in Griſiaci oppido Diœceſis Mimatenſis, Canonicorum Regularium S. Auguſtini profeſſus, Cœnobij S. Ruffi Abbas, Vrbani iuſſu Auenionenſem Eccleſiam rexit, atq. ex Epiſcopo Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula titulo Eudoxiæ primò, tum Epiſcopus Albanenſis, ac Baſilicæ Lateranenſis Archipresbyter renuntiatus eſt anno ſalutis 1366; anno verò ſequenti Legatus in Hiſpaniam ab Petrum Caſtellæ Regem. Piceni quoque, Vmbriæ, Etruriæ, Campaniæque maritimæ Legationem, & Pontificis vices in Italia gerens, Bononiæ ſedem poſuit vt eam Vrbem in officio aduerſus Vicecomitum inſidias contineret. Clementis VII. Pſeudopontificis patres contra Vrbanum VI. aliquando ſectatus, è vita exceſſit Auenione, die 18. Aprilis anno à partu Virginis 1387. ſeu 1388. Huius Auctoris ſunt Antiph. multæ & Reſponſoria Eccleſiaſtica.

Meminere Fr. Angelici Panuinus, Ciaconius, eiuſdemq. Auctarij, Auberius in Vita, Pompeus Vizanius in Bononienſi, Petrus Griſius in Canonicorum Regularium hiſtoria Io: Mariana in hiſpania

pania, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Eiſengrenius; Nomenclatoris Cardinalium, & Galliæ Chriſtianæ Auctores, Quercetanus, Cæſar Raſponus Card. de Baſilica Lateranenſi, Raynaldus in Annal. Eccl. alijq plurimi.

Angelus Acciaiolus nobilis Florentinus Iacobi & Bartholomeæ de Ricaſolis filius, ex Epiſcopo Rampolano Antiſtes Florentinus ab Vrbano VI. euulgatur, & Presbyteris Cardinalibus in Titulo S. Laurentij in Damaſo, adſcribitur. Epiſcopus Oſtienſis Sacro Senatui Decanus, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ præſedit. Legatus in Regno Neapolitano pueri Regis tutelam geſſit. Ladiſlaum & Conſtantiam vxorem in Siciliæ Reges inunxit, & coronauit, ſolemneq. ab illis recepit beneficiarij iuris ſacramentum. Legationis quoque munere functus eſt in Hungaria, Sclauonia, Dalmatia, & Croatia. Ladislaum Hungariæ Regem diademate regio ornauit. cum Florentinæ Eccleſiæ anno 1387. nuncium remiſſet, Piſis pridie Idus Iunij anno 1407. dum ibi Concilium haberetur, deceſſit. Corpus ſepulturæ traditum in Florentina Carthuſia ſub hac Epigraphe.

Monumentum hoc
ANGELO ACCIAIOLO
Cardinali
Et Epiſcopo Oſtienſi
S. R. E. Cancellario, eiuſq. germano Fratri
Donato Equiti clariſſimo,
Sibique Donati inſtaurarunt
Anno Sal. MDL.

Cum Clementis VII. Schiſma vigeret arrepto ſtylo opuſculum inſigni pietate, ac doctrina refertum elucubrauit ad Cardinales eiuſdem Clementis ſectatores pro Vrbani VI. electione Sunt qui ſcribunt Angelum hunc latinas feciſſe plures Græcorum hiſtorias; hi tamen à veritate aberrant, nam alius, non hic Angelus Accaiolus Florentinus græcas hiſtorias latinas reddidit.

De Cardinali Acciaiolo tractant, Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Auberius, in vita; Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Burghinus de Epiſcopis Florentinis, Felix Contelorius in Elencho, Henricus Lud. Rupipozeus in Numenclatore Cardinalium. Monumenta

numenta Triuultiana, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Scipio Ammiratus in Florentina, Thomas Coſtus in Neapolitana hiſtoria. Index rerum à Regibus Aragoniæ geſtarum, alijq. omnes qui ſui æui hiſtorias narrarunt.

Angelus Capranica nobilis Romanus Nicolai filius, Dominici Cardinalis germanus frater, Archiepiſcopus Sipontinus, Epiſcopus Aſculanus, tum Reatinus, Presbyter S. Crucis in Hieruſalem & Legatus Bononienſis à Pio II. renuntiatur. Legationem etiam geſſit in Exarchatu Rauennæ & in Prouincia Romandiolæ cum facultate promulgandi Cruciatam contra Turcas. Floruit Theologica ſcientia, nec non profunda memoria. ſub Sixto IV. ſubijt onus Epiſcopatus Præneſtini, & poſt Nicolai nepotis obitum Firmanam Eccleſiam in Piceno rexit. Vitam finiuit Romæ 5. Nonas Iulij anno a Chriſto nato 1478. Corpus iacet apud S. Mariam ſuper Mineruam cum Dominico fratre ſub eadem Epigraphe in Dominico relata. Synodum exarauit quam habuit in Firmana Diœceſi, & extat in Tabulario eiuſdem Eccleſiæ.

Eſt Angeli mentio apud Ciaconium & Auctarios, Panuinium, Auberium in Vita, Felicem Conte orium in Elencho, Ferd. Vghellium in Ital. ſacra. Ioſephum Mariam Suareſium de Epiſc. Præneſt. & apud plures alios.

Angelus Celſus Patritius Romanus, Hortenſij filius, ex Auditore Rotæ Diaconis Cardinalibus ab Alexandro VII. aſcriptus, præfuit Diaconiæ S. Georgij in Velabro, nec non Cœtui interpreti Concilij Tridentini. Huiuſce Cardinalis Deciſiones, quas ſcripſit dum inter Iudices Romæ per annos multos ſedit, euulgatæ, publiciq. iuris factæ poſt Auctoris obitum, ſequutum in Vrbe ad annum primum ſupra ſeptuageſimum ſeculi decimi ſeptimi, poſt Chriſtum natum, quo die 6. Nouembris è viuis abijt, ſepultus in Templo Farneſiano.

Meminere Angeli Auctarij Ciaconij.

Angelus Corarius patria Venetus ex Presbytero Cardinali S. Marci renuntiatus Pontifex Maximus ſub nomine Gregorij XII. præfuit Eccleſiæ annis octo, menſibus ſeptem, diebus quinque, quibus elapſis ſponte ad tollendum ſchiſma Pontificatu abdicato creatus eſt Epiſcopus Tuſculanus, Collegij Decanus, & Piceni perpetuus Legatus. Extant huiuſce Pontificis literæ plures in Vaticano quarum aliquas Theodorus Niemus, & Binius euulgarunt. Obijt Recineti anno ſalutis humanæ 1417. Corpus in Cathedrali eiuſdem Vrbis iacet ſub ſequenti Elogio.

Maxi-

Maximus Eccleſia Princeps, ſummuſque Monarcha
Ordine Gregorius bis Senus clauditur arca
Hic pro pace datus cæleſti munere ſemper
Ferbuit, aethereos ſuperis munire decenter.
Archiſchiſma malum facta hac dementia Piſis.
Ipſe pius releuat, facta eſt conſtantia tectis
Cardine bis ſacro paſtoris conſcia ſede
Marchia ſuſcepit Recanati Flauius æde.

Meminere Angeli Cardinalis, ſeu Gregorij Pontificis Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Platina, S. Antoninus Blondus, Nauclerus, Hiſtoria Concilij Conſtantienſis, Antonius de Petro in Diario, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Vizzanus in Bononienſi, Poggius in Florentina, Ricordatus in Monaſtica, Moroſinus in Veneta, Bonfigli in Sicula, Iuſtinianus, & Sanſouinus in Veneta, Pennottus & Mozzagrugnus in Canonicorum Regularium hiſtoria, aliiq. omes Scriptores qui ſeculi huius hiſtorias, ſiue Eccleſiaſticas, ſiue profanas enarrarunt, cum Gregorio Polydoro in Vita.

Anicetus natione Syrus ex S. R. E. Preſbytero Pontifex Maximus Epiſtolam Decretalem ad Galliæ Præſules dedit, quam Magdeburgenſes hæretici oppugnare, ſed fruſtra conati ſunt, præfuitq. Eccleſiæ vniuerſali annis octo, menſibus item octo, ac diebus viginti tribus. Martyrium pro fide quam profitebatur ſubijt xv. kal. Maij, anno ſalutis 175. Terræ conditus in Cæmeterio progreſſu temporis Calliſti nuncupato, in eo iacuit vſq. ad annum voluentis ſeculi decimi ſeptimi quartum, quo Sancti Martyris oſſa ad Sacellum Ioannis Angeli Ducis ab Altemps, concedente Clemente octauo tranſlata, ibidem repoſita ſunt ſub hac Epigraphe.

Martyris oſſa
ANICETI PAPÆ!
Ab arenario
Quod poſtea Calliſti Cœmeterium
Appellatum eſt,
Auctoritate Clementis VIII.
Translata

I Ioannes

Ioannes Angelus ab Altemps
Dux
Sacellum obtulit;
Corpus eiuſdem Martyris
; In labrum
Quod Alexandri Seueri
Imperatoris
Sepulchrum fuit collocauit. D.
Anno Domini
M DCXVII.

Celebrant Anicetum Martyrologia omnia, Baronius in Notis, & in Annal. Irenæus, Epiphanius, Optatus, Euſebius, Chronicon Foſſę nouæ, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinus, Io: Angelus ab Altemps in Vita, & alij plures.

Annibal Bozzutus Neapolitanus Iuris Doctor, Patriæ Orator ad Carolum V. Auenionenſis Præſes ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico Præsbyter Cardinalis Santi Silueſtri in campo Martio renuntiatus, eodem anno quo purpuram induerat pridiè Nonas Octobris in ſuburbio Chiaiæ propè Neapolim, calculi dolore exceſſit. Corpus in Metropoli eiuſdem Vrbis iacet cum hoc Elogio.

ANNIBAL BOZZVTVS
Patritius Neapolitanus.
Ex familia annos ante 410. Cardinalitia
Orator
Ad Carolum V. Cæſarem
Anno ætatis ſuæ 26.
Summis de rebus à Patria miſſus,
Bonon. Prolegatus.
A Paulo III. Pont. Max præpoſitus;
Archiepiſcopatų

Auenio-

Aueniouenſi à Iulio III. decoratus,
Bis vacua Sede
Primum Iulij III.
Deinde
Marcelli II.
Cui charus in primis fuit,
Vaticano & Conclaui Præfectus;
Rerum omnium maximarum,
Dirigendorumque vniuerſæ dictionis
Eccleſiaſticæ Magiſtratuum
Poteſtate,
Clericatu etiam Cameræ Apoſtolicæ
Gratuita
Pauli III. liberalitate honeſtatus,
Demum
A Pio IIII. Presbyter Card.
S. Silueſtri
Creatus intra ſeptem menſes
Dolore calculi,
Sal. Anno MDLXV.
Ætatis xxxxiv. Menſ. v. Die iv.
Ex hac vita ereptus eſt.
Fabritius Bozzutus Frater. ex Teſtam. hæres.
C. L. P.

Hic antè purpuram ad Petrum Toletum, Neapolitani Regni Proregem, Ciuitatis nomine elegantem habuit orationem, quæ aliquorum teſtimonio, extat.

Agunt de Annibale Cardinali Bozzuto Auctarij, Ciaconij, Petramellarius, Auberius in Vita, Gabutius in vita Pij V. Antonius Summontius in hiſt. Neapolitana, alijque plures.

Anſelmus Mantuanus humanitate, doctrina, & ſanctitate illuſtris S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Lucenſis Gregorij VII. nomine legatione functus eſt apud Mediolanenſes. hunc Mathildis Comitiſſa confeſſarium ſibi aſciuit. ab Henrico Imperarore de ſua epiſcopali ſede deiectus ad Gregorium Romanum Pontificem confugit, à quo Vicarius Pontificius renuntiatus Canonum collectionem concinnauit, quam deinde Gratianus abſoluit.

Edidit præterea rogatu Mathildis Commentarium ſuper Pſalmos & Hieremiam Prophetam.

Apologeticum vnum ex diuinis SS. Petrum volnminibus contra Guibertum Antipapam, ſeu libros duos ex Patrum ſententijs pro Gregorij VII. Pontificis decreto, & rebus geſtis contra Henricùm Imp. & Guibertum Antipapam, qui libri extant apud Henricum Caniſium tom. 6. antiq. lectionum.

De paſſione Chriſti multa rythmicè.

Meditationes in Orationem Dominicam, Saluationem angelicam, & Salue Regina.

Et Epiſtolas plures ad diuerſos.

Mantuæ 5. kal. Aprilis beato fine quieuit anno Chriſti 1086. Epiſcopatus Lucenſis 13. Romana Sede Gregorij VII. obitu vacante Corpus in Eccleſia Mantuana ſepultum multis miraculis claruit.

Celebrant, ac venerantur tantum virum Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. tom. 11. Cæſar Franciottus in hiſt. SS. Lucenſium, Galeſinus, Domnizo in Vita Mathildis, Arnoldus Vuion, Anſelmus Pœnitentiarius, Vbaldus Epiſcopus, Auctarij Ciaconij, Fr. Lucas Vuadingus in Vita, Marraccius in Bibl. Mariana, Sigebertus in Chronico, Abbas Vrſpergenſis, Io: Franciſcus Beſozzus in hiſt. Pontif. Medio. alijq. quamplures. cum Io: de Deis, Io: Baptiſta Cariſio in Teatro, Philip. Picinello in Atheneo.

Antherus natione Græcus ex S. R. E. Presbytero in Sardinia electus Romanus Pontifex ſedit in Petri Cathedra menſem vnum dies 14. quo breui tempore literas reſponſiuas direxit ad Epiſcopos, Boeticæ & Tholetanæ Prouinciæ qui illum conſuluerant an Epiſcopos ab vna ad aliam Eccleſiam transferri liceret.

Pro Chriſti nomine Romæ martyrio coronatus 3. Nonas Ianuarij anno ſalutis humanæ 238.

Meminere

Meminere Antheri Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. tom. 3. liber de Rom. Pont. qui fertur nomine Damaſi, Optatus Mileuitanus contra Parmen. Auguſtinus epiſt. 165. Euſebius in Chron. Nicephorus Epiſc. in Chron. Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Amedeus Placentinus, Auguſtinus Tola, Ioannes Lepaige Nigraualle, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Io: Vaſæus in Chron. Aloyſius Lippomanus, Baptiſta Platina, Philippus Ferrarius, Petrus Galeſinus, Beda, Vſuardus, Ado, Bellynus, Maurolycus in Martyrologijs. Io: Giacchettus in hiſt. Eccl. S. Silueſtri de capite, Lud. Iacobus à. S. Carolo in Bibl. Pont. alijq; omnes qui contexerunt hiſtoriam Eccleſiaſticam, ſeu Vitas Romanorum Pontificum.

Antoniottus Pallauicinus patre Babiliano & Peregrina Saluaga Patritijs Genuenſibus genitus adhuc puer fratres Hyeronimum & Cyprianum ſequutos Hiſpanias petijt, maior factus Romam ſe contulit, vbi in familiam Io: Baptiſtæ Cybi Cardinalis adſcitus eſt. Eccleſiæ Abintimiilienſis in Liguria à Siſto IV. creatus Epiſcopus tali ſorte contentus Romanam Curiam deſerere & ſuam Eccleſiam adire conſtituerat, ſed obitu Sixti ſuperueniente à Cardinali Cybo retinetur vſq. ad nouum Pontificem. Poſt Sixtum ipſe Cardinalis Cybo ſub nomine Innocentij VIII. Petri Cathedram Cardinalium ſuffragijs aſcendit, qui illicò Antoniottum notum ſibi & gratum hominem ſupplicibus libellis gratis conſcribendis præfecit. in hoc munere ita ſe induſtrium, vigilantem & integrum per quinquennium præſtitit, vt non modo Pontifici planè ſatisfecerit, ſed toti Curiæ gratiſſimus conceptam de ſe expectationem ſuperauerit: ab Innocentio igitur Pampilonenſis primo, mox Aurienſis, Lectenſis, Tornacenſis, Cumanus, Lamacenſis Epiſcopus, nec non ex aliquibus Genuenſis Archiepiſcopus & S. R. E. Presbyter Cardinalis in Titulo S. Anaſtaſiæ eligitur. quem primum Titulum progreſſu temporis commutauit cum alijs S. Praxedis, S. Stephani in Cœlio monte, cum Epiſcopatibus Tuſculano, Albanenſi, Sabinenſi & Præneſtino. geſſit abſente Alexandro VI. Legationem in Vrbe, & Iulij II. iuſſu apud Reges Galliæ & Hiſpaniæ, quos amicitia coniunxit. Romæ è vita migrauit die 10. Septembris anno 1507. cuius oſſa primum in Vaticano, deindè in S. Mariæ de Populo apud Portam Flaminiam iacuere ſub hoc Elogio.

ANTO-

D. O. M.

ANTONIOTTO PALLAVICINO
Genuenſi
Epiſcopo Præneſt.
S. R. E.
Card. S. Praxedi,
Sub
Innocentio VIII, Alex. VI Iulio II.
Ampliſſ. Legationibus,
Maximiſq. Reip. muneribus ſumma
Cum laude probitatis,
Atque prudentiæ perfuncto,
Io: Bapt. Abb.
S. Ant. Gen. V. S. Refer.
Et
Babilianus Pallauicini Fratres
Ob diſturbatam
Veteris ſepulchri ſedem
In Vaticanæ abſidis demolitione,
Vt eodem
Tumuli loco cum Io: Baptiſta
Fratris
Filio conderetur translatis oſſibus Propatruo
Poſſ.
MDXCVI. Vix. Ann. LXVI.
Ob. An. ſal.
MDVII. die x. Septemb.

Scripſit

Scripſit Epiſtolas tres Petro Ceræ Senatori Sabaudienſi, cum eiuſdem Ceræ Epiſtolis & Orationibus Auguſtæ Taurinorum euulgatas anno 1520.

Eſt Antoniotti mentio cum laude apud Auctarios Ciaconij, Panuinium, Garimbertum, Auberium in Vita, Ferdinandum Vghellium in Ital. ſac. Ioſephum Mariam Suareſium de Epiſc. Præneſt. Felicem Contelorium in Elencho, Franciſcum Guicciardinum in hiſt. & alios plures.

Antonius Archionius nobilis Romanus, Epiſcopus primò Aquinas, tum Aſculanus & Aretinus, Vrbis Vicarius, Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula ab Innocentio VII. renuntiatus, vix elapſo menſe, 26. Iulij anno 1405. Romæ decedens, ſepulchrum habuit in Baſilica liberiana his carminibus prænotatum.

Quem pia Romulco genuit natura fauori
Tegmine cardineo dedit hoc Antonius artus
Huic apice euecto, ſacriq. ad vincula Petri
Semper . . . . . .us Vrbis ſolamen Amicum
Lumine vt extinxit terra germana profundo
Spiritus hoſpitium Mundi melioris adiuit.

Anno Domini M C C C C V.
Menſis Iulij die xxvi.
Obijt
Antonius Cardinalis de Archeonibus.

Hic ad Clericorum, nec non Laicorum ſibi ſubditorum mores reformandos ſanctiores leges ſcripſit, & promulgauit.

Agunt de hoc Cardinali Ciaconius, eiuſdemq. Auctarij Panuinius, Auberius, Felix Contelorius in Elencho, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Monumenta Triuultiana, Paulus de Angelis in deſcrip. Baſil. Liberianæ & alij multi.

Fr. Antonius Barberinus iunior, Eques Hieroſolymitanus, Vrbani VIII. ex Fratre Carolo nepos, Franciſci Cardinalis frater, Caroli item Cardinalis Patruus, S. R. E. Cardinalis à Patruo cuulgatus ſcripſit carmina etruſca, & latina, publici iuris facta à Hieronymo Tetio in Ædibus Barberinis, & Elogia in Conſecrationibus

nibus BB. Andreæ Corſini Carmelitani, Epiſcopi Feſulani, nec non Thomæ à Villanoua Auguſtiniani Epiſcopi Valentini, &c. aliorum, Epiſcopus Prænestinus, Archiepiſcopus Remenſis, Magnus Franciæ Eleemoſynarius, & S. R. E. Camerarius obijt in oppido Nemi in latio iuxta lacum Nemorenſem die 4. Auguſti anno 1671. ſepultus in Vrbe Prænestina.

Tractant de Antonio Cardinali Auctarij Ciaconij; Victorius Siri in Mercurio, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Gualdus in Theatro, & alij plures, qui tanto Viro ſuas literarias lucubrationes nuncuparunt.

Antonius Bichius Senenſis Firmani viri primarij ex Honorata, Sorore vterina Alexãdri VII. Pontificis vxore ſi ius. iuuenis adhuc, non enim quintum ſupra vigeſimum ætatis annum excedebat in Senenſi Academia iuris ſcientiam, quam in ea ſub Hannibale Amato, Hieronymo de Benuog ientibus, Flauio de Guillelmis ac Franciſco de Vecchis Præceptoribus exceperat, publicè explicauit: ab Innocentio X. Epiſcopus Montis Ilcienſis renuntiatus ab Alexandro ſuceſſore ad Auximatem Eccleſiam in Piceno translatus eſt, cuius regimini cum totus incumberet ab eodem Presbyter Cardinalis S. Auguſtini euulgatur, quem titulum ſub Clemente IX. cum illo S. Mariæ Angelorum commutauit, ac Legationem in Ducatu Vrbini geſſit. Huiuſce Cardinalis inter viuos degentis hoc anno 1675. literas vidi plures, quarum aliquas euulgauit Michael Abbas Iuſtinianus in Collectione ſuarum memorabilium.

De Antonio Cardinali eſt mentio apud Auctarios Ciaconij, & apud alios.

Antonius Bohierius Gallus Monachus Ordinis S. Benedicti ex Archiepiſcopo Bituricenſi renuntiatus Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ, à Leone X. poſt biennium, anno videlicet 1519. die 27. Nouembris è vita migrauit Bleſis & ſepultus in naui Baſilicæ Metropolitanæ ſub hac Epigraphe.

Antonius iacet hic Bohierius origine quondam
Aruerna, eloquio vir, meritiſq. granis.
A puero Monachus, clauſtris compluribus Abbas
Dignus & hac celebri Præſul in Vrbe fuit.
Tempore non multo plures ſortitus honores
Cardineo tandem ſchemate clarus obit.]

Cum conſtituiſſet ſaluberrimas Conſtitututiones Synodales pro Clericis Bituricenſibus.

Memi nere

Meminere Antonij noſtri Cardinalis Panuinius, Auctarij Ciaconij, Auberyus, Petrus Frizonius, Auctores Galliæ Chriſtianæ in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Io: Chenu de Epiſc. Galliæ, Henricus Lud. Rupipozeus Caſtaneus in Nomenclatore Cardinalium & alij plures.

Antonius Caietanus nobilis Romanus, Filius Iacobi Comitis Fundani, & Sueuæ Sanſeuerinæ, ex Patriarcha Aquileienſi Preſbiter Cardinalis S. Cæciliæ à Bonifacio IX. deindè Epiſcopus Prænestinus ab Innocentio VII & ab Alexandro V. Epiſcopus Portuenſis ac S. R. E. Pœnitentiarius, nec non Epiſcopus Feſulanus renuntiatus eſt. dum verò Archipresbyteri Lateranenſis munus gereret, ceſſit è vita die 11. Ianuarij anno ſalutis 1412. mortuo, ac ſepulto apud S. Mariam ſuper Mineruam hæc Epigraphes inſculpta.

Hic requieſcit
Reuerendiſs. in Chriſto Pater
Dominus
ANTONIVS CAIETANVS
Epiſcopus Portuenſis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis
Qui obijt Anno Domini
MCDXII.
Menſis Ianuarij die vndecima
Indictione quinta

Scripſit pro Eccleſiæ Romanæ vnione, Opus.

Laudant Antonium Panuinus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Auberyus, Scipio Amiratus de Epiſcopis Feſulanis, Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana, Hieronymus Garimbertus, Felix Contelorius in Elencho, Ioſeph Maria Suareſius de Epiſc. Præneſt. Io: Rubeus in Vita Bonifacij 8. Nomenclatoris Cardinalium Auctor & alij plures.

Antonius Caraffa Neapolitanus Reginaldi & Ioannellæ filius, Pauli IV. Pont. Max. gentilis, Cubicularius & Pincerna, Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, linguæ græcæ peritiſſimus poſt Pauli obitum in communi Caraffarum caſu à Pio IV. Sacerdotijs omnibus ſpoliatus eſt; à Pio vero V. ad Canonicatum reuocatus in Cardinalium Senatum Diaconus S. Euſebij lectus, Bibliothecarij Apoſtolicici munus ſub Gregorio XIII. exercuit. præfuit eidem S. Euſebij Eccleſiæ Presbyter, à Sixto V. Congregationi Sacrorum Bibliorum, eorumdenque correctioni, nec non Concilij Tridentini interpretationi, Breuiarij ac Miſſalis Romani caſtigationi prçficitur; Oliuetani Ordinis, Collegijque Maronitarum Patronus vitam cum morte commutauit Romæ pridie Idus Ianuarij anno 1591. ætatis 53. & ſepulchrum habuit in Eccleſia S. Siluęſtri in Quirinali, ſolo nomine ornatum.

ANTONII CARAPHÆ S. R. E. Presbyteri Cardinalis Sepulchrum.

Tantus hic vir è grçco in latinum vertit nonnullas S. Gregorij Nazianzeni Orationes.

Commentaria Theodoreti in Pſalmos, aliorumque in Pentateucon.

Catenam SS. Patrum in omnia tam veteris, quam noui Teſtamenti Cantica.

71. Interpretum editionem ferè antiquatam, nec non aliquorum vitio deprauatam expurgauit.

Ioannis Caſſiani & Eliæ Cretenſis opera correxit.

Gregorij Magni Epiſtolas, per locos communes digeſsit.

Epiſtolarum Decretalium tomos tres edidit.

In colligendis Concilijs Oecumenicis græcis, & latinis, priſtinoque candori reſtituendis multum elaborauit.

Scripſit etiam notas apolegeticas in Vitam Pauli IV. Pontificis, quæ Coloniæ Vbiorum anno 1612. typis euulgatæ ſunt & Acta Conſiſtorialia ſub Pio V. & Gregorio XIII. Sixti V. Gregorij XIV. Innocentij IX. ac Clementis VIII.

Eſt

Eſt Antonij mentio apud Panuinium, Petramellarium, Thomam Boſium de Signis Eccl. Antonium Caracciolum in Vita Pauli IV. Henricum Spondanum in Annal. Eccl Ioannem Rhò in hiſt. Virtutum, & Vitiorum, Ioſephum Silos in hiſt. Clericorum Reg. Antonium Sanderum, Fuluium Vrſinum, Antonium Poſſeuinum, Ludouicum Doniium d'Attichy, Auctorem Nomenclatoris Cardinalium, Auberyum, Ciaconij Auctarios, aliosq. quamplures.

Antonius Cerdanus Maioricenſis, ex Canonico maioris Eccleſiæ Maiorcæ, Trinitariorum Alumnus, quem Ordinem Procurator Generalis Romæ tutatus eſt & in Anglia, Scotia, & Hybernia Commiſſarius generalis eumdem rexit, vti etiam Archiepiſcopus Meſſanenſem Cathedram, & Epiſcopus Leridentem; Cum autem clareret doctrina ſingulari multa ſcripſit, & doctas lucubrationes cuulgauit; quare promotus eſt ad ſacram purpuram, cum Titulo S. Chryſogoni. Pacem inter Florentinos, & Alphonſum Regem Neapolitanum firmauit; obijtque Romæ die 21. Septembris anno ſalutis 1460 ſepultus in Porticu Vaticana, in Sacello quod viuens ſuis impenſis extruxerat. Snnt qui dicunt Nicolaum huius nominis V. tantum virum ſacra purpura decoraſſe; nulla tamen de hoc Cardinali mentio in Tabulis Vaticanis. Meminit huius Placidus Samperius Soc. Ieſu in Iconologia B. Mariæ, Ioannes Figuera in Chronico Trinitariorum, Iacobus a Sancto Marco in Maximis Chriſtianis.

Antonius Ciocchi, alijs Antonius Maria à Monte, Fabiani Aduocati Conſiſtorialis filius, & Cameræ Apoſtolicæ, Rotæque Romanæ Auditore Epiſcopus Tiphernas, Ariminenſis, Caiacenſis, & Archipræſul Sipontinus, ac demum Presbiter Cardinalis S. Vitalis à Iulio II. ſublectus, progreſſu temporis ex primo ad alium S. Praxedis Titulum, mox ad Epiſcopatum Albanum, Tuſculanum, Sabineſem, & Portuenſem diuerſorum Pontificum beneficio gradum fecit. Præſul quoque præfuit Eccleſijs Papienſi & Nouarienſi, & in Vrbe abſente Clemente VII. ac in Vmbria Legationis munere cum laude functus eſt. Mortem ſubijt Romæ die 20. Septembris anno poſt Chriſtum natum 1533. ætatis 72. iacet in Eccleſia S. Petri in mone aureo cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

ANTONIO FABIANI
F. de Monte
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Epiſcopo
Cardinali Portuenſi
Qui ob ſingularem Cæſ. & Pont. Iur. peritiam
Vrbanis
Ferè omnibus I. D. Magiſtrat.
Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II.
Pontificibus Max. ſanctiſſ. geſtis,
Ab eodem
Iulio per omnes dignitatis gradus
In Cardinal.
Ordinem adſcitus eſt,
Multiſque indè Reip. muneribus Domi
Foriſque præfect.
Ac
In Vmbria ſemel Leonis X.
Et
Clementis VII.
In Vrbe
Iterum Legatus eam ſemper præ ſe
Integritatem, prudentiam, pietatem tulit,
Vt Romana,
Et
Catholica Eccleſia non iam Fratrem;

Ac

Ac
Membrum nobiliſſ.
Sed Caput ipſum & Patrem eius morte āmiſiſſe
Viſa ſit.
Vixit Annos LXXII.
E vita exceſſit Anno Chriſti
MDXXXIII.
Iulius III. Pont. Max.
Patruo chariſſ.
Ac
De ſe & Balduino Fratre ſuo
Opt. mer. F.

Scripſit Antonius acta Concilij Lateranenſis, tam ſub Iulio II. quam ſub Leone X. habiti, & Deciſiones in Rota Romana.

De hoc Cardinali tractant, Antonius Maria Spelta in hiſt. Papienſi, Ioannes Rhò in exemplis virtutum & vitiorum, Carolus Cartharius in Syllabo Aduoc. Conſiſtorialium, Felix Contelorius in Elencho, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Auberyus in Vita, & alij plures.

Antonius Corarius Venetus Patritius, Gregorij XII. ex fratre nepos, Epiſcopus primò Bononienſis, mox Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſeu ex alijs Hieroſolymitanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni, vel ex diarijs S. Petri ad Vincula, Camerarius, Epiſcopus Portuenſis & Oſtienſis interfuit Concilio Conſtantienſi, & Martini III. alias V. partes ſincerè ſequutus eſt. Legationis munere pro Gregorio patruo in Gallia & in Germania, atque ſub ipſo Martino apud Senēſes & Peruſinos functus eſt. Tantus hic vir ſcripſit hiſtoriam ſui temporis quæ M. S. Venetijs olim aſſeruabatur. Vitam cum morte Patauij commutauit in Cœnobio Canonicorum ſecularium S. Georgij in Alga, quorum inſtitutum ante purpuram profeſſus fuerat, eiuſdemque Inſtitutorum vnus extiterat, die 19. Ianuarij anno ſalutis 1445. & Venetijs vt in ſupremis tabulis mādauerat Tumulo conditus apud S. Georgium in Alga cum hac Epigraphe,

Sepul-

Sepulchrum Pijſſimi Patris
Domini
ANTONII CORIARII
Beatæ memoriæ Epiſcopi
Oſtienſis
Cardinalis Bononienſis
Fundatoris
Huius Congregationis
Qui obijt anno
A
Natiuitate Domini
MCCCCXLV.
Die xix. Ianuarij
Orate pro eo.

Antonij Cardinalis meminere Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Ferd. Vghellius in Ital ſac. Felix Contelorius in Elencho, Carolus Sigonius de Epiſc. Bonon. Iac. Phil. Thomaſinus in Annal. ſui Ordinis, Spondanus in Eccl.

Antonius de Nuce Facchinettus Bononienſis, Cæſaris Vianini Marchionis filius, natus anno ſalutis 1573. Inocentij IX. Pontificis Maximi ex Sorore pronepos, iuuenis egregiæ indolis, modeſtiæ, probitatis, religionis, intimi candoris, prudentiæ, & eruditionis laude illuſtris, nondum duodeuigeſimum ætatis annum attigerat, quando ex Abbate, & Referendario Vtriuſque Signaturæ ab Auunculo in ſacrum Diaconorum Cardinalium Senatum relatus eſt die 18 Decembris anno 1591. præfuit Diaconus Eccleſiæ SS. Quatuor Coronatorum; ſed non diù vixit in purpura, nam die 18. Maij anno 1606. ætatis ſuæ 33. graui plurium dierum morbo cruciatus euolauit in Cœlum. Cadauer in S. Mariæ à Scala apud Patres Carmelitanos diſcalceatos quieſcit, donec transferatur ad Baſilicam Vaticanam ad Innocentij Patrui pedes, vt poſtremis tabulis iuſsit.

Quam-

Quamdiù vixit eo bonarum diſciplinarum amore ſemper flagrauit, vt à libris vix aliquando poſſet auelli.

Huius extat Epiſtola pietatis, & conſolationis luminibus compta, quam duobus ante mortem diebus lectulo affixus, Matri abſenti ſcripſit, aptam duriora pectora ad lachrymas commouere.

De Antonio noſtro Cardinali tractant Guido Cardinalis Bentiuolus in Memorijs hiſtoricis; Auctarij Ciaconij, Memoriæ Academicorum Bononienſium Gelatorum & alij.

Antonius Perenottus Granuellanus Burgundus, Nicolai Domini à Granuella Caroli V. Cæſaris Cancellarij & ex Nicolaa Bonauolta vxore filius ipſis Calendis, ſeu ex alijs die 13. Septembris anno 1517. in lucem editus, interfuit vna cum Patre Cæſareæ Maieſtatis nomine Concilio Tridentino, ex Canonico Biſuntino Archidiaconus primum, mox Epiſcopus renunciatus Eccleſiam illā cum Attrebatenſi progreſſu temporis commutauit; ad Cæſaris ſecreta conſilia admiſſus Orator pro pace Galliarum primò, deindè Henricum Anglorum Reges, demum Conuentum prope Caletum celebratum adijt, à Philippo II. Hiſpaniarum Rege Margaritæ Auſtriacæ Sorori, Bëlgij Gubernatrici, Octauij Parmæ & Placentiæ Ducis vxori a conſilijs eſt datus, apud quam adeò potentia valuit, vt inuidiam Nobilium & plurimorum æmulationem ſibi concitauerit, ſed vt erat animo forti, facilè omnes æmulorum inſidias contempſit, donec apud Gubernatricem odio laborans è Belgio in Hiſpaniam euocatus Archiepiſcopatu Mechlinienſis Eccleſiæ donatur, & Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberinæ, ſeu verius S. Bartholomæi in Inſula à Pio IV. inſtante Philippo renuntiatus ſub Pio V. contra Turcas fœdus inijt & Prorex Neapolitanus, ac Legatus Apoſtolicus vexillum bellicum ſacratum Ioanni Auſtriaco tradidit. Supremus poſtmodum Conſilij rerum Italicarum Præſes declaratus Sponſalia inter Carolum Philibertum Sabaudiæ Ducem & Catharinam Philippi II. filiam Cæſaraugustæ celebrauit. interfuit inaugurationi Philippi III. Hiſpaniarum Regis. Titulum S. Bartholomæi cum illis S. Priſcæ, S. Anaſtaſiæ, S. Petri in vinculis ſub Pio V. & ſub Gregorio XIII. cum alio S. Mariæ Traſtyberim commutauit. præfuit Epiſcopus Sabinenſi, & Archiepiſcopus Biſuntinæ Eccleſijs. Matriti annos natus ſeptuaginta duos, XII. Calendas Octobris, ſalutis humanæ 1586. è vita migrauit. Corpus apud Biſuntium translatum iacet apud Carmelitas cum ſequenti Epitaphio.

Hoſpes

H. *Quis cubat hic modica magnus tellure ſepultus?*
A. *Grandia cui celſos Vella dabant titulos.*
H. *Cur pelagus vitæ ſulcant: durante ſecundis*
Inquit? A. *ne quondam nomina parta cadant.*
Clara illi Imperio Caroli, Regnoque Philippi
Quorum conſilijs præfuit arte potens.
H. *Ergo manu clauum ſtrinxit? nauimq; gubernans*
Durauit ſatis? A. *inſuperabilius.*
H. *At ne diù?* A. *decies ſeptenos vixit in annos,*
Sequaniciq; fuit gloria prima ſoli.
H. *Quo capitur portu?* A. *cunctis qui meta laborum,*
Seu pueri iuuenes, bis pueriue ſenes.
Suffice Rex talem: dubijs qui duret in vndis
Quas fera, Rex, ſacris gens ciet, atq. ſibi.

Extant tanti Cardinalis Orationes quas Orator habuit coràm Legatis & in Concilio Tridentino, & literarum negotialium volumina plura.

De noſtro Antonio tractant omnes qui Hiſtorias ſcripſerunt Tridentinam, Belgicam, & ſeculi decimi ſexti, preterea Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Auberyus in Vita, Iacobus Sadoletus, Petrus Bembus in Epiſt. Chifletius in Hiſtoria Biſuntina, Vghellius in Epiſc. Sabinenſibus, Petramellarius, Galliæ Chiſtianæ Auctores, Petrus Frizonius in Gallia purpurata. Iuſtus lipſius, Franciſcus Suuertius, Antonius Sanderus, Henricus Albi, Aubertus Miræus, Fuluius Vrſinus in Elogijs & alij quàmplures.

Antonius à Prato Gallus, vxore præmortua ex qua plures ſuſceperat filios ad ordinem ſe conuertit Eccleſiaſticum, & primò Abbas Floriaci, tum Epiſcopus Albienſis, mox Meldenſis Archipræſul, tandem ad Senonenſem Cathedram aſcendit. Preſbyteris Cardinalibus inſtante Franciſco Rege Galliarum á Clemente VII. adſcriptus, Legationeq. in Gallia functus Eleonoram Caroli V. Imperatoris natu maiorem Sororem, Franciſci primi Galliarum Regis vxorem regia corona donauit. Synodum habuit prouincialem Lutetiæ Pariſiorum aduerſus hæreſes, & Senonenſem, quarum acta deſcripſit, & ſunt inſerta quarto Conciliorum tomo. Annos natus ſeptem ſupra ſexaginta die 9. Iulij,

anno

anno 1535. in Caſtro ſuo Nantoulliaco, quod ipſe extruxerat è viuis abiit. Præter acta Synodorum Senonenſis & Pariſienſis ſcripſit etiam Orationes aliquot, intes quas illa eſt quam Bononię habuit coram Leone X. & Franciſco primo Galliarum Rege.

Corpus iacet in Metropoli Senonenſi ſub Epigraphe gallica.

Eſt Antonij noſtri mentio apud Ciaconium, eiuſdemq. Auctarios, Ioannem Chenu de Epiſcopis Galliæ, Petrum Fizonium in Gallia Purpurata, Andream Sauſſay de miſticis Galliæ Scriptoribus, apud Panuinium, Auberyum, Auctores Galliæ Chriſtianæ, Felicem Contelorium in Elencho, Antonium Poſſeuinum in Apparatu, Henricum Lud. Rupipozæum in Nomenclatore Cardinalium, Ludouicum Iac. à S. Carolo in Bibliotheca Pont. & alios.

Antonius Puccius Florentinus Alexandri filius, Laurentij ac Roberti Cardinalium Nepos elegantis ingenij, & ad bonas artes à natura formati in patria humanioribus literis, in Piſana Academia Philoſophia, ac ſacra Theologia inſtructus, Metropolitanæ Eccleſiæ Florentinæ Canonicus ſacram Scripturam publicè explicauit: Cameræ deindè Apoſtolicæ Clericus, tum Epiſcopus Piſtorienſis renuntiatus, ſub Leone X. Hadriano VI. & Clemente VII reipublicæ adfuit à conſilijs. Nuncius, ad Regem Galliæ, & ad Cæſarem Clementis Pontificis iuſſu ad pacem inter eos componendam aduolauit, quibus muneribus perfunctus ſacra purpura ab ipſo Clemente ornatus, Maioris Pœnitentiarij dignitatem accepit. præfuit primò SS. IV. Coronatorum, tum S. Mariæ Transtyberim titulis, indè Albanenſem, Sabinenſem. & Portuenſem Epiſcopatum adminiſtrauit. E vita exceſsit Balneoregij die 14. Octobris Menſis anno 1544. Corpus Romam relatum iacet in Odeo S. Mariæ ſuper Mineruam apud Clementem VII. præcipuum Patronum cum ſequenti Epitaphio

D. O: M.

ANTONIO PVCCIO
Epiſc. Sabin.
Card. SS. Quatuor
Maiori Pœnitentiario moribus, & religione,

Ac

Ac in omnes
Probos liberalitate ſingulariſſimo.
Qui vixit annos LX.
Dies IV,
Robertus Puccius Card. SS. Quatuor
M. Pœnitent.
Fratris Filio iuxta Clementem
Papam VII.
A quo purpuram acceperat
Sepulchrum faciendum curauit.
Mortem obijt Anno
MDXLIV.

Tantus hic vir ſummo ſtudio elaborauit homilias quatuordecim non minus eruditas, quam pias de Corpore & Sanguine D.N. Ieſu Chriſti, de ſacrificio, eiuſdemque ſacrorum verborum declaratione.

Scripſit etiam plurimos Rythmos octonarios elegantiſsimos & Epiſtolas. In Lateranenſi Synodo Orationem habuit, quam euulgauit, dicauitque Leoni X.

Celebrant hunc Cardinalem Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Henricus Lud. Rupopozæus in Nomen. Card. Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius, cum Auctarijs, Iouius, Scipio Ammiratus in hiſt. Florentina, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Panuinius de Rom. Pont. alijq. multi.

Antonius Saulius Patritius Genuenſis, Octauij Senatoris ex Maria Iuſtiniana vxore filius, cœlibatui à puero nomen dedit, atque in Vrbe ſub Pio IV. Vtriuſque Signaturæ Referendarius, Apoſtolicus Nuncius Neapolitanus, Luſitanus & Hiſpanicus ſub diuerſis Pontificibus Eccleſiæ Romanæ partes cum dignitate ſuſtinuit. Archiepiſcopus deindè Genuenſis & S.R.E. Presbyter Card. à Sixto V. renũtiatus præfuit maritimæ Claſſi in Thraces paratæ, & Eremitãos Religioſos viros ſub regula S. Auguſtini patrocinatus eſt. Scripſit Synodum Diœceſanam Genuenſem, ac Regulas Confraternitatis flagris ſeſe cedentium. eiuſdem extant literæ plures ad diuerſos. Sacri Collegij Decanus & Epiſcopus Oſtien-

Oſtienſis die 24. Auguſti anno 1623. octogenario maior in Vrbe viuis abijt. Corpus iacet Genuæ.

Laudibus extollunt Antonium Auctarij Ciaconij, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Vbertus Folietta de Clar. Ligur. Hieronymus Rubeus in hiſt. Rauennæ, Petramellarius, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, alijque quamplures.

Antonius Triuultius, quem aliqui Io: Antonium nominant natione Italus, patria Mediolanenſis, Petri Neri Reguli filius, ex Epiſcopo Comenſi, atque ex Rotæ Auditore inſtante Rege Galliarum Alexandri VI. Pontificis beneficio adſcriptus eſt Preſbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Anaſtaſiæ; Maximiliano Imperatori in Italiam aduenienti Ducis Mediolanenſis nomine occurrit ad Alpes: mortem ſubijt, non in Vrbe Comenſi, vt aliqui ſcripsère, ſed Romæ die 16. alijs 18. menſis Martij anno octauo ſeculi decimi ſexti proximè elapſi. Corpus iacet in Eccleſia S. Mariæ de Populo cum hac Epigraphe.

ANTONIO TRIVVLTIO
Mediolanenſi
Summæ nobilitatis, integritatiſque viro
Ac
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero
Cardinali Comenſi
Qui vixit
Annos LI. Menſes II.
Obijt xv Kal. Aprilis MDVIII.
Iulio II. Pont. Max.

Extat typis excuſa huiuſce Cardinalis Oratio quam habuit Neapoli, antequam Mediolanum deduceret Iſabellam Regis Aragonenſis filiam, Ferdinandi Neapolitani neptam, Ioannis Galeatij Ducis Sponſam

Celebrant tantum virum Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Hieronymus Garimbertus, Petrus Bembus in Epiſt. & alij.

L 2 Anto-

Hiſpanicam, Sanctæ Inquiſitionis Concilij Præſes, Catholicæq. Maieſtatis à conſilijs ſtatus, Vir omnibus virtutibus ornatus, reliquit poſteris patria lingua typis expreſſum, Diſcurſum de obligatione in conſcientia, & iuſtitia, qua Prælati Eccleſiaſtici tenentur prouidere, & diſtribuere beneficia Eccleſiaſtica inter illos, qui habent intentionem reſidendi, & permanendi in ſtatu Clericali. Præfuit Titulis S. Crucis in Hieruſalem, tum S. Balbinæ. Deſijt viuere die 23. Aprilis, anno 1635. ætatis ſuæ 84.

De quo Auctarij Ciaconij, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpanica.

Arator Ligur Facundi filius, Poeta ſuo æuo clarus ex Cauſidico Monachus S. Benedicti atq. ex Monacho Diaconus Cardinalis eximetris verſibus acta SS. Apoſtolorum, quam Hiſtoriam Apoſtolorum prænotauit, duobus voluminibus deſcripſit. Florebat anno Chriſti quadrageſimo ſupra quingenteſimum. Extat eiuſdem Epiſtola ad Vigilium Romanum Pontificem, alia ad Partherium. Inter Epiſtolas Enodij tres ſunt ad Aratorem.

Eſt Aratoris mentio cũ laude apud Placidũ Puccinellũ Decanum Caſinenſem, Aubertum Miræum in Bibl. Eccl. Michaelem Iuſtinianum in Elencho Scrip. Ligurum, apud Auctarios Ciaconij, Xiſtum Senenſem Poſſeuinum in Apparatu, Philippum Picinellum in Atheneo Mediolanenſi, Baronium, & alios.

Ardicinus de Porta iunior natione Italus, patria Nouarienſis, Ardicini Senioris ex legitimo filio nepos, Pontificij, ac Cæſarei iuris Doctor Alerienſem, nec non Romuſcenſem Epiſcopatum obtinuit, legationes nõ vulgares obiuit, ab Innocentio VIII. in Preſbyterorũ Cardinaliũ numerum adſcitus, præfuit Titulo SS. Io: & Pauli, alias Pammachij, at imbecillitatem rerum humanarum ſecum ipſe conſiderans Monachum agere animo conſtituit: ab Vrbe igitur diſcedens Camaldulenſium Ordinem dimiſſa purpura ingreſſus eſt, quam paulò poſt eiuſdẽ Innocentij Põtificis iuſſu iterũ aſſumpſit. Mortem ſubijt Romæ die 4. vel 5. Februarij, ſeu verius pridie Nonas Nouẽbris ſub Alexãdro VI. ãno à Chriſti natiuitate 1493. electo ſepulchro in gẽtilitio Sacello S. Thomæ apud Vaticanum cum ſequenti Epitaphio.

ARDICINO DE LA PORTA
Ardicini Card. nepoti
Epiſcopo Alerien.

I.V.

I. V.
Peritiſſimo Conciliatori
Matthiæ Hungariæ
Regis
Cum Federico III. Auguſto
Gratiarum,
Iuſtitiæque Referendario & Signatori
Sedente
Sixto IV. & Innocentio VIII.
Et ab hoc ſponte ob merita
Presbytero Cardinali
Electo.
Qui vixit annos LIX.
Deceſſit ſub Alexandro VI.
A ſalute noſtra MCDXCIII.
Prid. Non. Nouemb.
Domeſtici Clientes, Hæredes,
Sacello ornato
Monimentum Hero rari exempli
Poſuerunt.

Extat Ardicini Epiſtola ad Innocentium Pontificem data, qua ſe excuſat, & cauſas refert ſui deceſſus clandeſtini ab Vrbe; eiuſdem literarum volumen cum hiſtorica narratione ſuarum Legationum, extabat M. SS. in Bibliotheca Cardinalis Sirletti.

Ardicini pietatem ſummis laudibus extollunt, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Hieronymus Garimbertus in Vita, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Franciſcus Cardulus in oratione funebri, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Carolus Epiſc. Nouarienſis in Nouaria, & alij plures.

Arduinus Canonicus Regularis Congregationis S. Fridiani Lucenſis, Præsbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem ab Alexan-

Alexandro III. Romano Pontifice renuntiatus ſcripſit Opuſculum de Deo immortali. Huic Hugo Eterianus Tuſcus vir doctus librum contra errores Græcorum nuncupauit, cuius libri auctorem ipſum Arduinum facit per errorem Franciſcum Maria Torrigius in Opuſculo de Scriptoribus Cardinalibus.

Celebrant Arduinum Fer. Vghellius in Ital. ſac. Gabriel Pennottus in hiſt. Canonicorum Regularium, Trithemius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Armandus Ioannes du Pleſis de Richelliu Gallus, Philoſophiæ ac Theologiæ laureatus. Henrici IV. Regis nominatione Epiſcopus Lucionenſis licet quintum ſupra vigeſimum non excederet annum, Eccleſiaſtes eloquens ſæpè ſepius Ludouico XIII. & Matre Regina præſentibus orauit cum laude; exindè Annę Reginæ Matris magnus Eleemoſynarius, Regi adfuit à ſecretis, regiæque domus præfecturam geſſit, ac pacem inter Regem, & Matrem firmauit, ad petitionem eiuſdem Ludouici Gregorius XV. tantum virum ſacra purpura ornauit, eumdem Sorbona omnium Doctorum calculo ſuum Prouiſorem elegit: Templum Academiæ erexit. Primus Regi a conſilijs ſanctioribus & ſecretoribus renuntiatur, mox Architalaſſus vt toti Oceano preeſſet, ſupremus rerum maritimarum Adminiſtrator, Inſulam Rheæam defendit, Rupellanam arcem ſuperauit, & ad obſequium Regis Montem a banum redegit, tumultus gallicos ſuppreſſit, Suſam & Pignerolum recepit, Caſali S. Euaſij ad Padum ſuppetias tulit. Dux & Par Franciæ, Prorex Britaniæ Armoricæ, primus Commendator Torquati Ordinis regij, Abbas Generalis Cluniaci, Ciſtercij, & Præmonſtrati obijt Pariſijs die 4. Decembris anno à Chriſto nato 1642. ætatis octauo ſupra quinquageſimum, ſepulchroque donatus in Sacello Sorbonico cum ſequenti Elogio.

Nouum Epitaphij genus.
Hic iacet
ARMANDVS RICHELLIV
Cardinalis.
Abi Viator in vno nomine
Epitaphium legiſti.
Redi. Viator audi aliquid minus

Quam

Quam̃ quod legiſti,
Hic oriundus à Regibus, aut pro Regibus
Ortus fuit.
Futuræ magnitudinis ſigna dedit adhuc puer
Etiam ſapientiæ diues locum
Alumnus
Sorbonæ impleuit eam ingenio,
Ea tota non plenus.
Propugnauit Theſes, breui ipſe Mundi
Theſis futurus.
Romam profectus Paulum V.
Ex
Papa Prophetam fecit,
Oſtendit ſe qualis eſſet
Et viſus eſt qualis eſſet futurus.
Redux repræſentauit Romam Galliæ
Qui Galliam
Exibuerat Romæ
Henricus Magnus apellabat Præſulem ſuum,
Facturus ſi vixiſſet
Qualem fecit Ludouicus.
Electus
In Miniſtrum Regium indè incipit
Vbi alij deſierunt.
Superauit antiquam ſapientiam
Dum ei addidit nouam
Superauit ſe ipſum maior alijs,
Et
Semper ſe minor.

Nemo

Nemō ſub eo bis errauit, vix ipſe errauit ſemel.
Idcirco organa cerebri gemina habuit,
Vt ſæpe ſapiens eſſet
Sæpè docuit volentem Galliam,
Et
Nolentem Hiſpaniam.
Magiſter Europæ quia docuit
Nouam artem ſapiendi
Fecit ſeculum ſapientiæ, dum Ludouicus
Fecit ætatem Iuſtitiæ
Primum illi bellum cum Hæreticis fuit,
indè incipere debuit
Cardinalis
Alterum bellum pro Gallia,
Et
Contra Galliam geſſit,
Tertio bello adiunxit Socios Galliæ,
Dum ſubtraxit Hiſpaniæ
Quarto bello fecit maiorem Galliam
Et
Minorem Hiſpaniam.
Poſt tot victorias ſuperari á morte vix potuit.
Aggreſſa eſt hominem per partes,
Non auſa ſimul totum aggredi
Decepta tamen eſt, inuenit immortalem
Dum peremit.
Scilicet dum toties moritur,
Immortalem ſe fecerat ante mortem
Quid moraris Viator?

 Interijt

Interijt Richellij vita,
Non ſapientia,
Adhuc mouet Europam mortuus,
Et
Galliam rediuiuus
Iacet intra Sorbonam,
Qui iacentem Sorbonam erexerat.
Reparauit antiquam,
Addidit nouam,
Et bis author Sorbonæ eſt;
Sed plus debet Richelio Sapientia,
Quam Sorbona.
Reſtituit Pariſijs Sorbonam,
Et vbique Sapientiam.
Abi Viator & diſce à mortuo ſapere.
Redi Viator
Viuit intra Sorbonam Richellius,
Quia intra Sorbonam
Nihil moritur.

Scripſit Richellius Cardinalis Inſtitutionem Chriſtianam ad Parochos, opus ſua mole paruum, ſed pietate & doctrina refertiſſimum.

Relationem belli Mantuani euulgatam Pariſijs anno 1669. in Memorijs bellorum Italicorum.

In Hæreticos reſponſum.

Librum de præcipuis punctis fidei Catholicæ aduerſus 4. Miniſtros Charentonij defensſi,

Explicationem Saluationis Angelicæ.

De perfectione Chriſtiana opuſculum.

Orationem quam totius Cleri Gallicani nomine habuit coram Rege, & Regina Matre.

Armandi Cardinalis laudes attigerunt quotquot ſuo æuo in

Gallia floruerunt librorum Auctores; præterea Auctarij Ciaconij, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Sammarthani in Chriſtiana, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Quercetanus in hiſtoria, Petrus de Bertier & Io: Delingendes in Oratione funebri, Andreas Taurellus in Vita, & alij plures, qui eidem ſuas lucubrationes nuncuparunt.

Arnaldus Falguerius ſeu Felguerius, vel de Falteriis, aut Falgerijs natione Gallus ex Archiepiſcopo Arelatenſi à Clemente V. Epiſcopus Sabinenſis & S. R. E. Camerarius renuntiatus, nec non Legatus Apoſtolicus ſcripſit relationem de ijs quæ in Vrbe euenerant in coronatione Henrici Imperatoris, & Clementi abſenti miſit, quam inuenies apud Odericum Raynaldum tomo xv. Annalium Eccleſiaſticorum. Deceſſit Auenione die 12. Sept. anno decimo tertio poſt ſeculum decimum tertium à Chriſto nato.

De hoc Cardinali tractant Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Petrus Frizon in Purpurata, Sammarthani in Chriſtiana Gallia, Bernardus Guido in Chronico, Auberyus, Rainaldus in Annal. & alij.

Arnaldus Faltuerius, ſeu Frangerius, vel Frigerius, alius à ſuperiori de Cantalupo dictus ex Præſule Burdegalenſi non conſecrato ad ſacram purpuram à Clemente V. patruo vocatus ſub Titulo S. Marcelli interfuit Concilio Viennenſi celebrato anno 1315. & Synodum Prouincialem habuit apud Roffiacum anno 1326. cuius acta ab ipſo Arnaldo deſcripta extant. facto exceſſit cum adminiſtraſſet Eccleſiam ſibi commiſſam diebus ſex ſupra annos 27. MCCCXXXII. quare erraſſe conſtat illos qui affirmarunt Arnaldum hunc è vita exceſiſſe anno 1310.

Eſt huiuſce mentio apud Panuinium, Auctarios Ciaconij, Raynaldum in Annal. Bernardum in Chronico, Monumenta Eccleſiæ Burdegalenſis, Sammarthanos in Gallia Chriſtiana & alios multos.

Arnaldus Oſſatus Gallus obſcuris parentibus natus ad gloriam, virtutis via, honeſtaque conuerſatione paulatim ad ſummos honores in Vrbe peruenit. cum Foxio Legato regio è Gallia Romam venit à ſecretis, illoque in ea Legatione extincto, ab Henrico Rege huius nominis tertio Regis Procurator renuntiatus publica negotia ſumma cum laude adminiſtrauit. Henrici IV. reconciliationem cum Eccleſia tractauit. Rhedonenſis Epiſcopus primò, tum Presbyter Cardinalis Tituli S. Euſebij, & relicto Rhedonenſi, Baiocenſi Sacerdotio eſt auctus. Tanta, tamque

præclara ei fuit eruditio, vt non modo iuriſprudentiſſimus, verum etiam Theologicæ, Philoſophiæ, Mathematicæ, humanitatis ita intelligens, ac peritus euaſit vt excellens in ſingulis haberetur.

Scripſit partim gallico, partim latino ſermone expoſitionem in Diſputationem Iacobi Carpentarij de Methodo.

Additiones ad eamdem diſputationem.

Epiſtolas aliquas aduerſos Carpentarium.

Quædam in medicina.

Epiſtolarum eruditiſſimarum volumen.

Romæ vale dixit huic ſeculo pridie Idus Martij anno ſalutis 1604, ætatis 68. Corpus in Eccleſia S. Ludouici iacet ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

ARNALDO OSSATO GALLO
S. Euſebij
Presb. Card. Epiſcopo Baiocen.
Qui omnium
Per multos annos Galliarum
In Vrbe negociorum,
Conciliorumque particeps & adminiſter,
Rariſſime in Reges ſuos fidei,
Egregiorumque meritorum teſtimonio
Sacra purpura ornatus
Ampliſſimi Ordinis dignitatem
Ea ſapientiæ,
Integritatiſque fama,
Eaque in omnes propenſione cumulauit,
Vt ſui deſiderium exteris
Quoque nationibus
Cum admiratione reliquit;

Vixit

Vixit Annos LXVII. Menſes x1. dies 20.
Deceſſit pridiè Idus Maij MDCIV.
Petrus Boſſi
Lugdunen. Cubiculi Præfectus,
A ſecretis
Et Renatus Couuertin Andeg. à Cubic. item,
Et
Secretis ex trientibus hæredes
Patrono Optimo
Et
Indulgentiſſimo S. P. P. C.

De hoc Cardinali tractant cum laude Tarquinius Gallucius è Soc. Ieſu in Orat. funebri; Thuanus in hiſt. Sammarthani in Elogijs & in Gallia Chriſt. Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auctarij Ciaconij, Felix Contelorius in Elencho & alij plures.

Arnaldus de Veza, ſeu de Via alijs Arnaldus Gallus nepos Sororius Ioannis XXI. Pont. dicti XXII. Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, & Archiepiſcopus Auenionenſis ſcripſit pia quædam in laudem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Epiſcopales ædes Antiſtiti habitandas pretio comparauit. fundauit Carthuſiam Bonipaſſus. mortalitatem in regimine ſuæ Eccleſiæ exuit anno ſexto ſupra trigeſimum ſeculi decimi quarti à Chriſti natiuitate. iacet in æde Collegiata S. Mariæ Villænouæ ſecus Auenionem ab ipſo condita & dotata, tumulo pernobili ſepultus.

Eſt huiuſce Cardinalis memoria apud Bernardum Guidonem in Chronico, Petrum Frizonium in Gallia purpurata, apud Auctores Galliæ Chriſtianæ, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Eiſingreniū, Hippolytū Marracciū in Bibliotheca Mariana, Stephanum Baluze in Antifrizonio, & alios.

S. Arſenius Romanus Patritius ex Diacono S. R. E. Eremita, & Abbas apud Scetim Ægypti montem, in græca, latinaque lingua verſatus, à Theodoſio Imperatore magni habitus, cui Arcadium & Honorium filios erudiendos in pietate & literis commiſit, vixit vſque ad annum ſuæ ætatis vigeſimum ſupra centeſimum,

ſimum, quorum quinquaginta quinque inter Monachos ſanctiſſimè traduxerat.

Huius Sancti, ac doctiſſimi viri extant ſententiæ aliquæ inſertæ Vitis Patrum & apud Lipomanum Sermo ſeu Diſcurſus Monachis dictus in Eremo. Fanuſius Campanus Auctor dubiæ fidei, dicit in Bibliotheca Vaticana ſeruari Arſenij Opus de familijs Romanis.

Celebrant Arſenium Martyrologia omnia, Romanum videlicet, Bedæ, Vſuardi, Adonis, Græci in Menologio, Baronius in Notis, & in Annal. tomo 4. anno 383. & tomo 5.412. Collegit huius acta Metaphraſtes, quæ referunt Lipomanus tomo 6. & Surius Tomo 4. ex quibus, vti etiam ex Martyrologio Romano habemus inter Diaconos S. R. E. cooptatum fuiſſe à Damaſo Papa, aut à Siricio ſucceſſore.

Aſcanius Columna Domicellus Romanus, Marci Antonij Palliani, ac Talliacotij Ducis, rerum præclariſſimarum gloria clariſſimi, filius, à Sixto V. Romano Pontifice Diaconus Cardinalis SS. Viti & Modeſti primò, tum S. Nicolai in Carcere, & S. Mariæ in Coſmedin renunciatus, ex Diacono Presbyter præfuit Titulis S. Pudentianæ, ac S. Crucis in Hieruſalem, demum Epiſcopus rexit Præneſtinam Eccleſiam. Tantus hic vir ſcripſit Orationes plures, inter quas illa eſt quam habuit in funere Annæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ in lucem edita anno 1581. & aliam in obitu Philippi II. Regis euulgatam Matriti in 4. anno 1599.

Epiſtolas ad diuerſos, quarum illas latina lingua ad Franciſcum Bencium vidi in Bibliotheca Collegij Romani.

Odem de fructu Sublacenſis ſolitudinis.

Opus de Monarchia Siciliæ.

Opuſculum ad Rempublicam Venetam occaſione interdicti Pauli V.

Romæ in paternis ædibus piè deceſſit die 17. ſeu 18. Maij anno octauo vertentis ſeculi decimi ſeptimi, ætatis ſecundo, ſeu verius nono ſupra quadrageſimum.

Corpus in Baſilica Lateranenſi apud Martini III. alij V. tumulum ſepulchrum habuit.

Celebrant Aſcanium Auctarij Ciaconij, Ianus Nicius in Pinacotheca, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. & de Cardd. Columnenſibus, Petramellarius, Auctor Nomenclatoris Card. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana; Cæſar Card. Raſponus de Baſilica Lateranenſi, Ioſeph Silos in hiſt. Cleric. regul. Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, Iacobus Gaddius de

de Script. non Eccl. Ioſeph. Maria Suareſius de Epiſc. Præneſtinis, Nicolaus Antonius in Bib.hiſp. & alij multi.

Auguſtinus Oregius ex oppido S.Sophiæ in Æmilia natus, poſt Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudia, laurea obtenta in Collegio Romano Soc. Ieſu in Maphæi Cardinalis Barberini familiam vocatus non recuſauit, à quo Pontifice iam renuntiato purpuram, & Archiepiſcopatum Beneuentanum cum Titulo S. Sixti accepit: tantus hic vir plura elucubrauit, videlicet.

Explicationem tractatus Ariſtotelici de anima. Romæ 1631.

Opuſcula de Deo Trino & vno; de Angelis, de Trinitate, de Incarnationis myſterio, de hierarchia Eccleſiaſtica, in quo multa de Romano Pontifice.. de Opere ſex dierum.

Epiſtolam paſtoralem ad Beneuentanos.

Euolauit in Cœlum è regimine ſuæ Eccleſiæ 4. Idus Iunij anno ſalutis humanæ 1635. ætatis ſuæ 57. ſeu 58. ex quibus vno, ac dimidio in purpura, non dimidio toto Beneuenti fuit, in cuius Cathedrali humatus ſub hac inſcriptione.

D. O. M.

AVGVSTINO

Tit. S. Sixti Presbytero Card. Oregio,

Viro innocentia probè

Spectato, nedum virtutibus,

Verum cœteris ſcientijs,

Ac

Morum ſuauitate conſpicuo,

Vaticanæ Baſilicæ

Canonico

S. D. N. Vrbani VIII.

Theologo,

Intimo Cubiculario,

Eleemoſynis generali Præfecto,

Sacræ & Vniuerſalis Inquiſitionis Rom.

Fide-

Fideliſſimo Conſultori,
Varijs, arduiſque muneribus egregiè functo
Ab eodem
Vrbano ad Sacram Purpuratorum dignitatem,
Et
Ad hanc inſignem Beneuent. Metropolim
Ex meritis euecto anno ætatis
LVIII.
Poſt Purpuram XIX. Menſe XII. Iulij
MDCXXXV.
Celebri orbita cumulato
Ioannes Frater, Nicolaus & Ioſeph Nepos
M. PP.

Meminere Auguſtini Cardinalis Marius Vipera in Chronologia Archiep. Beneuentanorum, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſacra, Ioannes de Tollenare Antuerpienſis, Laurentius Paganinus, Io: Thomas Gilliolus, Lælius Guidiccionius, Leo Allatius in Apibus Vrbanis, Auctarij Ciaconij & alij.

Auguſtinus Spinula Ioannis filius patria Sauonenſis ex Epiſcopo Alatrino & Peruſino à Clemente VII. Rom. Pontifice renuntiatus Presbyter Card. S. Cyriaci in Thermis primus in nobilem Spinularum familiam ſacrum purpuræ honorem intulit. Præter Peruſinam, Sauonenſem in Liguria, & Alatrinenſem Eccleſias adminiſtrauit, ampliſſimum Romanæ Quæſturæ Magiſtratum, quem Camerarium vulgò dicunt per aliquot annos obiuit, interfuitque Concilio Lateranenſi habito ſub Leone X. Huius ſunt literæ, datæ Fratribus Minoritis, Terræ Sanctæ loca colentibus, quas Fr. Lucas Vadingus in Annalibus Minorum reſcripſit. Deceſſit Romæ die 18. Menſis Octobris anno ſeculi decimi ſexti, ſeptimo ſupra trigeſimum.

De Auguſtino Spinula Card. ſcripſere Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Aubertus Miræus in Elogijs Spinularum, Vbertus Folietta in ligurum Elogijs, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium & alij.

Augu-

Auguſtinus Triuultius Patritius Mediolanenſis Ioannis filius ex Cubiculario Iulij II. Romani Pontificis Protonotarius primò, mox Diaconus Cardinalis S. Hadriani, tum S. Nicolai in Carcere à Leone X. Iulij ſucceſſore renuntiatus, præfuit Eccleſijs Tolonenſi, Baionenſi, Rothomagenſi, Petragoricenſi, imò ex aliquibus Maſſilienſi, & Varenſi in Gallia, Bobienſi, Aſtenſi, Nouarienſi in Ducatu Mediolanenſi, Brugnatenſi in liguria, nec non Rhegienſi in Calabria. ſunt qui ſcribunt etiam Mediolanenſem adminiſtraſſe. ſub Clemente VII. Legationem geſſit in Campania & in Gallia, Archipresbyter Lateranenſem Baſilicam, ſeu ex alijs Vaticanam moderatus eſt. Abijt è vita Romæ pridiè Kal. Aprilis, ſeu 13. Kal. Aprilis anno ſalutis 1548. ſepultus in æde S. Mariæ de Populo, ſub hac Epigraphe communi cum Io: Antonio eiuſdem familiæ Cardinali.

Magnis Patruis
IO: ANTONIO
Ab
Alexandro VII.
Auguſtino à Leone X.
Cardd. Ampliſſ.
Theodorus
Card, Triuultius.
MDCLIV.

Hiſtoriam Romanorum Pontificum, & S. R. E. Cardinalium Auguſtinus conſcripſit, quam morte præuentus euulgare non valuit, extat tamen M. S. apud plures.

De hoc Cardinali tractant, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Auberyus, Sammarthani in Gallia Chris. Petrus Bembus, Iacobus Sadolettus in Epiſt. Matthæus Gibertus, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Hieronimus Garimbertus, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Nomenclator Cardinalium, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia & alij plures.

Auguſtinus Valerius Patritius Venetus, Alberti, ac Luciæ, Bernardi Nauagerij Cardinalis Sororis filius, Venetijs natus anno

trigeſimo primo ſeculi decimi ſexti ; græcis, latiniſque literis, Philoſophicis ac humanioribus ſtudijs ab adoleſcētia apprimè excultus, Philoſophiam iuuenis publicè docuit Theologiæ, nec non iuris ſcientiæ operā etiam dedit, ac hebraicæ linguæ cognitionē habuit. Poetas, Oratores, & Hiſtoricos penè omnes perlegit. Veronenſem Eccleſiam per Naugerium Auunculum obtinuit, cuius regimini inuigilans Synodum quotannis habuit. Clericorum Seminarium erexit, Noſocomia, aliaque pia loca inſtituit, Virginium, ac Viduarum pudicitiæ conſuluit, Iudæos Veronæ Chriſtianis permixtos ſecreuit, ſeptoque loco concluſit, eam ob rem à Populo Veronenſi ex publico decreto ænea ſtatua illi erecta. Gregorius XIII. oculatiſſimus Princeps Viſitatorem primò conſtituit Auguſtinum Clericorum Dalmatiæ, atque in vniuerſo ditionis Venetæ imperio, deinde Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Marci eumdem adſcripſit, è quo Titulo progreſſu temporis gradū fecit ad Epiſcopatum Præneſtinum; in qua dignitate religioſiſſimè Romæ ceſſit è vita anno à Chriſti natiuitate ſexto ſupra milleſimum ſexcenteſimum. Corpus Veronæ iacet ſub hac Epigraphe.

AVGVSTINVS VALERIVS
Cardinalis
Epiſcopus Veronenſis
Vixit Annos LXXVI.
Menſem I, dies XVII.

Tantus hic Vir ſupra centū ac viginti opuſcula latino & italico ſermone, nec non Dialogos vndeuiginti reliquit in Poſterorum commodum, quorum Syllabus hic eſt.

Orationes in funere Lazari Bonamici Præceptoris ſui, Petri Landi, Marci Antonij Triuiſani, Franciſci Donati Ducum Venetiarum.

Epiſtola conſolatoria ad M. Antonium Genuā in obitu filij annorum 20.

Libellus prænotatus Petrus Franciſcus Contarenus Patriarcha.

Somnium ad Marinum Grimanum.

Intinerarium, ſeu deſcriptio itineris Romani.

Libel-

Libellus quo modum docet legendi Ariſtotelem, Leonardo Donato nuncupatus.

Contra barbariem Opuſculum.

Panegiricus de Republica Veneta ad Aloyſium Contarenum.

De ſtudijs in quibus iuuenis Venetus præcipuè verſari debet. Ad eundem Contarenum.

De moribus qui in Veneto laudantur ad Bernardum Zane.

De ſcribendis Epiſtolis ad Gaſparem Contarenum.

Libellus hortatorius ad Iuſtinianum Contarenum.

De ratione ſtudiorum ad Laurentium Priulum.

De tempore libellus.

Similis de loco

Meditationes quædam anno ætatis duodetrigeſimo ſcriptæ.

Præfationes habitæ in Gymnaſio Veneto, cum à Senatu delectus fuit ad Philoſophiam nobilibus adoleſcentibus explicandam.

De recta philoſophandi ratione libri duo.

De Commentarijs conficiendis ad Aloyſium Contarenum.

de ambitione Dialogus ad Ioannem Grittum.

Epiſtola in laudem libri Hieronymi Oſſorij de Iuſtitia.

Libellus quo probat Argumenta Ariſtotelis pro Mundi æternitate refelli poſſe.

Alius de animorum immortalitate.

Alius hortarius ad Nicolaum Barbadicum, vt more Maiorum cauſas Venetijs ageret.

De conſolatione ad eundem in morte Fratris.

Opuſculum quo iuris Cæſarei & Pontificij ſtudium, Philoſophiæ ſtudijs præfert ad Iulium Guidam.

De conſolatione opus.

Dialogum de fugiendis honoribus ad Bernardum Nauagerium auunculum.

Conuiuium noctium Vaticanarum Romæ.

De vtilitate quæ ab illis qui Romæ viuunt præcipi poteſt, ad Carolum Card. Boromæum.

Epiſtola conſolatoria ad eundem in obitu fratris.

Translatio in latinum libelli S. Baſilij de Virginitate.

Sermones quamplurimi italico ſermone habiti Romæ in Congregationibus pluribus, Synodis &c.

Sermones ad Populum Veronenſem.

De

De diſciplina Acholitorum libri duo.

Opuſculum de legatione ad Aloyſium Contarenum.

Libellus ad Nicolaum Thomiſium Polonum de modo conuerſandi cum Hæreticis.

Vita Cardinalis Nauagerij Auunculi ad Io: Aloyſium eius fratrem.

De Rhetorica Eccleſiaſtica libri tres.

Prælectiones tres ad Rhetoricam.

Libellus de temerario auſu in Carolum Cardinalem Boromæum.

Opus prænotatum Epiſcopus, ad Card. Boromæum eumdem.

Homiliæ pluſquam centum in Euangelia ſecundum ritum Ambroſianum.

Libellus de amiſſa Nicoſia ad Philippum Mocenigum Archiepiſcopum.

Opus præſcriptum Cardinalis, ad Card. Carafam.

Libellus quo complexus eſt omnia quæ acciderunt Veronæ tempore peſtilentiæ, editus anno 1575.

Liber de ſtatu eorum quæ virginitatem cuſtodiunt ad Donatam Sororem.

De Viduis opus Italica lingua.

De ſtatu Monialium ad Moniales Veronenſes italico ſermone.

De conſcribenda hiſtoria ad Aloyſium Contarenum equitem eodem idiomate.

Libellus ad Nicolaum Barbadicum, qua ratione Bayli munus pro Republica Veneta Bizantij obeundum ſibi eſſet.

Libellus inſcriptus Memoriale ad Aloyſium Contarenum italica lingua.

Libellus ad Iacobum Surianum Congregationis Theatinorum, in quo oſtendit rationibus quampluribus Religioſorum vita, Senatoriæ præferendam eſſe, italica lingua.

Epiſtolæ aliæ, vel potius libelli ad eundem Foſcarenum Præfectum Inſulæ Cretæ.

Liber inſcriptus, cur Conſtitutiones non ediderit.

Epiſtolæ paſtorales italica lingua.

Conſtitutiones ad vſum Dalmatiæ, aliæ ad vſum Iſtriæ.

Liber paræneticus Conſtitutionum Venetarum.

Opus magnum in nouendecim libros diſtinctum, ſeu hiſtoria

de

de rebus geſtis Venetorum; de adulterinæ prudentiæ regulis vitandis, ſiue de politica prudentia cum Chriſtiana pietate coniungenda ex veterum potiſſimum hiſtorijs ad Fratris, Sororiſq; filios.

Homiliæ ſupra quadraginta de Paſſione Domini.

Libellus de Epiſcopis Veronenſibus.

Concio de onere Cardinalatus habita ad Veronenſes, die qua accepit biretum rubrum.

De perniciofis falſæ prudentiæ regulis.

De regula variæ prudentiæ.

Theſaurus piarum & chriſtianarum inſtitutionum.

Literæ quamplures ad Cardinales, Epiſcopos, Principes, Venetos Senatores & alios.

Homiliæ aliæ in Paſſione Domini habitæ.

Vita Caroli Cardinalis S. Praxedis.

De occupationibus Diacono Cardinali dignis, ad Federicum Card. Boromæum.

De conſolatione Eccleſiæ libri ſex ad Aſcanium Cardin. Columnam.

Opuſculum ad Federicum Card. Boromæum.

De vtilitate capienda ex corporali ægritudine ad Cardinalem Sfortiam.

Opuſculum de cautione adhibenda in edendis libris ad Syluium Antonianum poſteà Cardinalem.

Opuſculum de inueſtigandis remedijs tentationum paſtoralium ad Nicolaum Sfrondatum Cardinalem Cremonæ.

Somnium in Conclaui quando creatus fuit Vrbanus VII. Pont. Max.

De vtilitate capienda ex conclaui.

Somnium de Carolo Card. S. Praxedis,

Libellus italica lingua ad Albertum Epiſcopum Famaguſtanum, & Coadiutorem Veronenſem, qui inſcribitur Inſtructio.

Somnium in ædibus S.Praxedis ad Federicum Cardinalem Boromæum.

De benedictione Agnorum Dei ad Gregorium XIV. Pont. Max.

Libellus conſolationis ad eundem.

De poſtremo Sermone Gregorij XIV. P. M. ad Cardinales habito.

Dialo-

Dialogus de lætitia Chriſtiana.

Soliloquium in Conclaui in quo creatus Clemens VIII.

Commentarius Viſitationis Clementis VIII. Pont. Max.

An aliquid addi poſſe videatur libro de Sacri Conſiſtorij conſultationibus Card. Paleotti.

De ſenectute recreanda ad Card. Paleottum.

Quod oporteat ſemper orare, præſertim pro Romano Pontifice Chriſti Vicario.

De ſenectute Mundi.

De vtilitate ex dono lacrymarum.

De comparanda & tuenda boni Principis exiſtimatione ad Ducem Vrbinatem.

De occultis Dei beneficijs.

Qua ratione monendi ſint detrahentes Reipublicæ Venetæ.

De cautionibus adhibendis his temporibus à Clericis in diſputando.

Cauendum eſſe ne quiſquam ſibi ipſi nimium credat ad Fededericum Card. Boromæum.

De cauta imitatione Sanctorum Epiſcoporum ad eumdem.

Libellus conſolatorius ad eumdem de obitu Matris.

De memorabili die 17. Septembris anno 1595. ad eumdem.

De paterna charitate Clementis VIII. Summi Pontificis erga ampliſsimum Regem Galliæ.

Hiſtoria anni Iubilæi 1600.

Apologia ad Veronenſes.

Homilię centum ad vſum Parochorum Mediolanenſium.

Homiliæ in feſtis B. Mariæ, S. Martini, SS. Andreæ, Antonini, Cæciliæ, Romani, Ambroſij, Clementis, Nicolai, in nocte Natiuitatis Domini, in Aurora, & in 4. Dominica poſt Epiphaniam.

De eximia humanitate Clementis VIII. erga Rempublicam Venetam ad Bernardum Valerium.

Manendum in vocatione qua quis vocatus cum animi tranquillitate ad Auguſtinum Valerium fratris filium.

De reuerentia & obedientia erga Chriſti Vicarium.

Libellus, ſiue Apologia qua cur redditum ſuum ad paſtorale munus per aliquot menſes diſtulerit.

Sermones vtraque lingua, latina ſcilicet & etruſca de B. Mariæ laudibus.

Dialogi XIX. de æſtiuo canis ortu, diebus canicularibus habiti in aula magna S. Marci Romæ.

Meminere tanti Cardinalis Ciaconij Auctarij, Petramellarius, Antonius Sanderus in Elogijs, Ludouicus Donius Dattichy in hiſt. Cardd. Guido Card Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Iacobus Gaddius de Script. non Eccl. Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Octauius Boldonus in Inſcrip. Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Franciſcus Auguſtinus ab Eccl. in hiſt. Pedemontana, Caccinus in hiſt. Spondanus in Annal. Hieronymus Ghillinus in Theatro, Ioſeph. Silos in hiſt Clericorum Regularium, Carolus à Baſilica Petri in Vita S. Caroli, Ianus Nicius in Pinacotheca, Gabriel Card. Paleottus de ſacris Conſiſt. conſultationibus, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore, Franciſcus Maria Torrigius de Scrip. Card. M. Antonius Muretus in Epiſt. Tomaſinus de nobilitate gentis Valeriæ, & alij omnes qui hiſtorias ſeculi decimi ſexti lucubrarunt, cum Vincentio Roboardo de geſtis Sixti V.

Balthaſſar

B

BAlthaſſar Coſſa Neapolitanus ex Diacono S. Euſtachij, Bononiæ, Flaminiæque Legato renuntiatus Romanus Pontifex Rempublicam Chriſtianam ſub nomine Ioannis XXII. alijs XXIII. per annos quinque, dieſque quindecim adminiſtrauit, quo tempore elapſo à Concilio Conſtantienſi coactus, iuxta ſchedulam promiſsionis Pontificatum abdicauit, euulgatus eſt Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, ac Sacri Collegij Decanus, quo in munere ſupremum diem obijt 22. Decembris Menſis die anno ſalutis 1419. Florentiæ, cuius ſepulchro hæ notæ inſculptæ.

BALTHASSARIS COSSÆ.
Ioannis XXIII.
Quondam Papæ
Corpus hoc tumulo conditur.

Tantus hic vir ſcriptis conſignauit librum vincta oratione; de fortunæ varietate. Et Epiſtolas quaſdam, quarum aliquæ euulgatæ ſunt cum Concilio Conſtantienſi, aliæ verò M. SS. in Vaticano aſſeruantur.

Meminere Balthaſſaris Baptiſta Platina, Bonifacius Simoneta, Panuinius Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Theodoricus Niemus, in Vita, Henricus Spondanus in Eccl. Lucas Vadingus in Minorum Annalibus, Acta Concilij Conſtantienſis, Ægidius Viterbienſis in hiſt. 20. Secul. Hieronymus Garimbertus, S. Antoninus, Ianus Vitalis & hiſtorici omnes ſeculi decimi quinti.

Balthaſſar de Moſcoſo & Sandoual Hiſpanus, S. R. E. Cardinalis, nec non Archiepiſcopus Toletanus ſanctiſſimæ vitæ, Pauperum Pater omnium voce nuncupatus, ſcripſit Epiſtolam omnibus Hiſpaniarum Epiſcopis & Prælatis circa myſterium immaculatæ Conceptionis Mariæ, abſque peccato originali conceptæ, impreſſam Hiſpali anno ſalutis 1655. vixit vſque ad vltimam ſenectutem, obijtque Toleti Menſe Septembris anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi quinto ſupra ſexageſimum, ætatis ſuę 77. purpuræ à Paulo Quinto acceptæ quinquageſimo.

Cele-

Celebrant hunc Cardinalem Auctarij Ciaconij, Franciſcus Labata in Apparatu Concion. Io: de Lugo Card. in Diſp. Scolaſticis de Incarnatione, Gabriel de Hannez de Scientia media, Sebaſtianus Izquierda in Pharo ſcientiarum, Franciſcus de Ouiedo in curſu Philoſophico.

Bandellus de Bandellis natione Italus, patria Lucenſis, iuris vtriuſque Doctor, ex Tiphernate, Ariminenſis Epiſcopus, tum Presbiyter Cardinalis S. Balbinæ à Gregorio XII. euulgatus, ſcripſit Epiſtolam, ad Abbatem S. Saluatoris de Monte Amiato directam; atque e vita exceſſit Menſe Auguſti, ſeu Septembris, ãno decimo quĩto, vel ſeptimo ſupra milleſimũ quadringẽteſimũ.

Eſt Bandelli mentio apud Ciaconium & Auctarios, Ferdinandum Vghellium Tomo I. Italiæ ſacræ, Panuinium, Auberyum in Vita, Felicem Contelorium in Elencho, & alios plures.

Bartholomæus Cæſius Romanus, Angeli Copiarum Pontificiarum Ducis contra Hugonottos ex Beatricæ Caietana vxore filius à Clemente VIII. Cardinalibus adſcriptus præfuit primùm Diaconiæ S. Mariæ in Porticu, quam Eccleſiam inſtaurauit, ornauit, ac Clericis Regularibus Lucenſibus conceſſit, deindè inter Presbiteros adnumeratus S. Petri ad vincula Titulum obtinuit, quo relicto gradum fecit ad alium S. Praxedis, tum ad S. Mariæ Tranſtyberim, demum ad S. Laurentij in Lucina. Tibure quam Epiſcopalem Eccleſiam regendam ſuſceperat die 18. Octobris anno 1621. ſeu 1622. migrauit è vita. Corpus Romam ad Liberij Baſilicam delatum in Familiæ Sacello iacet. Auctor hic fuit Archiuiorum Molis Hadrianæ, ac Vaticani, pollebat maximo ingenio, & applicatione animi maxima ad ſcientias omnes ducebatur; typis publicis euulgatæ ſunt tanti Cardinalis literæ ad Io: Baptiſtam Laurum.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Petramellarius, Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, Ioſeph Matraria & Ludouicus Marraccius in hiſt. S. Mariæ in Porticu, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Io: Baptiſta Laurus in Epiſt. & alij plures.

Bartholomæus de la Cueua Hiſpanus, Franciſci Fernandez Ducis Alburquequij filius, Presbyter Cardinalis S. Matthæi in Merulana à Paulo III. Romano Pontifice nominatus, quem titulum poſtea cũ S. Bartholomæi in Inſula, primò, tum cum alio S. Crucis in Gieruſalem commutauit, literas edidit in morte S Patris Ignatij, Fundatoris Societatis Ieſu, quæ extant typis excuſæ. E vita abijt Romæ pridiè kalendas Iulij anno ſexageſimo

ſecundo ſeculi decimi ſexti, ætatis 63. ac ſepulchrum habuit in Eccleſia S. Iacobi nationis hiſpanicæ, cum ſequenti Epigraphe aureis literis expreſſa in ipſius Templi aditu.

D. O. M.

BARTHOLOMÆVS CVEVA
Ab
Illuſtriſsimis Ducibus
De
Alberqueque ortus
S. Crucis
In Hieruſalem
Presbyter Cardinalis
Hunc
Locum ſibi ad ipſa
Templi limina optauit.
Domine propitius eſto mihi peccatori.
Vixit annos.
LXII.
Menſes x. die VII.
Obijt anno ſalutis.
MDLXII.
Pridiè Kal. Iul.

Meminere Bartholomæi Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Antonius Sanderus in Elogijs Cardd. Io: Antonius Petramellarius., Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Nicolaus Orlãdinus in Hiſt. Soc. Ieſù, Sfortia Caro. Pallauicinus in Tridentina hiſtoria, Felix Contelorius in Elencho & alij multi.

Bartholomæus Guidiccionus nobilis Lucenſis Presbyter Cardinalis primò S. Cæſarei in Palatio, mox S. Priſcæ à Paulo III.

Romano

Romano Pontifice renuntiatus ſcripſit præter opuſcula multa, ac viginti in vtroque iure volumina quæ in Bibliotheca Vaticana aſſeruantur, Epiſtolas aliquas, nec non elegiacum carmen de laudibus villæ ad Ioannem Nepotem Epiſcopum Foroſemponienſem, editum in lucem in ſecundo tomo Italiæ ſacræ Ferdinandi Vghellij Abbatis Ciſtercienſis. vidi eiuſdem carmen hiſtoricum in laudem B. Mariæ elucubratum, cuius originale M.S. aſſeruabatur in Bibliotheca Ducis Vrbini. apud Lælium Guidiccionum Lucenſem olim, nunc in Bibliotheca Barberina ex dono eiuſdem Lælij, ſunt M.SS. hæc eiuſdem Auctoris opera.

De Sacramentis Pœnitentiæ,& Extremæ vnctionis Tractatus.
De Concilio Vniuerſali Volumen.
De Concilio Generali, deq; Eccleſia Volumen.
De Indulgentijs Tractatus.
De virtutibus & Sacramentis.
De Viſitatione cum tabula.
De Miſſa, eiuſdemque miſterijs.
De Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis.
De Baptiſmo.
Confirmatione.
Euchariſtia.
Pænitentia.
De Sacramento Matrimonij.
De Peccato.
De materia beneficiali.
De Beneficio Eccleſiaſtico.
De Signatura Gratiæ & Iuſtitiæ.
De libero arbitrio contra iniquos Pauli Apoſtoli interpretes.
Humana murmura aduerſus Deum, & Chriſtum eius Opuſculum.

Ad noſtrum Bartholomæum ſunt plures Petri Aretini literæ. mortalitatē exuit in Vrbe pridiè Nonas Nouēbris, ſeu ex alijs die 28. Auguſti Menſis, anno Dominicæ natiuitatis 1549. Cadauer Lucam relatum iacet in Cathedrali ſub hac Epigraphe.

BARTHOLOMÆO GVIDICCIONO
Cardinali
Et Præſuli Lucenſi,
Iuris vtriuſque Conſulti,

Et
Theologiæ perito ;
Paulo I I I. Pontifice Maximo
Vti gratiſsimo ,
Ita multis , magniſque rebus,
Et
Signandis libellis iuſtitiæ
Et
Gratiæ exercito
Et
Cum quietæ ſtudium vitæ ,
Ociumque appeteret inuitè euecto,
Graui totius Curiæ damno .
Et
Mœrore è medio ſublato .
Nicolaus Guidiccionus Nepos
Patruo amantiſſimo .
Vixit Annos L X X X.
v. Kal. Septéb. M D X L I X.
Inter nos eſſe deſijt .

Eſt Bartholomæi mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Ludouicum Donium D'Artichy in Vita Felicem Contelorium in Elencho, Panuiniũ, Nicolaũ Orlandinũ Soc. Ieſu in hiſt. ſui Ordinis , & alios multos .

Bartholomæus Martinus natione Hiſpanus, patria Valentinus, Epiſcopus Segobienſis in Arragonia , & Præfectus Palatij Pontificij ab Alexandro VI. renuntiatus Presbyter Cardinalis S. Aghathæ in Suburra , adminiſtrauit Eccleſiam Balneoregienſem & & Tullenſem , ac Synodum congregauit in diœceſi Segobri. cenſi , ſeu Segobienſi , cuius acta ipſemet deſcripſit . E vita migrauit Romæ die 25. Aprilis , vel ex alijs 25. Ianuarij anno ſalutis humanæ 1500. Corpus in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum

lorum marmoreo ſepulchro conditum ſolo nomine prænotatū.

Celebrant Bartholomæum Gaſpar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, Felix Contelorius in Elencho Card. Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in vita, Florauantes Martinellus in Opuſculo de Diaconia S. Agathæ, alijque plures.

Bartholomæus Mezauacca, alijs Menzauachi Bononienſis, iuris vtriuſque Doctor ex Auditore Rotæ Epiſcopus Reatinus, & ab Vrbano VI. Presbyter Cardinalis Titulo S. Marcelli renuntiatus, Legatione functus eſt ad Carolum III. ex Duce Dyrrachij Regem Neapolitanum, ab eodem verò Vrbano ſolemni ritu purpura, & reliquis honoribus priuatus eſt, ſed à Bonifacio IX. Vrbani ſucceſſore priſtinis dignitatibus reſtituitur primo ſui Pontificatus anno, cum Titulo S. Martini in Montibus;

Die 20. Iunij anno 1396. Romæ exceſſit è vita, & ſepultus in Baſilica Liberiana ſub tabula marmorea cum inſignibus, & Epigraphe ſequenti.

Hic requieſcit Corpus
Bonæ memoriæ
Reuerendiſſimi in Chriſto Patris
Domini
D. BARTHOLOMÆI
De Bononia
Tit. S. Martini in Montibus
Presb. Card.
Qui obijt anno Domini
MCCCXCVI.
Die xx. Menſis Iunij.

Scripſit Deciſ. plures quā Io ſedit inter Iudices eiuſdē Tribunalis.

De hoc tractant Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Sigonius de Epiſc. Bonon. Monumenta Triuultiana, Chronicon Regni Siciliæ, Aubery in Vita, Leander Albertus in deſcrip. Italiæ, Paulus Merula in Coſmographia, Hieronymus Garimbertus de Card. Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi & alij plures.

Bar-

Bartholomæus Viteleſcus, ſeu de Viteleſchis natione Italus, patria Cornetanus, Ioannis Cardinalis nepos, ex Epiſcopo Cornetano & Montiflaſconis à Felice V. Pſeudopontifice renuntiatus Presbyter Cardinalis S. Marci, gratias agens, oblatam dignitatem recuſauit ex aliquibus, ex alijs vero illam recepit, & interfuit Concilio Baſileenſi Lauſanam translato. Eccleſiam ſibi commiſſam adeo ſalubribus legibus firmauit, vt etiam hodiè pro regula certa eiuſdem Conſtitutiones habeantur; illas progreſſu temporis Hieronymus Bentiuolus in Epiſcopatu ſucceſſor typis euulgauit. Scripſit etiam Bartholomæus opuſculum de Morte, quam cum propediem ſibi meditaretur inſtare, ex inſtinctu diuini feruoris annuente Pio II. Romano Pontifice vſque in Hieruſalem ad Sancta loca peregrinatus eſt; in reditu die 13. Menſis Decembris anno 63. ſupra milleſimum quadrigenteſimum è vita exceſſit. Corpus in Patriam relatũ ad pedes Cardinalis patrui locum habuit ſub hac Epigraphe.

D O. M.

Sepulchrum
Reuerendi in Chriſto Patris.
Domini
BARTHOLOMÆI DE CORNETO
Epiſcopi Cornetani
Et
Montiflaſconis,
Nepotis ſupra ſepulti Cardinalis.
Obijt Anno
MCCCCLXIII.
Modoni pergens ex Hieruſalem.

Huius mentionem habent Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita, Felix Contelorius in Elencho & alij.

Baſilius Romanus, Hadriani filius S. R. E. Cardinalis qui Petri Cathedrã aſcendens dictus eſt Stephanus huius nuncupationis VI. ſcri-

ſcripſit ad Baſilium Imperatorem & ad Epiſcopos Orientis contra Photium; apud Ferdinandum Vghellium ſunt eiuſdem literæ ad Dominicum Rauennatem Archidiaconum, & apud Anaſtaſium, & Baronium Sermo quem habuit ad Populum. Cum autem præfuiſſet Eccleſiæ annis ſex, diebus nouem, XII. kal. Iunij anno ſalutis 891. Romæ è vita excedens, ſepulchrum habuit in Vaticano his verſibus adnotatum.

Accedis quiſquis magni ſuffragia Petri
Cæleſtis regni poſcere Clauigeri.
Intentis oculis compunƐto corde locellum
Conſpice perſpicuum quo pia membra iacent.
Hic tumulus ſexti ſacratos continet artus
Præſulis eximij Pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit, & Vrbem
Et geſſit Domino quæ fuerant placita.
Suſcepit tellus conſumptum puluere corpus,
Æthera, ſed ſcandit ſpiritus almus ouans.
Vnde peto, cunƐti venientes dicite Fratres
Arbiter omnipotens da veniam Stephano.

Laudant Stephanum S. Antoninus in Chronico, Iacobus Gaultcrius in Tabula Chronographica, Baronius in Annal. Panuinius in Epitome, Ciaconius cum Auctarijs in vita, Paulus de Angelis in diſcrip. Baſilicarum Vaticanæ & Liberianæ, Io: Baptiſta Egnatius, Siluester Petraſancta in Thaumaſia, & alij plures.

Benedictus Accoltus, ſeu Accoltius, vel de Accoltis natione Italus, patria Florentinus, origine Aretinus, Petri de Accoltis Cardinalis nepos, in Piſana Academia Philoſophiæ ſtadio perfecto, Iuriſprudentiæ operam dedit, ſuſceptiſque in ea facultate inſignibus ad Romanam Curiam ſe contulit, in qua Apoſtolicus primùm Abbreuiator, mox Gaditanus Epiſcopus in Hiſpania, deinde Cremonenſis, & Rauennatenſis in Italia ex Patrui reſignatione creatus, Breuium à ſecretis fuit, annoque 30. ætatis à Clemente VII. ad purpuram aſcitus, Titulum S. Euſebij obtinuit. Cardinalis Pollicaſtrenſem, & Bouienſem Eccleſiam in Regno Neapolitano adminiſtrauit; Picenum Legatus Apoſtolicus rexit, ac plura ſcripſit, & elaboratè; videlicet.

Libellos quoſdam, quorum vnus eſt de Laudibus B. Mariæ, alter de puriſſima eiuſdem Conceptione, qui extabant M. SS. in Bibio-

Bibliotheca Cardinalis Sirletti, vt ex Indice habuimus.

Epiſtolas multas, quarum quinque inter Epiſtolas clarorum virorum legimus, & nonnullas cum Sadoleti literis editas vidimus.

De bello ſacro libros 4. quorum Iacobus Gaddius in primo Tomo de Scriptoribus non Eccleſiaſticis, non hunc Cardinalem, ſed alium Benedictum Accoltum ſeniorem, huius Auum, Reipublicæ Florentinæ à ſecretis Auctorem facit.

Carmina multa, quorum aliqua publici iuris ſunt facta cum illis illuſtrium Poetarum. Pauli III. iuſſu per ſex Menſes detentus eſt in mole Adriani, ex qua ſolutis quinquaginta & nouem millibus aureis dimiſſus eſt. Florentiæ mortalitatem exuit die 21. Menſis Septembris, anno ſalutis 1549. ætatis 52., ibique in Eccleſia S. Laurentij iacet ſine vlla memoria.

Eſt tamen huius mentio cum laude apud Panuinium, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Felicem Contelorium in Elencho, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Bembum, Paulum Manutium, Cæſarem Calcagninum in Epiſtolis, Antonium Sanderum in Elogijs Cardinalium, Hieronymum Rubeum in hiſt. Rauennæ, Marium Molſam in Carmine, Lilium Gyraldum in Dialogis de Poetis, M. Ficinum, Ioannem Trithemium, Poggium, & alios.

Benedictus Bonoſus patria Romanus, Bonifacij filius qui ex S. R. E. Cardinali renuntiatus Pontifex Maximus dictus eſt Benedictus huius nuncupationis primus Epiſtolam direxit ad Dauidem Epiſcopum in Hiſpanijs, quam inuenies euulgatam apud Collectores Epiſtolarum Pontificiarum. Reipublicæ Chriſtianæ rebus per annos quatuor, menſem vnum, dies duodetriginta adminiſtratis, ad Cœlum euolauit pridiè Calendas Augusti anno Chriſti 579. ad cuius Tumulum duo hæc carmina ſcripta, tradunt.

Magna tuis monumenta Pater Benedicte relinquis
Virtutum titulus, ò decus atque dolor.

De Benedicto tractant omnes Romanorum Pontificũ Scriptores, præter Baronium in Annal. Eccl.

Benedictus iunior dictus, Ioannis Sabelli filius, patria Romanus, Presbyter primò Cardinalis, deinde Pontifex Maximus ſub eodem nomine Benedicti huius nuncupationis, ſecundi, Epiſtolas duas ſcripſit, quarum vnam, vt germanam, alteram vt ſuppoſi-

poſitam agnoſcit Binius, ambas licet Baronius reijciat; diuinis enim ſcripturis ab ipſa pueritia operam dederat, adeò vt in ipſis doctrina & exercitatione ſingularis haberetur. Supremum vitæ ſuæ diem confecit Idibus Maij, qui vt æquè omnibus in vita charus fuit, ita poſt mortem vt Sanctus & benè de humano genere meritus celebratur. obijt autem Pontificatus ſui Menſe x. die xii. anno ſalutis 685. Sepultus in Vaticano ſub his carminibus.

Magna tuis Benedicte Pater monumenta relinquis,
Virtutum titulos ò decus atque dolor.
Fulgens in ſpeciem mentis ſplendore coruſcas
Plura ſed exiguo tempore cœpta fluunt.
Cuncta Sacerdotum præſtantia munia complens,
Et quo quiſque bono claruit, vnus habes.
Quippe quod à paruo meritis radiantibus auctus,
Iure Patrum Solium pontificale foues:
Non hoc ambitio, rapti tibi præſtat honoris
Indolis eſt fructus, quam comitatur honos.
Et quia ſolertes Chriſti Regis agmina Paſtor,
Percipe ſaluati proemia celſa gregis.

Meminere Benedicti Anaſtaſius Bibliothecarius, Bonifatius Simoneta, Panuinius, Platina, Niemus, Petrarca, Ptolomæus Lucenſis, Io: de Columna, Martinus Polonus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita, Cæſar Cardinalis Baronius in Annal. Eccl. & alij plures.

Benedictus Petri filius, patria Romanus Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtiberim, in ſchiſmate euulgatus Pontifex, quo ſedato in Petri ſolio confirmatus ſub nomine Benedicti Tertij Rempublicam chriſtianam adminiſtrans per annos duos, Menſes ſex, dies decem literas ſcripſit ad Præſules omnes in Caroli Regno conſtitutos, ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, ad Conſules Interamnenſes; tandem viam Patrum ingreſſus VI. Idus Aprilis, anno à Chriſto nato 858. è viuis abijt.

Celebrāt Benedictū Anaſtaſius Bibliothecarius, Martinus Polonus, Niemus, Simoneta, Panuinius, Petrarca, Ptolomæus Lucenſis, Io: de Columna, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Baronius in Annal. Paulus Maurocenus, vulgo Moroſinus in hiſt. Veneta, alijq; quam plures.

Benedictus Caietanus, Luitfredi Equitis Anagnini filius, in-

genij acris, & ſolertis, Diaconus primò Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, deinde Romanus Pontifex, Petri nauim, agitatam quidem, per annos octo menſes nouem, dies duos de triginta ſub nomine Bonifacij octaui rexit, quo tempore ſcripſit de Chriſtianæ fidei & Romanorum Pontificum perſecutionibus:

De Regulis iuris.

De indulgentijs anni Iubilæi.

Epiſtolas plures ad diuerſos quorum Volumina quatuor ſunt in Vaticano.

Auctor fuit Hymni Aue Virgo glorioſa.

Sextũ item decretalium librum Doctorum aliquot opitulatione peractum publicauit.

Ab humanis ereptus die xi. Octobris anno ſalutiferæ reparationis 1303. ſepultus eſt in Vaticano.

De quo illud memorabile accidit, quod eodem die quo obierat ante trecentos & duos annos, corpus integrum atque incorruptum repertum, in noua Baſilica reconditum cum hac Epigraphe.

Corpus

BONIFACII VIII.

Caietani

Pontificis Maximi

Ex veteri in nouam Baſilicam translatum

Hic repoſitum iacet.

De Bonifacio ſcripſere Iacobus Stephaneſcus in carmine, S. Antoninus, Ægidius Viterbienſis, Bernardus in Chronico, Io: de Columna, Niemus, Platina, Panuinius, Simoneta, Ptolomæus Lucenſis, Ciaconius, cum Auctarijs, de Rubeis in Vita; Felix Contelorius in Elencho, Genebrardus, & Hiſtorici omnes illius ſeculi.

Benedictus Iuſtinianus Patritius Genuenſis, Ioſephi, ac Hieronymæ filius, natus Chij die v. Iulij anno præteriti ſeculi decimi ſexti quarto ſupra quinquagaſimum, Peruſiæ, Patauijque didicit, Genuæ lauream accepit, cui Gregorius XIII. Vincentio Cardinali patruo è viuis erepto Sacerdotia omnia ab eo relicta, conceſſit, cumque Parchi maioris, vt dicunt Abbreuiatorem, ac vtriuſq; ſignaturæ Referendarium, nec non Confidentiarum Iudicem nomi-

nominauit. Sixtus V. Theſaurarij munus primùm, mox purpuram eidem tradidit cum Diaconia S. Gregorij in Velabro, qua poſtea relicta ad S. Agathæ, tum ad S. Nicolai in Carcere, atque ad aliam S. Mariæ in Coſmedin gradum fecit. Legatus Picenum, ac Bononiam rexit per quinquennium; ſub Gregorio XV. Preſbiteris Cardinalibus adſcriptus Titulis diuerſis temporibus S. Marcelli, S. Priſcæ, ac S. Laurentij in Lucina obtinuit inter Epiſcopos demum connumeratus Prænestinæ primùm, mox Portuenſi præfuit Eccleſijs; patrocinatus eſt Ordini Monachorum Vallumbroſæ. die 27. Martij anno vigeſimo primo vertentis ſeculi decimi ſeptimi è vita in Vrbe migrauit. Corpus in Sacello apud Ædem S. Mariæ ſuper Mineruam à Cardinali Vincentio excitato iacet cum ſequenti Elogio.

BENEDICTVS
Epiſcopus Portuenſis
S R. E.
Cardinalis
Iuſtinianus Genuenſis
Ioſephi filius
Obijt anno ſalutis
MDCXXI.
VI. Calendas Aprilis
Ætatis LXVII.

Supremis Tabulis quidquid patrimonij ſupererat Lauretanæ Cellæ, & Romanæ Sanctiſſimæ Virginis Annuntiatæ Sodalitati pijs legatis præſcriptis reliquit. Legatus Bononienſis Conſtitutiones in commodum Vrbis illius edidit, quibus, noſtra hac ætate Succeſſores ad regimen Ciuitatis vtuntur. fuit Theologiæ conſultiſſimus, tenacis memoriæ, & paratæ facundiæ.

Apud Auctores plures eſt tali Cardinalis mentio, videlicet apud Ferdinand. Vghell. in Italia ſacra, Io: Antonium Maginum in Ephemerid., Poſſeuinum iuniorem de Bello Monferrino, Alexandrum Donatum Soc. Ieſu in ſua Roma, Petrum Antonium Canonerium in Commentarijs Taciti, Gioliuium Cartharium in

Deciſionibus Criminalibus, Michaelem Iuſtinianum in Catalogo Scriptorum Ligurum, Ciaconij Auctariós, Io: Baptiſta Laurum in Elogijs Virorum doctorum, & alios plures.

Benedictus Lomellinus natione Italus, patria Genuenſis anno præteriti ſeculi decimo ſeptimo natus, Iuris Pontificij ac Cæſarei Doctor, ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Aquiro primùm, mox S. Sabinæ à Pio IV. renunciatus, ſub Gregotio XIII. Maritimæ, Latijque Legatione functus, præfuit Epiſcopus, Anagninæ, Abintimilienſi, ac Lunenſi & Sarzanenſi Eccleſijs. Romæ Kal. Auguſti anni ſeptuageſimi noni eiuſdem ſeculi in quo natus, ætatis ſecundo ſupra ſexageſimum decedens ſepulchrum habuit in Eccleſia S. Gregorij in Cliuo Scauri cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

BENEDICTO LOMELLINO

Qui eruditione inſignis

Romanæ Aulæ varios honores emenſus

A Pio IV.

Romano Pontifice

In Cardinalium Collegium fuit adlectus,

Cuique ob

Eximiam pietatem, fidem, iuſtitiam

Summamque humanitatem

Maior voto hominum

Præoptata dignitas morte prærepta

Gloriam intendit.

Loffredus Lomellinus

Supp. libellorum Magiſter

Camer. Apoſt. Clericus

Et

Commiſſar. Generali

Ad

Ad memoriam Gentilis
Ac
Patroni optimi conſeruandam poſuit.
Obijt VII Kal. Auguſti
Anno à Saluatore noſtro
MDLXXIX.
Annum agnes LXII.

Scripſit Conſtitutiones & Decreta in Diœceſana Synodo Lunenſi Sarzanenſi, ac Leges pro Clericis Anagninis, nec non literas italica lingua ad Petrum Bembum congratulatorias pro purpura accepta, quas publici iuris fecit Franciſcus Sanſouinus.

Celebrant Benedictum noſtrum Auberyus, Petramellarius, Folietta, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Vghellius in Italia ſacra, Landinellus in hiſtoria Lunenſi Sarzanenſi, Michael Iuſtinianus in Elencho Scriptorum Ligurum & alij plures.

Benedictus Vbaldus Peruſinus, ſub Franciſci auunculi Romæ educatus, eius hæreditatem ea lege eſt aſſecutus, vt paternum agnomen, ac Monaldorum gentilitium ſcutum deponeret, Vbaldique cognomen, inſigniaque capeſceret. Franciſco auunculo defuncto, ex patrono cauſarum ad Auditoratum Rotæ Romanæ primùm, deindè Diaconus Cardinalis SS. Viti & modeſti ab Vrbano VIII. anno 1633. euulgatus, & anno ſequenti Epiſcopatu Peruſino donatus eſt. Quam Eccleſiam omnium plauſu vſquè ad annum 1642. adminiſtrauit, quo illam ceſſit Horatio Monaldo germano fratri. Poſt Legationem Bononienſem è vita exceſſit in patria die 20. Ianuarij anno 1644. ætatis 60. ſepultus in Cathedrali.

Huius extant Deciſiones plures, ſcriptis in Rota Romana.

De hoc Cardinali tractant Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vgellius in Italia ſacra, Felix Ciattus in Annal. Peruſiæ, Theodorus Amydenius in Vita, Marracc. in purpura Mariana, Alexius, & alij.

Benno natione Germanus PſeudoCardinalis veneno ſo calamo ſcripſit Gregorij VII. Pontificis Maximi vitam, notatam in Indice Romano.

De quo Ludouicus Iacobus à S. Carolo Carmelita lib. 2. Bibliothecæ Pontificiæ.

Ben-

Bentiuenga de Bentiuengis Italus, natus Aquaſpartæ in Vmbria Tudertinæ Diœceſis, Ordinis Minorum Magiſter in Theologia, ex Vmbriæ Prouinciæ Cuſtodia Epiſcopus Tudertinus à Ioanne XX dicto XXI. mox à Nicolao III. cui adfuerat à confeſſionibus & ſacrificijs, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, ac Maior Pœnitentiarius euulgatus, multis pro Romana Eccleſia Legationibus clarus exceſſit è vita Tuderti VII. Kal. Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1289. ſepultus ibidem apud Minores.

Extant tanti viri volumen Veritatis Theologicæ.

Et Sermones plures ad populum, inter quos nonnulli ſunt de Laudibus B. Mariæ ſemper Virginis.

Meminere huius Cardinalis Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Gaſpar Iongellinus in Vita, Ferdinãdus Vghellius, Vadignus de Scrip. Minoritis, Petrus Rodulphus, Marianus & hiſtorici omnes ſui Ordinis.

Berardus, à ijs Bernardus, ſeu Eberardus Aerulus natione Italus, patria Narnienſis, obſcuris ortus parentibus, moribus tamen, & doctrina inſignis, ex Rotæ Romanæ Auditore Presbyter Cardinalis Tituli S. Sabinæ, Vicarius Vrbis, & Epiſcopus Spoletanus à Pio II. renuntiatus.

Scripſit literas plures ad Cardinalem Papienſem, cuius plures fuerunt euulgatæ, exarauit etiam Iudex Romanæ Rotæ Deciſiones plures.

Huic Pontificum Romanorum iuſſu grauiores cauſas commiſſas fuiſſe ſcimus ex Papienſi.

E vita migrauit Romæ 3. Non. Aprilis anno reparatæ ſalutis 1479. eſt in Baſilica Vaticana in marmoreo, ac pernobili ſepulcro conditus cum ſequenti Epitaphio.

Sedente
SIXTO IV.
Pontifice Maximo.

Berardo Aerulo Narnienſi, Epiſcopo Sabinenſi, S. R. E. Cardinali Spoletino, Pontificij, Ciuiliſque Iuris ſummo interpreti, iuſtitiæ, ac religionis cultori, ſingulari integritate cunctis eximijs Romanæ Curiæ honoribus functo, abſtinentia, ſeueritate inſigni, humanæ vitæ exemplo, à Pio II. Pont. Max. Cardinali ob virtutem creato, cæteris Pontificibus, ac Patribus æquè charo.

Con-

Conſtantinus Epiſcopus Spoletinus auunculo B. M. poſuit.

Annum agens LXX. communi omnium bonorum mœrore, immortali de ſe apud poſteros fama relicta deceſſit 3. Nonas Aprilis anno ſalutis MDLXXIX.

De tanto Cardinali tractant Auberyus, Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Vghellius in Ital. ſacra, Pius II. in Commentarijs, Papienſis in Epiſt. Auctor Vitæ S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, Panuinius, & alij complures.

Berengarius Stedelli, ſeu Fredeole natione Gallus, Narbonenſis, de Caſtro Benna Diœceſis Occitanæ, ſeu Megalonenſis, ex Abbate S. Aphrodiſij Biterrenſis, Sacelli Pontificij Sacerdos, mox Epiſcopus Biterrarum, inter Presbyteros Cardinales in Titulo Faſciolæ, tum in alio Pammachij, demùm inter Epiſcopos Tuſculanos cooptatus eſt; à Clemente V. Maior Pœnitentiarius euulgatus; iuris prudentiæ ſcientia inſtructiſſimus legales titulos enucleatiſsimè expoſuit, & ſcripſit.

Volumen ſuper Summam Oſtienſem ordine alphabetico, cum Titulo Inuentarium iuris Canonici tam textuum quam gloſſarum.

Librum inſuper alium de ſententia Excommunicationis.

Et repertorium Iuris.

Bonifacij VIII. iuſſu Decretales ordinauit, illuſtrauitque vnà cum Guillelmo Ebredunenſi, ac Richardo de Senis.

Mortem opetijt anno 1323. vti habemus ex monumentis Vaticanis.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ, Guillelmus de Montegotto in Epiſtola nuncupatoria libri de electionibus Prælatorum, Vghellius Tom. 1. Ital. ſacræ; Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Auberyus, Panuinius, Felix Contelorius, & alij plures.

Berlingerius Gypſius, alijs Beringarius, nobilis Bononienſis, Iulij & Valeriæ Segniæ filius, natus anno à partu Virginis 1564. florenti adhuc ætate ciuile Ius, Bononiæ profeſſus, tum Eccleſiaſticam vitam agreſſus, Reatino Epiſcopo vicariam opem primò præſtitit, tum Archiepiſcopus Beneuentano, & Bononienſi. ſub Clemente VIII. inter Referendarios vtriuſque Signaturæ ſedit, & Viceſgerentis partes cumulatiſſimè geſſit. Ariminenſis deindè renuntiatus Epiſcopus, Apud Venetos Nuncij Apoſtolici partes expleuit per vndecim annos. Romam indè reuocatus, Prætor Vrbem rexit, Aulæque Pontificiæ Magiſter præfuit; Ducatum Vrbini, ſub Vrbano VIII. Eccleſiæ, defuncto poſtremo Duce,

Bentiuenga de Bentiuengis Italus, natus Aquaſpartæ in Vmbria Tudertinæ Diœceſis, Ordinis Minorum Magiſter in Theologia, ex Vmbriæ Prouinciæ Cuſtodia Epiſcopus Tudertinus à Ioanne XX. dicto XXI. mox à Nicolao III. cui adfuerat à confeſſionibus & ſacrificijs, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis, ac Maior Pœnitentiarius euulgatus, multis pro Romana Eccleſia Legationibus clarus exceſſit è vita Tuderti VII. Kal. Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1289. ſepultus ibidem apud Minores.

Extant tanti viri volumen veritatis Theologicæ.

Et Sermones plures ad populum, inter quos nonnulli ſunt de Laudibus B. Mariæ ſemper Virginis.

Meminere huius Cardinalis Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Gaſpar Iongellinus in Vita, Ferdinãdus Vghellius, Vadignus de Scrip. Minoritis, Petrus Rodulphus, Marianus & hiſtorici omnes ſui Ordinis.

Berardus, à ijs Bernardus, ſeu Eberardus Aerulus natione Italus, patria Narnienſis, obſcuris ortus parentibus, moribus tamen, & doctrina inſignis, ex Rotæ Romanæ Auditore Presbyter Cardinalis Tituli S. Sabinæ, Vicarius Vrbis, & Epiſcopus Spoletanus à Pio II. renuntiatus.

Scripſit literas plures ad Cardinalem Papienſem, cuius plures fuerunt euulgatæ, exarauit etiam Iudex Romanæ Rotæ Deciſiones plures.

Huic Pontificum Romanorum iuſſu grauiores cauſas commiſſas fuiſſe ſcimus ex Papienſi.

E vita migrauit Romæ 3. Non. Aprilis anno reparatæ ſalutis 1479. eſt in Baſilica Vaticana in marmoreo, ac pernobili ſepulcro conditus cum ſequenti Epitaphio.

Sedente
S I X T O I V.
Pontifice Maximo.

Berardo Aerulo Narnienſi, Epiſcopo Sabinenſi, S. R. E. Cardinali Spoletino, Pontificij, Ciuiliſque Iuris ſummo interpreti, iuſtitiæ, ac religionis cultori, ſingulari integritate cunctis eximijs Romanæ Curiæ honoribus functo, abſtinentia, ſeueritate inſigni, humanę vitæ exemplo, à Pio II. Pont. Max. Cardinali ob virtutem creato, cœteris Pontificibus, ac Patribus æquè charo.

Con-

Conſtantinus Epiſcopus Spoletinus auunculo B. M. poſuit.

Annum agens LXX. communi omnium bonorum mœrore, immortali de ſe apud poſteros fama relicta deceſſit 3. Nonas Aprilis anno ſalutis MDLXXIX.

De tanto Cardinali tractant Auberyus, Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Vghellius in Ital. ſacra, Pius II. in Commentarijs, Papienſis in Epiſt. Auctor Vitæ S. Antonini Archiepiſcopi Florentini, Panuinius, & alij complures.

Berengarius Stedelli, ſeu Fredeole natione Gallus, Narbonenſis, de Caſtro Benna Diœceſis Occitanæ, ſeu Megalonenſis, ex Abbate S. Aphrodiſij Biterrenſis, Sacelli Pontificij Sacerdos, mox Epiſcopus Biterrarum, inter Presbyteros Cardinales in Titulo Faſciolæ, tum in alio Pammachij, demùm inter Epiſcopos Tuſculanos cooptatus eſt; à Clemente V. Maior Pœnitentiarius euulgatus; iuris prudentiæ ſcientia inſtructiſſimus legales titulos enucleatiſsimè expoſuit, & ſcripſit.

Volumen ſuper Summam Oſtienſem ordine alphabetico, cum Titulo Inuentarium iuris Canonici tam textuum quam gloſſarum.

Librum inſuper alium de ſententia Excommunicationis.

Et repertorium Iuris.

Bonifacij VIII. iuſſu Decretales ordinauit, illuſtrauitque vnà cum Guillelmo Ebredunenſi, ac Richardo de Senis.

Mortem opetijt anno 1323. vti habemus ex monumentis Vaticanis.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ, Guilielmus de Montegotto in Epiſtola nuncupatoria libri de electionibus Prælatorum, Vghellius Tom. 1. Ital. ſacræ, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Auberyus, Panuinius, Felix Contelorius, & alij plures.

Berlingerius Gypſius, alijs Beringarius, nobilis Bononienſis, Iulij & Valeriæ Segniæ filius, natus anno à partu Virginis 1564. florenti adhuc ætate ciuile Ius, Bononiæ profeſſus, tum Eccleſiaſticam vitam agreſſus Reatino Epiſcopo vicariam opem primò præſtitit, tum Archiepiſcopus Beneuentano, & Bononienſi. ſub Clemente VIII. inter Referendarios vtriuſque Signaturæ ſedit, & Viceſgerentis partes cumulatiſſimè geſſit. Ariminenſis deindè renuntiatus Epiſcopus, Apud Venetos Nuncij Apoſtolici partes expleuit per vndecim annos. Romam indè reuocatus, Prætor Vrbem rexit, Aulæque Pontificiæ Magiſter præfuit; Ducatum Vrbini, ſub Vrbano VIII. Eccleſiæ, defuncto poſtremo Du-

ce, reſtituit, quare anno 1627. inter Presbyteros Cardinales adſcriptus cum Titulo S. Auguſtini, Ariminenſi Eccleſiæ nuncium remiſit. Podagra attractus Romæ die 6. Aprilis anno 1639. diem ſupremum obijt, & ſepultus in nobili ſepulchro à ſe conſtructo in Eccleſia S. Mariæ de Victoria ad Thermas Diocletiani, cum ſequenti cœnotaphio.

D. O. M.

BERLENGERIVS GYPSIVS
Bononienſis
S. R. E.
Presbyter Cardinalis
Sibi poſuit viuens.

Huius Cardinalis extant M. SS. explicationes iuris ciuilis factas in Academia Bononienſi.

Et relationem ſuæ Legationis Venetæ, nec non Vrbinatis.

Meminere huius Auctarij Ciaconij, Auctor memoriarum Academicorum Bononienſium Gelatorum, Ferdinandus Vghellius in Italia ſac. Theodorus Amydenus in Vita.

Bernardinus Carauagial natione Hiſpanus, patria Placentinus Sixti IV. à Cubiculo, ſub Innocentio VIII. Carthaginenſis Epiſcopus, ſub Alexandro VI. Presbyter Cardinalis SS. Petri & Marcellini primò, tum S. Crucis, quam Baſilicam reſtituit, e nunciatus Apoſtolicæ Sedis Legatus Maximiliano Regi Romanorum occurrit, nec non Ferdinando Regi Neapolitano Romam venienti: Germanica quoque, Campaniæque Legatione aliàs functus eſt. a Iulio II. à quo cum alijs Cardinalibus defecerat, cardinalitia dignitate priuatus, à Leone X. eadem iterum ornatur; Epiſcopatum Seguntinum, & Aſturicenſem in Hiſpania, Fulginatenſem in Italia, Albanenſem, Tuſculanum, Præneſtinum, Sabinenſem, Oſtienſem, ac Patriarchatum Hieroſolymitanum obtinuit. Sacri Collegij Princeps Romæ migrauit è vita 17. Kal. Ianuarij anno Chriſti 1523. ætatis octauo ſupra ſexageſimum, ſepultus in Æde S. Crucis cum hac Epigraphe.

BER-

BERNARDINO CARAVAIAL

Natione Hiſp.

Patria Placentino

Epiſc Oſtien.

Cardinali Sanctæ Crucis

Ob egregias virtutes,

Doctrinamque in ſac. literis ſingul.

Ab Alexandro VI.

Pont. Max.

In numerum patrum aſcito,

Plurib. Legationibus

Pro Reip. Chriſt. integrè,

Sapienterq; functo,

Proſpera fort. moderatè,

Aduerſa conſtanter vſu

Per omnem vitam piè

Ac

Religiosè vixit:

An. LXVII Menſe vII. die 8.

Obijt xvII. Kal. Ianuarij

Anno MCCCCCXXIII.

Hic

Bernardinus Carauaial

S. R. E.

Cardinalis Sanctæ Crucis,

Epiſc. Oſtien quieſcit,

Dum ad æternam reſurgat

Vitam

Natura corporis dignitatem,
Animique ſolertiam,
Virtus verò
Vt
In Patrum honoratiſſimorum Collegium
Cooptatus indulſerat,
qui cum in dies & foris, & domi egregiam
Pro
Sancta Romana Eccleſia
Nauando operam, prudentia, conſtantia,
Fide maior inſurgeret,
Ætatis ſuæ XXXXV.
Sacerdotij verò quarto anno
E' tanta rerum expectatione
Immatura morte ſurripitur.

Scripſit Pronoſticon ad Alexandrum VI. olim ſeruatum M.S. in Bibliotheca Cardinalis Sirletta. vti habemus
Ex Auctore Nomenclatoris Cardinalium, ex Ciaconio, eiuſdemque Auctarijs, Auberyo, Panuinio, Felice Contelorio in Elencho, Paulo Iouio, Gaſpare Bugato in hiſt. Ambroſio Landuccio de Origine S. Mariæ de Populo, atque ex alijs multis.

Bernardinus Mapheius nobilis Romanus, Bergomo ex aliquibus oriundus, Hieronymi & Antoniæ Mattheiæ filius, anno decimo quarto ſeculi decimi ſexti natus à iuuentute bonarum artium diligens cultor, breui temporis ſpatio vir omnium ſcientiarum genere inſtructiſſimus, lepiduſque Poeta, facundus Rhetor, hiſtoricus, & antiquitatum ſtudioſiſſimus indagator euaſit. huius eloquentia illectus Paulus III. Alexandro Cardinali Farneſio primùm, mox ſuum à ſecretis illum inſtituit, ac paulò poſt Vaticanæ Baſilichæ Canonicum, Maſſanum, ac Populonienſem Epiſcopum renuntiauit, quam Eccleſiam, ad Theatinam Archiepiſcopalem tranſlatus, paulo poſt ceſſit; Tandem Caſertano Sacerdorio auctus Cardinalium Senatui adſcriptus eſt cum Titulo S. Cyriaci in Thermis.

Plures eruditionis ſuæ monumenta Poſteris reliquit, quæ partim typis excuſa, partim M. SS. aſſeruantur apud eruditos viros, ſcripſit itaque.

In Ciceronis Epiſtolas Commentaria.

Hiſtoriam elegantem de inſcriptionibus & imaginibus antiquorum Nummiſmatum.

Orationes quaſdam, &

Epiſtolarum volumina.

Anno vero noſtræ ſalutis 1553. ætatis 40. decimo ſeptimo Kal. Auguſti ſub Iulio III. Romano Pontifice mortalitatem exuit; Terræ conditus in Sepulcro Maiorum ſuper Mineruam ſub hoc Elogio.

D. O. M.

BERNARDINO HIERONYMI
Filio Maffeio
S. R. E.
Presbytero Cardinali
Tituli S. Cyriaci in Thermis.
Vixit annos XXXIX.
Menſes v. dies 10.
Obijt xvII. Kal Auguſti
MDLIII.

Eſt Bernardini Cardinalis Maffei mentio apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Donatum Caluum in Theatro Virorum doctrina præſtantium Bergomenſium, Felicem Contelorium in Elencho, Henricum Lud. Rupipozeum in Nomenclatore Cardinalium, Franciſcum Mariam Torrigium de Scriptionibus Cardinalibus, Ciaconium eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum & alios.

Bernardinus Spada, ſiue de Spathis natione Italus, patria Briſichelenſis, anno ſeculi decimi ſexti nonageſimo quarto, Paulo & Daria Albicina nobili fœmina Foroliuienſi parentibus, natus, Philoſophiam Romæ, iuris prudentiam Peruſij excepit cum

laurea;

laurea ; vtramque poeſim latinam, & etruſcam excolluit ſemper. A Paulo V. Romano Pontifice vtriuſque Signaturæ Referendarius inſtitutus, à Gregorio XV. Clericis Cameræ Apoſtolicæ adſcriptus, ab Vrbano VIII. Nuncius Pontificius in Gallia, Damiatenſis Archiepiſcopus, & S.R.E. Cardinalis renuntiatur cum Titulo S. Stephani in Cœlio monte. Legatus Bononiæ rem publicam adminiſtrauit, ſedit inter Patres Congregationum Boni regiminis, Sacræ Conſultæ, Indicis librorum vitandorum, Propagandæ fidei, confinium, Fabricæ S. Petri, Epiſcoporum, ac Regularium, Sancti Officij, Examinis Epiſcoporum, laminarum hiſpanicarum, Ceremoniarum Cardinalitiarum, rerum Cameralium, aliarumque plurimarum; inſignitur Titulo S. Petri ad vincula; in ſex Epiſcoporum Cardinalium numerum cooptatus præfuit Albanenſi, Tuſculanæ & Sabinenſi Eccleſijs; in Vrbe 4. Idus Nouembris anno poſt Chriſtum natum 1661. ætatis ſeptimo ſupra ſexageſimum mortalitatem depoſuit, teſtamento ſcripto religioſo ac liberali; plura elucubrauit in re hiſtorica quæ apud Hæredes ſummo ſtudio cuſtodiuntur; publici iuris ſunt carmina aliqua, cum Elogio S. Thomæ à Villanoua, & literæ ad Iulium Cardinalem Mazarinum. habui aliquando præ manibus relationem Comitiorum habitorum poſt obitum Vrbani VIII. vti etiam narrationem ſuarum Legationum Gallicanæ & Bononienſis, eloquentia non vulgari explicatas italica lingua.

Debitis laudibus celebrant Bernardinum Cardinalem Auctarij Ciaconij, Ferdinãdus Vghell. Tomo 2. & 5. Italię ſacræ, Ioãnes Rubeus in Vita Bonifacij VIII. Victorius Siri in ſua hiſt. Antoninus Diana Clericus Regularis parte 6. Reſol. moral. Vincentius Armannus in literis, Iacobus Albanus Gibbeſius & Io: Baptiſta Bargioccus Soc. Ieſu in Carminibus, alijque plures.

Bernardus Aiglerius Gallus, monachus S. Benedicti ex Abbate Montis Caſini S. R. E. Cardinalis à Clemente IV. Romano Pontifice euulgatus, ſcripſit librum vnum in Regulas S. Benedicti.

Item Speculum Monachorum.

Librum vnum Collationum Beneficiorum, & Officiorum Montis Caſſini.

Inquiſitorium iurium & bonorum in Caſtris & Villis.

Regiſtra duo.

Extant inſuper in Tabulario Caſinenſi nonullæ aliæ lucubrationes

tiones Religioſis hominibus S. Benedicti, ac Cœnobiorum præſertim Præfectis ſinè perutiles.

Exceſſit è vita in Cœnobio Caſinenſi pridiè nonas Aprilis anno poſt Chriſtum natum 1282.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Sammarthanos Tomo 3. Chriſtianæ, Petrum Frizonium in Purpurata Gallia, Panuinium, Arnoldum Vuion, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum & alios plures.

Bernardus Alby, vide Bertandus.

Bernardus de Amboſia natione Gallus, patria Toloſanus, profeſſione Alumnus Carmelitici Ordinis, admirandæ eruditionis vir, religioſaque pietate clariſſimus, viuebat inter Purpuratos Patres circa annum humanæ ſalutis 1390. ad quam dignitatem ex Lectore Sacri Palatij, Bonifacij IX. Pontificis Maximi beneficio ex aliquibus aſcendit. Extant tanti Viri de feſtis Deiparæ Sermones plures.

Meminere huius Auctarij Ciaconij, Hippolytus Marraccius in Bibl. Mariana ex Paradiſo Carmelitici decoris.

Bernardinus Cleſius natione Germanus ex Maximiliani Imperatoris Conſiliario in Tridentinum Antiſtitem electus, Ferdinando Auſtriaco adhæſit, ſupremuſque Hungarici Regni Cancellarius, & ſecretus Præſes inſeruiuit. Ad Principes Legatus Caroli V. inaugurationi Bononiæ adfuit, & ſacram purpuram à Romano Pontifice accepit, cum Titulo S. Stephani in Cœlio monte. poſtulatus in adminiſtratorem Brixienſis Epiſcopatus, cum illic acceſſiſſet inter prandendum apoplexia tactus die 28. Iulij anno 1539. è viuis abijt. Corpus iacet in Eccleſia principe Tridentina cum hoc Titulo.

BERNARDO CLESIO
S. R. E.
Tit. S Stephani in Cœlio Monte
Presbytero Cardinali
Epiſc. Tridentino
Et
Adminiſtratori Brixienſi
Ob multa,

Magna-

Magnaque in hanc Eccleſiam merita
Æternæ memoriæ digno poſitum.
Obijt XXVIII. Iulij
MDXXXIX.
Sedit XXV. annos, Menſem vnum
Dies 24.
Vixit Annos LIV. Menſes IV.

Huiuſce Epiſtolas ad Nauſeam, Ioannem Fabrum, & alios euulgatas inuenies inter illas eorumdem Auctorum.

Tractant de hoc Cardinali Ferdinandus Vghellius in Ital.ſacra, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Garimbertus, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho; Henricus Ludouicus Rupipozeus in Nomenclatore Cardinalium, & alij plures.

Bernardus Maczioñuski Polonus, primùm Luccorienſis, deindè Cracouienſis, demum Geſnenſis Archiepiſcopus à Clemente VIII. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo SS.Io:& Pauli, alias Pāmachij adſcriptus Concilium Petrocouienſe celebrauit, ediditque Epiſtolam paſtoralem eruditiſſimam pro reſtaurandis Cleri, Populique moribus. Demum pluribus pro Eccleſia Catholica exantlatis laboribus ſupremum diem obijt 19. Ianuarij Menſis, anno octauo voluentis ſeculi decimi ſeptimi. Corpus ſepulchrum habuit in Eccleſia Principe Cracouienſi in Sacello à ſe extructo. Epitaphium ſepulcrale legitur in Clauſtro Minorum Conuentualium, & eſt tale.

Spectet poſteritas viuam probi viri
Effigiem
BERNARDI MACZICIOVVSKI
S.R.E. Cardinalis
Epiſcopi primùm Cracouiæ
Deinde Archiepiſcopi Geſnenſis;
Et
Vitam præclaram imitetur.

Hic

Hic
Quicquam honoris ac dignitatis,
Quod in eum caderet domi,
Foriſque fuit
Ampliſſimis virtutibus conſecutus
De ipſa quoque triumphauit
Inuidia.
Ciuis, Senator
Pontifex inter paucos pius,
Magnanimus, liberalis,
Fortunatus in omni vita.
Si turbatam Patriæ tranquillitatem,
Quam
Sollicitè curabat
Ante obitum reſtitutam vidiſſet
Hoc vnum
Perpetuæ felicitati defuit.
Moritur Cracouiæ
xix. Ianuarij
Anno à partu Virginis
MDCVIII.
Ætatis ſuæ LX.

Eſt Bernardi mentio apud Ciaconij Auctarios, Ianum Nicium Erythræum in Epiſtolarum vo lumine, cuius nomini ibidem Auctor Orationum ſuarum librum inſcripſit, & apud Scriptores Polonos.

Bernardus Nauagerius Venetus Patritius, cum Oratoris munere pro Republica functus fuiſſet apud Carolum V. Cæſarem, apud Franciſcum II. Galliæ Regem, apud Paulum IV Romanum Pontificem, a Pio IV. inter Diaconos Cardinales cooptatus,

rus, præfuit Diaconiæ S. Pancratij, tum eidem Præsbyter, vti etiam S. Nicolai in carcere, ac S. Suſannæ Eccleſijs. Legatus ad Concilium Tridentinum, Epiſcopus Veronenſis, laudauit in funere Andream Grittum Ducem. ſcripſit carmina multa, quorum aliqua habes in illuſtrium Poetarum Italorum Tomo primo.

Orationes item plures, inter quas illa eſt quam habuit ad Paulum IV. cum Reipublicæ nomine obedientiam exhiberet.

Relationem de Legatione ſua Romana.

Relationem vitæ Pauli IV.

Relationem Legationis Conſtantinopolitanæ, in qua fusè prudenter, ac liberè diſſerit de Solymano Turcarum Imperatore, de filijs, & primarijs Conſiliarijs.

E vita migrauit Veronæ VII. kal. Iulij anno 1568. Corpus iacet in Cathedrali cum hac Epigraphe.

BERNARDI NAVGERII
Cardinalis
Perpetui Eccleſiæ Veronenſis
Adminiſtratoris
Oſſa.

Meminere Bernardi Ciaconij Auctarij, Petramellarius, Iacobus Gaddius de Script. non Eccl. Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Nomenclator Cardinalium, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Concil. Trident. Petrus Iuſtinianus in Veneta, Io: Baptiſta Adrianus in ſua hiſt. Franciſcus Pona in Inſcrip. alijque plures.

Bernardus de Sandoual & Roias Hiſpanus, patre Ferdinando, Matre Maria Ciacon in lucem editus die 20. Aprilis anno ſexto & quadrageſimo ſeculi decimi ſexti à Chriſti incunabulis, virtutibus omnibus Orbi Chriſtiano refulxit. Humanarum literarum ſtudijs operam dedit in Compluteſi Academia, ſeque ad philoſophiam, ac ſacram Theologiam contulit, perfectis primis in alijs eiuſdem prouinciæ celebribus Athenis. A Philippo III. Hiſpaniarum Rege Giennenſis primò, mox Pampilonenſis, inde Rodriocopolitanus Epiſcopus demum S. R. E. Cardinalis & Toletanus Archiepiſcopus, ſummuſque Caſtelæ Cancellarius nec non omnium Regni Hiſpanici à conſilijs, ſupremuſque Inquiſitor re-

nuntiatur. Romam venit, & galero accepto, Titulum S. Anaſtaſiæ à Clemente VIII. qui eum purpura ornauerat accepit, quem cum iam vetuſtate deformatum inueniſſet, magnificè à fundamentis reſtituit. Toleti Concilium celebrauit, Clericorum mores correxit, leges optimo Paſtore dignas ſanxit, populum verbo & exemplo in ſanctis operibus inſtituit; anteceſſorumque ſuorũ veſtigijs preſsè inſiſtens bonarum literarum ſtudia, ſed multo magis Catholicam pietatem expreſsè coluit.

Obijt Matriti die 7. Decembris anno voluentis ſeculi duodeuigeſimo, ſeptuagenario maior, cadauer iacet in Toletana Eccleſia cum ſequenti ſepulchrali titulo.

✠

Regi ſeculorum immortali.
Dominus
BERNARDVS DE SANDOVAL
Y Roias
Ferdinandi filius
S. R. E.
Presbyter Cardinalis
Tit. S. Anaſtaſiæ
Poſt Archiep. Hiſpalen. Gubernatum
Sub
Patruo Archiepiſcopo,
Ciuitatenſem, Pampilonenſem
Et
Giennenſem magna
Cum laude adminiſtratos,
Archiep. Toletanus,
Inquiſitor Generalis Max.
Et
Philippo Tertio à Conſilijs ſtatus,

Vir

Vir genere clariſſimus
Ad maxima quæque natus,
Inſtitutus doctrina, prudentia, conſilio;
Cum admirabili ing enuitate,
Eloquentiæ vi dignitate, & vrbanitatè,
Morum grauitate,
Et
Vitæ integritate præſtantiſſimus;
Sine iactantia pius, ſine ſuperbia nobilis;
Sine inuidia Princeps,
Sine aſperitate conſtans
Ob omnia naturæ,
Felicitatiſque dona ſpectabilis
Bonis beneficus,
In pauperes præcipuè largiſſimus;
Qui
Carſolæ Præfecturam
Toletanæ Eccleſiæ reſtituit;
Et Ædem hanc Virgini Matri
Semper immaculatæ Paciferæ,
Cum
Monumentis paterno,
Ac
Suo magnificentiſſimè condidit, conſtruxit,
Conſecrauit, hic requieſcit in ſpe.

Obdormiuit in Domino An. MDCXVIII. die 7. Decembris. ſui ex officio, amore, & fide Domino, Parenti benemerenti æternum colendo, multis cum lachrymis inſcripſere.

Videas in lumine lumen.

De hoc Cardinali tractant Auctarij Ciaconij, Hippolytus Marraccius, in purpura Mariana, Petrus de Salazar in hiſt. Prouinciæ Caſtellæ Regul. Obſer. S. Franciſci. Balthaſar Porregnus in Elog. Cardd. Hiſpanorum & alij multi.

Bernardus Tarlatus, alijs Diuitius, ſeu Bibiena ex oppido huius nominis Florentinæ Diœceſis 4. Nonas Auguſti anni 1470. primò lucem aſpexit; Laurentio Mediceo ab epiſtolis adfuit; Petri Medicei iuſſu Alphonſum Siciliæ regem adijt. Iulius II. Romanus Pontifex cognita Bernardi in peragendis negotijs dexteritate, eius opera plurimis, arduiſque in rebus eſt vſus. Ioannes Medices in Romanum Pontificem ſub Leonis X nomine electus, prima die Bernardum Protonotarium Apoſtolicum renuntiauit, altera Pontificio ærario præfecit, & poſt ſextum menſem Cardinalem Diaconum dixit. præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Porticu; Epiſcopus adminiſtrauit Eccleſias plures, Conſtantienſem ſcilicet in Normannia; Curienſem in Hiſpania, Puteolanam in Italia; Legationem geſſit Sedis Apoſtolicæ nomine contra Franciſcum Mariam Vrbini Ducem, & pro pace Orbis Chriſtiani apud Galliæ Regem. Legatus quoque Vmbriā rexit, ac Maximiliano Imperatori venienti in Italia obuiam proceſſit. interfuit Concilio Lateranenſi; Lauretanam domum protexit.

Extremum diem obijt Romæ, non planè ſenex; ſub ipſo Leone promotore die prima, ſeu nona Nouembris anni à Chriſto nato 1520. ætatis 50. ſepultus in Æde S. Mariæ Araceilanæ cum hoc titulo.

BERNARDO DIVITIO
Cardinali
Viro plurimis, maximiſq; virtutibus
Ac
Leonis X. Pontificis Maximi
Veteri familiaritate,
Et
Beneuolentia inſigni
Ampliſſimis muneribus, & legationibus
Probè functo
Fratrum filij mœſtiſſimi Patruo B. M.

Qui

Qui eis cuncta paterna beneficia præſtitit:
Arcam ſepulcralem dum quò iuſſit,
Inferatur, poſuere.

Teſtamento enim iuſſerat ſuum corpus ad Lauretanam Domum deduci, & in Sacello Virginis ſepeliri.

Scripſit antiqua ratione Calandram Comœdiam tanto ſale reſperſam, vt in hoc ſcribendi genere ne ipſi quidem Plauto cædere videatur. panxit etiam carmina plura, & Epiſtolas exarauit, quarũ viginti duæ typis traditæ in voluminibus literarũ Principũ extant.

Huiuſce Cardinalis virtutes exprimunt Panuinius, Ciaconius cum Auctorijs, Auberyus in Vita, Antonius Sanderus in Elogijs, Horatius Turſelinus in hiſt. Lauretana, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Iacobus Nardi, Scipio Ammiratus in hiſt. Florentina, Ioſeph Matraria in hiſt. S. Mariæ in Porticu & alij multi.

Bernardus Vbertus Florentinus, Monachus Valliſumbroſæ, ſanctitate clarus, ab Vrbano II. in Cardinaliũ Collegium cooptatus, à Paſchali item II. Parmenſis Epiſcopus confirmatus, ſcripſit, teſte Michaele Pocciantio Sermones plures, ſuæque Congregationis hiſtoriam.

Parmæ inter Monachorum pſalentium manus expirauit die 3. Decembris anno chriſtianæ ſalutis 1132. eiuſque cineres in maiori Baſilica eiuſdem Ciuitatis reconditi ſunt hac appoſita poſt aliquot annos inſcriptione.

Venerabilis Pater
D. LANFRANCVS PARMENSIS
Epiſcopus
In arca iſta plumbea poſuit corpus
Sancti Bernardi Parmenſis
Epiſcopi
Anno MCXXXII.
Die 3. Decembris.

Sub Paulo III. ijdem cineres inuenti, venerabiliori in loco collocati ſub hac Epigraphe.

Diuus

Diuus
BERNARDVS
Florentinus
Ex nobili Vbertorum familia
In Cardinalium Collegium
Ab
Vrbano II. cooptatus,
A
Paſchali II. ratam
Parmenſium electionem faciente
Creatus Epiſcopus,
Ex veteri ſepulcro vbi per quadringentos
Et amplius annos iacuerat
In proximam aram translatus eſt
An. Sal. MDXLIII.
Die 8 Iulij
Paulo III. Pontifice Maximo
Sedente.

Meminit Bernardi Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Tom. 12. Breuiarium Monachorum Vallis Vmbroſæ, Tabulæ Parmenſes, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, & alij plures.

Betrandus, alijs Bernardus d'Alby, Appamienſis origine, electus Epiſcopus Rutenenſis, à Benedicto XII. purpura ornatus, ſub Clemente VI. Legationis munere functus eſt in Hiſpania anno ſalutis 1347. apud Petrum Aragoniæ, & Iacobum Maioricæ Reges; ex Hiſpania reuerſus, ſedem Portuenſem aſſequutus eſt; mortuus die 13. Menſis Nouembris anno 1350. ex alijs verò 1344. vel 1348. Huiuſce Orationem ad Gallos publici iuris fecit noſtrâ ætate D. Lucas Dachery Monachus S. Benedicti in ſuo Spe-

Specilegio veterum Scriptorum. Claruit ingenio, & facilitate mira ad pangendos verſus; cuius Poemata aliqua M.SS. extabant apud Sirletum. de illo hæc Petrarca in Epiſtolis.

Dij tecum vberius, quoniam tibi conſcia cæli
Vox adamantina eſt, calamus quoq. ferreus, omnes
Promptus ad inſultus: pleno tibi carmina cornu
Copia ſuppeditat, verſus breuis hora trecentos
Et ſeptem decies excudit.

Celebrant preterea Bertrandum Zurita in Annal. Aragoniæ, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Sammarthani in Chriſtiana, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Ciaconius, cum Auctarijs in Vita & alij plures.

Bertrandus de Cura Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus vt colligitur ex eius operibus editis, ſcripſit Sermonum volumina plura.

De hoc tamen Cardinali nulla mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, neque in monumentis Vaticanis; meminit eiuſdem Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo libro 2. ſuæ Bibliothecæ Pontificiæ.

Bertrandus Deucius Gallus ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Marci ſub Benedicto XI. alijs XII. deindè ſub Clementete VI. Epiſcopis Sabinenſibus adſcriptus S. R. E. Vicecancellarius, vitam & paſſionem Chriſti carmine ſaphico deſcripſit, dumque Legati Apoſtolici munere fungeretur, literas quamplures exarauit ad diuerſos.

Deceſſit Auenione XII. Kal. Nouembris anno ſalutis humanæ 1355. ſepultus in Templo S. Deſiderij à ſe conſtructo cum hoc Epitaphio.

Hic iacet
Bonæ memoriæ
BERTRANDVS DE DEVCIO
Gallus Caſtri
De Blandaico, Vicenſis
Diœceſis, legum Doctor egregius,
Qui fuit.

Ebre-

Ebredunenſis Archiepiſcopus,
Et
Deindè Tituli S. Marci
Presb. Card.
Et demùm Epiſc. Sabinenſis
S R. E.
Vicecancellarius;
Vir magnarum virtutum & ſcientiæ,
Qui de ſuis bonis
Hanc Eccleſiam dotauit,
Et fieri ordinauit.
Obijt autem Auenione 21. Octob.
Ibidem Curia Romana
Reſidente anno à Virginis partu MCCCLV.
Dom. Innocentij Papæ IV. Tertio.
Cuius anima requieſcat in pace.

De Bertrando plura habent Panuinius, Frizonius, Auctores Galliæ Chriſtianæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Mag. Fr. Bertrandus Lagerij de Frigiaco dictus, natione Gallus, Ordinis Minorum, Epiſcopus Adiacenſis in Inſula Cyrni, deinde Aſſiſianus in Vmbria, mox Glandatenſis in Gallia, à Gregorio VI. Cardinalium Collegio Tituli S. Priſcæ adſcriptus, atq; ab Vrbano VI. Epiſc. Oſtienſis renuntiatus ab illo paulo poſt defecit, & Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſit, cuius aſſecla è vita exceſſit Auenione 4. Idus, ſeu 16. Nouembris die, anno nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum trecenteſimum à Chriſti natiuitate. Iacet apud Franciſcanos Auuenionenſes ſine vlla memoria. Schiſmatis hiſtoriam euulgauit, & opus compoſuit contra hæreſes ſui Temporis. De hoc Cardinali agunt S. Antoninus, Vadingus in Annal. & de Scrip. ſui Ordinis, Sammarthani in Chriſtiana, Frizonius in purpurata Gallia, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Bertran-

Bertrandus de Porto, alijs de Poyet, ſeu de Podietto Gallus, Ioannis 21. dicti 22. ex Sorore nepos, Presb. Card. S. Marcelli, tum Epiſc. Oſtienſis & Veliternus, Legatus Apoſtolicus in Italia, literas ſcripſit Hugolino de Rubeis Canonico Parmenſi, quas habemus apud Odericum in Annal. Tom. 15. è viuis ereptus eſt Auenione 1332. & ſepultus apud Minores eiuſdem Vrbis.

Eſt Bertrandi mentio apud Auberyum, Frizonium in Gallia purpurata, Panuinium, Felicem Contelorium in Elencho, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, alioſque quamplures.

Bertrandus de Turre, ſeu Agenus, vel Agenus à Turre natione Gallus, Ordinis Minorum ex Archiepiſcopo Salernitano Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſelem renuntiatus eſt à Ioanne XXI dicto XXII. tum Epiſcopus Tuſculanus, ſcientijs illuſtris, cuius fama adeò apud omnes percrebuit, vt Doctor famoſus omnium voce nominaretur. Peripateticam enim apprimè callebat doctrinam, & in diuinis paginis verſatiſſimus, diuiniq; Verbi Orator eloquentiſſimus ſcripſit.

In quatuor libros ſententiarum Commentaria

In Euangelia & Epiſtolas, quæ per anni circulum recitantur explicationes, extant hæ M. SS. in Bibliothecis Vaticana, Toletana, Minorum, & Hailsbergenſi in Polonia.

Sermones de tempore ab Aduentu vſque ad Paſcha habentur M. SS. in Vaticano.

Sermones de Sanctis, & de Beata Virgine Maria.

Sermones Quadrageſimales, quorum infinitum fuiſſe numerum teſtatur Eiſengrenius. Sunt M. SS. in Vaticana, & Toletana Bibliothecis.

Sermones Epiſtolares, ſeu in Epiſtolas Miſſalis excuſos Argentinæ anno 1501.

Tractarum de Paupertate Chriſti, & Apoſtolorum.

Collationes Theologicas.

Ad ſuperos euolauit circa annum ſalutis humanæ 1330, vel ex Luca Vadingo anno 1334.

Meminere noſtri Bertrandi Fr. Lucas Vadingus in Annal. & de Scrip. Minorum. Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, & alij plures.

Beſſarion natione Grecus, à patria Trapezuntinus cognominatus, Monachus S. Baſilij, ante Monachatum Baſilius dictus, literis operam dedit à puero, in patria primò, deindè in Vrbe Conſtantinopolitana, ſcientiarum tunc temporis matre. Vir quo nemo ſuorum æqualium chriſtiana pietate ſpectabilior, ne-

mo doctrina admirabilior, nemo denique generoſis moribus ornatior. Archiepiſcopus Nicænus renunciatus ad Synodum Florentinam, & Ferrarienſem acceſſit, in qua ab Eugenio IV. Romano Pontifice Presbyteris Cardinalibus Tituli SS. xij. Apoſtolorum, à Nicolao V. Epiſcopis Sabinenſibus primò, mox Tuſculanis adſcriptus eſt. Patriarchatum Conſtantinopolit num, & Epiſcopalem Pampilonenſem Cathedram rexit. germanica legatione functus Federicū, ac Sigiſmū ū Cæſares fratres periculoſa ſeditione laborantes coniunxit. Sub Pio II. ad Principes Chriſtianos miſſus eos conciliauit, & fœdere ad bellum contra Turcas vniuit. Triremium contra Turcas ſuo ære inſtruxit. Ordinem Minorum protexit apud Romanum Pontificem. Rauennæ Exarchatum & Bononiam Legatus adminiſtrauit. Apud Regem Angliæ, Ducem Burgundiæ, & in Gallijs Apoſtolici Legati munere functus eſt, ex quibus redux Rauennæ die 18. Nouembris anno ætatis 77. Chriſti 1472. ſeu ex alijs die 14. Decembris 1473. viuendi finem fecit. Corpus Romæ iacet in Eccleſia SS. Apoſtolorum cum hoc Epitaphio ſcripto græcè, & latinè.

Beſſarion fecit hunc tumulum qui conderet oſſa
Venerat vndè olim ſpiritus, aſtra petit.

BESSARIO
Epiſcopus Tuſculanus
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis
Patriarcha Conſtantinopolitanus
Nobili Græcia ortus,
Oriunduſque
Sibi viuens poſuit
Anno Salutis MCCCCLXVI.

Exequijs adfuit Sixtus IV. Romanus Pontifex, atque in illis Baptiſta Platina orauit.

Bibliothecam optimis inſtructam libris moriens legauit Venetæ Reipublicæ. Extant typis editæ eiuſdem literæ ad Senatum Venetum cum dono Bibliothecæ.

Scripſit

Scripſit aduerſus Marcum Epheſinum de Spiritu Sancto malè ſentientem, Commentaria.

In illud Ioannis ſic eum volo manere.

In Philoſophiæ Platonicæ laudem libros quinque ad Græcorum Imperatorem.

De obitu Imperatricis Conſolationem libris tribus.

De eo quod per ſe ſubſiſtit ad Plethonem, ſiue Gemiſtum, cuius diſcipulus fuerat, & pro eo Apologiam.

In calumniatorem Platonis libros quatuor.

De natura & arte aduerſus Trapezuntium, an Natura & Ars conſultò agant.

De Euchariſtia, ſeu Cœna Dominica, vna cum eiuſdem apologia contra Georgiũ Polanũ, à Petro Arcudio latina facta.

Laudes Patriæ ſuæ & Iſthmi libris duobus.

De proceſſione S. Spiritus aduerſus Alexandrum Laſcarem.

Orationem de diſſidijs inter Chriſtianos Principes ſedandis, & bello in Turcam deriuando.

Applicationem Demoſthenis.

Turcarum in Germaniam itinerariam rationem.

Reſponſionem ad Maximũ Planudam Monachum de Proceſſione Spiritu Sancti

Dogmaticum, ſiue de Vnione Tractatum.

Epiſtolarum Volumen.

Sermonum librum cuſtoditum in Bibliotheca Scorialenſi.

Eruditam Trinitatis explicationem.

Orationes de bello aduerſus Turcas ſuſcipiendo, & de periculis Italiæ imminentibus.

Epiſtolas plures & carmina varia; quarum aliquas latinas reddidit Petrus Arcudius, ediditque Romæ 1630.

Contra Ariſtotelis ſequaces in defenſionẽ Platonis librũ vnũ.

De vnitate ſermonum.

Ariſtotelis Metaphyſicorum libros 14. ⎫
Theophraſti Metaphyſices librum ⎬ Latinis auribus dedit.
Xenophontem de factis, & dictis Socratis. ⎭

Viennæ Auſtriæ in Cæſaris Bibliotheca eſt huiuſce Cardinalis M. S. Methodus cognoſcendis quot horis luna fulgeat, cum erudita Epiſtola ad Græcos.

Debitis laudibus extoliunt Beſſarionem Hiſtorici omnes ſeculi decimi quinti præter Ciaconium eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Sanderum, Auctorem Nomenclatoris Io: Iſacium Pontanum lib. 10. hiſtoriæ re-

rum Danicarum ; & alios quamplures.

S. Bonauentura Ordinis Minorum lumen, Purpuræ ſacræ decus, eccleſiæ Sanctæ doctor cuius ſanctitatem multis teſtatam Deus voluit, cui Gregorius X. Eccleſiam Albanenſem commiſit, & Sixtus IV. Sanctorum honores, quem Sixtus V. inter maximos Eccleſiæ Doctores connumerauit. die 15. Iulij anno ſeptuageſimo quarto ſeculi decimi tertij à Chriſti natiuitate in Concilio Lugdunenſi ad ſuperos euolauit. Mirum eſt quæ in publica rerum cura, atque in vaſti Sodalitij regimine doctè ſcripſit. In editione Vaticana ſub Sixto V. à viris doctiſſimis, præſertim à Cardinale Sarnano collecta & luci commiſſa ſunt tot Sancti Doctoris opera, quot ſeptem complendis Tomis abundarunt. eorum indicem ſecundum voluminum ordinem exhibeo.

Tomo 1. continentur Principum ſacræ Scripturæ
Illuminationes Eccleſiæ
Expoſitio in Pſalterium
Expoſitio in Eccleſiaſten
Expoſitio in Sapientiam
In lamentationes Ieremiæ.
Tomo 2. Expoſitio in caput ſextum Matthæi
In Euangelium Lucæ
In Ioannem
Collationes in Ioannem.
Tomo 3. Sermones de tempore
Sermones de Sanctis
Sermones de communi Sanctorum.
Tomo 4. in lib. 1. & 2. Magiſtri Sententiarum
Tomo 5. in lib. 3. & 4. Magiſtri Sententiarum
Tomo 6. de reductione artium ad Theologiam.
Breuiloquium
Centiloquium
Pharetra.
Declaratio terminorum Theologiæ
Compendioſum principium ad libros Sententiarum
Sententiæ Sententiarum carmine digeſtæ
De quatuor virtutibus Cardinalibus
De ſeptem donis Sancti Spiritus
De reſurrectione à peccato ad gratiam
De tribus ternarijs peccatorum infamibus
Dieta ſalutis

Medita-

Meditationes vitæ Chriſti
Lignum vitæ
De quinque feſtiuitatibus Pueri Ieſu
Officium de Paſſione Domini
Opus contemplationis
Laudiſmus de S. Cruce
Philomena
De ſeptem verbis Domini in Cruce
Speculum B. Mariæ Virginis
Corona B. Mariæ Virginis
Carmina ſuper canticum Salue Regina.
Laus B. Mariæ Virginis
Pſalterium minus Beatæ Mariæ Virginis
Pſalterium B. Mariæ Virginis.
Tomo 7. Sermones de decem præceptis
De regimine animæ
Formula aurea de gradibus virtutum
De pugna ſpirituali contra ſeptem vitia capitalia.
Speculum animæ
Confeſſionale
De præparatione ad miſſam
De inſtructione Sacerdotis ad ſe præparandum ad celebrandum
Expoſitio Miſſæ
De ſex alis Seraphim
Collatio de contemptu ſeculi
De ſeptem gradibus contemplationis
Exercitia quædam ſpiritualia
Faſcicularius
Soliloquium
Itinerarium mentis in Deum
De ſeptem itineribus æternitatis
Incendium amoris
Amatorium
Viginti quinque memorialia
De Eccleſiaſtica Hierarchia
Legenda S. P. Franciſci, hiſtoria ſcilicet vitæ S. Franciſci.
Quare fratres Minores prædicent & confeſſiones audiant.
Libellus apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum aduerſantur.

De

De tribus quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum Epiſtola.
De paupertate Chriſti
De ſandalijs Apoſtolorum
Apologia Pauperum
Epiſtola ad quemdam principalem Miniſtrum.
Epiſtola ad Miniſtros Prouinciales, & Cuſtodes de reformandis Fratribus.
Biblia pauperum
Alphabetum Religioſorum
Collationes octo
Speculum diſciplinæ
De profectu Religioſorum
De inſtitutione Nouitiorum
Regula Nouitiorum
Remedium defectuum Religioſi
De perfectione vitæ ad Sorores
Summa de eſſentia & inuiſibilitate, ac immenſitate Dei
De ſex alis Cherubim
De modo confitendi & puritate conſcientiæ.
Myſtica Theologia
Compendium Theologicæ veritatis.

Etſi viri doctiſſimi omnem poſuerint operam in indagandis & colligendis Sancti viri operibus, atamen aliqua illorum ſubterfugerunt diligentiam; etenim ex ipſa Bibliotheca Vaticana, ac Aſſiſij Fr. Lucas Vadingus alia reſcripſit, quæ ſunt
Summa grammaticæ ſpeculatiuæ
Tractatus logicæ de ſignis vniuerſalibus in 4. partes diſtributus.
Quæſtiones ſuper libros de generatione
Quæſtiones ſuper 4. libros Topicorum.
Queſtiones ſuper libros Metheororum
Epiſtolæ aliquot
Poſtillæ in Cantica Canticorum
Metrum in eadem Cantica
Tractatus ſuper illa verba Pſalmi 45. vacate & videte quoniam ego ſum Deus
Tractatus in cap. 5. Ezechielis
In cap. 10. eiuſdem
In cap. 4. & 5. Apocalypſis
In vniuerſam Apocalypſim Commentaria.

Opuſ-

Opuſculum inſcriptum Verbum abbreuiatum, in quo per mu ta capita omnes commendat virtutes, & vitia docet fugienda.

Opuſculum de corpore & ſanguine Chriſti

Alia mu ta ſcripſiſſe teſtantur plerique.

Sixtus Senenſis lib. 4. Bibliothecæ reliquiſſe dicit Compendium Metricum Scolaſticum vtriuſque teſtamenti verſibus dimetris iambicis, libera, ſolutaque ſyllabarum lege, quos ita diſponit vti ſingula tetraſtica ſummam vnius capituli contineant.

Petrus Galeſinus in Vita, plures veteris Teſtamenti & omnes noui nodos expoſuiſſe ſcribit.

Ptolomæus Lucenſis ad omnes Pauli Epiſtolas Commentarios adhibuiſſe affirmat.

Petrus Rodulphius in Euāgelia & Epiſtolas totius anni ſcripſiſſe, opuſque ſe accepiſſe à Laurentio Campeggio Feltrenſi Epiſcopo narrat. inſuper ait compoſuiſſe Officium S. Franciſci. Libellum maioris introductorij. De partibus domus Religioſæ Dialogum.

Librum de conſideratione: de diuiſione rerum vniuerſi.

Epiſtolas ad Michaelem Imperatorem, ad ſuam Sororem, & ad Claram.

In Bibliotheca Florentina Patrum Conuentualium habetur opuſculum prænotatum Doctrina cordis.

Ioannes Rioche Auctorem Bonauenturam facit Hymnorum Dies illa, dies iræ &c. quem tamen alij Cardinali de Aquaſparta Mattheo, alij B. Thomæ à Celano Ordinis Minorum attribuunt.

Lauda Sion Saluatorem

Crucis Chriſti mons Alucrniæ

Crucis arma fulgentia

Proles de Cœlo prodijt

Alphonſus Ciccarellus inſignis confictor librorum, qui ſub Gregorio XIII. perniciosas impoſturas & fraudes luit pœna capitali hæc tribuerat noſtro Bonauenturæ Opuſcula

Flos florum

Librum originalium

De pœnis Inferni & gloria Paradiſi

Quæ vti apocrifa & ſpuria reiciuntur ob omnibus.

Reſpondit S. Bonauentura, teſte Henrico Gandauenſi de Scriptoribs Eccleſiaſticis calumnijs Mag. Vuillelmi de S. Amore.

Scripſit

Scripſit inſuper ex Odone Peruſino, & Bartholomæo Piſano, ſeu Ieremia Bucchio

De opere ſex dierum

De contemplatione

Officium S. Crucis rogante S. Ludouico Galliarum Rege.

Integrum Pſalterium Dauidicum, Cantica quæ in Officio diuino recitantur, Symbolum S. Athanaſij, Hymnum SS. Ambroſij & Auguſtini, mutatis ſubinde verbis Deiparæ Virgini Mariæ ingenioſiſſimè accomodauit.

Genuina S. Bonauenturæ opuſcula ad trecenta perueniſſe aſſerunt Marianus Florentinus, Octauianus à Martinis, & Stephanus Bruliſer.

Nonnulli tamen aliqua ex prænotatis opuſculis in controuerſiam vocant, & tanquam ſuppoſititios fœtus alijs patribus attribuunt. Fr. Lucas Vadingus diligentiſſimus veritatis ſcrutator In volumine de Scrip. ſui Ordinis præuio examine ſpuria à legitimis ſegregat, illum conſulat lector ſi veritatem amat.

Celebrant Bonauenturam Martyrologia plura, Baronius in Notis, Bellarminus de Eccleſiaſticis, Marraccius de Marianis Scriptoribus, & quotquot Hiſtoriam Minoriticam, ſeu Eccleſiaſticam, aut Pontificiam deſcripſerunt.

Fr. Bonauentura Baduarius de Peraga natione Italus patria Patauinus, Magiſter Generalis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini ab Vrbano VI. Pontifice Maximo Presb. Cardinalibus cum Titulo S. Cæciliæ adſcriptus, elaborauit

In libros Sententiarum Commentaria

Meditationes in vitam Chriſti

Speculum Mariæ & Tractatum pro eiuſdem immaculata Conceptione

Vitas Sanctorum

Commentaria in Iacobum, & Ioannem Apoſtolos

Ternarium, ſiue primum bonum de regimine conſcientiæ.

Breuiloquium in quo ſubtiliſſimo modo Theologico à prima cauſa ad effectus progreditur.

Sermones de tempore & de Sanctis, ac B. Virgine ad Clerum.

Orationem in funere Franciſci Petrarchæ arctiſſima familiaritate, literarumque ſtudijs ſibi coniuncti.

Scholis Theologicis Academiarum Italiæ Pontificis Romani iuſſu leges dedit, & in Academia Bononienſi Theologicam facultatem, mandante Innocentio VI. publicè profeſſus eſt.

Eccle-

Eccleſiaſticæ libertatis accerrimus defenſor dum ad Baſilicam Vaticanam properaret curru vectus in Ponte Elio ſagitta percuſſus perijt anno ſalutis 1379. iacuit olim in Eccleſia S. Tryphonis, hodiè apud S. Auguſtinum ſub hoc rudi Epitaphio.

Hic Bonauentura eſt qui doctus dogmate ſacrò
Auguſtine tuis Eremis iam præfuit Orbis,
Padua prouectus ad ſolium Cardinis, indè
Anni milleni decies, ſeptemque triceni
Additis hic nomen Chriſti requieuit in Vrbe.
Cæli Ciues animam, tu poſſides oſſa ſepulchre.

In Indice Sanctorum ac Beatorum Ordinis ſui, & in Chronico Beati titulo inſignitur. Meminere huius Cardinalis Scriptores omnes eremitanæ familiæ, præter Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Felicē Contelorium & alios.

Bonifacius Iucundi Presbyteri filius, patria Romanus ex S.R.E. Cardinali euulgatus Pontifex Eccleſiæ iura contra Eulalium Pſeudopontificem per annos 4 Menſes 9. dies 24. forti pectore ſuſtinuit, ſcripſitque Epiſtolas tres ad diuerſos. è vita decedens 8. kal. Nouembris anno ſalutis 423. ſepultus in Cœmeterio Felicitatis ſub hac Epigraphe.

Atria Magnifici ſunt membra plena ſepulchri
Sedis Apoſtolicæ Bonifacij Præſulis almi.

Eſt Bonifacij I. mentio apud ſcriptores omnes qui hiſtoriam Eccleſiaſticam, ac Pontificiam reſcripſerunt.

Bonifacius iunior genere Gothus, natus Romæ, patre Sigiſbundo, Presbyter primò Card. Tituli S. Cæciliæ, mox Rom. Pontifex ſub nomine Bonifacij II. rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit anno vno, diebus duobus, ac ſcripſit Epiſtolam vnam ad Clerum. illa ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum, vt ſpuriam reijciunt Baronius, Binius, Poſſeuinus & alij omnes qui de illo tractarunt. Deceſſit anno ſalutis 531. die 17. Menſis Octobris.

Bonifacius patria Romanus, Ioannis Catadiocis filius S. R. E. Cardinalis, & Apocriſarius Conſtantinopolitanus quo in munere Epiſtolas plures ſcripſit quæ adhuc in tenebris latent. renuntiatus deindè Romanus Pontifex ſub nomine Bonifacij III. Concilium in Vrbe conuocauit cuius acta ipſa & in tenebris ſunt.

Petri nauim per menſes octo, dieſque 23. rexit, quibus elapſis pridiè Idus Nouembris anno reparatæ ſalutis 606. ad requiem euolauit æternam. Vt referunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Martinus Polonus, Io: de Columna Ptolomæus Lucenſis, Franciſcus Petrarcha, Niemus, Platina, Panuinius, Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs & alijs plures.

Bonifatius Caietanus Romanus Honorati ſexti Ducis Sermonetæ ex Agneſina Columna vxore filius à Paulo V. ſacra purpura ornatus cum Titulo S. Pudentianæ, habendis ad Populum ſacris Concionibus mirè aptus, & facundia, ſalibus, atque eruditione non cum noſtræ ſolum ætatis ingenijs, ſed cum ipſa planè antiquitate conferendus, ſcripſit Conciones plures panegyricas & morales quæ M. SS. aſſeruantur apud diuerſos. Edidit Comedias aliquas etruſca lingua, ſub Titulo l'Ortenſio, e la Schiaua. Romæ mortalitatem expleuit 3. kal. Iulij anno ſalutis 1617. ætatis 50. Sepultus in familiæ nobili Sacello apud S. Pudentianam.

Celebrant tantum virum Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Theodorus Amydenus in Vita, Io Baptiſta Laurus in Orcheſtra, Ioſeph Silos in hiſt. Clericorum Regularium & alij.

Bonifacius Marſus, Ioannis Medici filius ex Presbytero Cardinali Cleri ſuffragijs ad principatum Eccleſiæ aſſumptus, dictus eſt Bonifacius huius nominis IV. illique præfuit per annos ſex Menſes 8. & dies 12. Auctorem Bonifacium facit Beda, alijque

Epiſtolarum plurium

Libri vnius de arte chimica.

Libri alterius de prerogatiua Petri

Parænеſis ad Scotos,

Et Doctrinalis fidei.

Obijt Romæ 8. Kal. Iunij anno ſalutis 614. cuius ſepulcro iſtiuſmodi Epitaphium inſcriptum fuiſſe traditur.

Vita hominis breuis eſt: hanc certa terminat hora,
Sed vita æternæ deindè paratur iter.
Quæ non indecora, aut rurſum peritura videtur,
Sed pulchrum atque decens iam ſine fine manet.
Sic igitur quid mors ſtimulis agitaris iniquis?
Quid feris incaſſum? quid furibunda geris.
Commoda nulla tibi poterunt tua facta referre
Nec prodeſſe poteſt impetus iſte tibi.

Grego-

Gregorij ſemper monita, atque exempla Magiſtri
Vita, opere, ac dignis moribus iſte ſequens.
Quo hic terra reputans, ſunt huius maxima vota
Mittere ad aſtra animam, reddere corpus ſuum.
Saucia multiplici ſi quidnam membra dolore.
Rurſus in antiquo puluere verſa monent.
Quæ coniuncta animæ ſtabilito in corpore ſurgant
Ad vitam ateinam praeunte magis.
Sancta fides merito, Vitæ clementia Patris
Septem certam hanc famulos iuſſit habere ſuos.

Hic requieſcit
BONIFACIVS IVNIOR
Qui ſedit Ann. VI. M. VIII.
Dies 12.
Depoſitus eſt octauo Idus Maij
Imperante Domino
Heraclio
Anno eius quinto.

De quo, iidem Auctores laudati in tertio Bonifacio, tractarunt. Bonifacius Ioannis Fummini filius, natione Italus, Patria Neapolitanus, ex S. R. E. Cardinali euulgatus Pontifex ſub nomine Bonifacij huius nuncupationis V. ſcripſit Epiſtolas multas, quarum tres reperiuntur in Tomo IV Conciliorum, apud Baronium Tomo 8. Annalium Eccleſiaſticorum, & apud Bedam in hiſtoria Anglicana. Huiuſce Pontificis literas ad Eduuinum reſcriptas inuenies apud Ioannem Vaſtonum Gothum in Viti Aquilonia. cum autem Reipublicæ Chriſtianæ gubernacula tractaſſet annos circites octo; mortuus eſt in Vrbe 25. Octobris die anni noſtræ ſalutis 625. cuius ſepulchrum his verſibus annotatum fuit.

Cur titulata diu. torpuerunt iura ſepulchri
Et populi nullus perſtrepuit gemitus.
Segnities non culpa fuit, quicumque requiris;
Nam dolor incluſus plus lacerare ſolet.
Pande dolor gemitum, mentiſque quiſce beatis,
Vt libeat ſummi geſta referre Patris.

Hic vir ab exortu Petri eſt nutritus ouili,
Sed meruit ſancto Paſtor adeſſe gregi,
Pura fides hominis votis mundata benignis;
Exultat Chriſti cantibus hymniſonis.
Simplicitas ſapiens, viuax ſolertia ſimplex,
Serpentina fuit ſimplicitate vigens.
Cumque quaterdenos compleret Presbyter annos
Sera Senectutis mens tamen alma fuit.
Culmen Apoſtolicum coluit tres fermè per annos,
Perfectum numerum terque quaterque gerens.
Hoc tibi pro meritis ſucceſſor Honorius amplis
Marmore conſtruxit munus Epitaphij.

Celebrant Bonifacium Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, Panuinius, Simoneta, Niemus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes laudati ſuperius.

Bonifacius Ferrerius natione Italus patria Vercellenſis, Io: Stephani Card. frater, Sebaſtiani Quæſitoris regij in Gallia Ciſalpina filius, ex Epiſcopo Vercellenſi, ac Nicienſi adminiſtratore Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei renuntiatus progreſſu temporis præfuit Eccleſijs Albanenſi, Præneſtinæ, Sabinenſi & Portuenſi, Legatus Apoſtolicus electus vt præeſſet Concilio Vicentino, tum vt Bononiam adminiſtraret. Collegium in ea Vrbe Ferrariorum inſtituit pro ſubſtentatione Nobilium pauperum Pedemontanorum ſtudioſorum, certis eiſdem preſcriptis ſtatutis; quorum electionem & probationem ad familiæ ſuæ Succeſſores ſpectare voluit.

Romæ die 2. Menſis Ianuarij anno à partu Virginis 1543. extremum ſpiritum egit. Corpus in Eccleſia S. Sebaſtiano ſacra in oppido Bugellæ Vercellenſis diœceſis, à Parente excitata iacet.

Meminere Bonifacij Ferrerij Cardinalis, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Auberyus, in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Ioſeph Maria Suareſius de Epiſc. Præneſtinis, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Leo X. in Epiſtolis & alij plures.

Boſo Anglus Monachus S. Benedicti vir pius, eruditus, & inter præcipuos ſui temporis Theologos clarus, Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani, ac S. R. E. Camerarius ſub Hadriano IV. Romano Pontifice, cuius erat nepos, ſcripſit inter alia literas Canonicis Baſilicæ Vaticanæ datas, obijtque circa annum noſtræ ſalutis 1181. & Romæ ſepultus.

De

De Boſone agunt Pitſeus de Scriptoribus Angliæ, & Auctarij Ciaconij.

Bruno alijs Beno Presbyter Cardinalis S. Sabinæ ſub Stephano X. ſeu IX. natione Germanus, Clementis III. Pſeudopontificis ſectator, Gregorij VII. ſanctiſſimi Pontificis vitam, commentis, mendacijſque refertam euulgauit, vti referunt Ciaconij Auctarij.

Bruno Aſtenſis cognominatus, natione ligur, ex Abbate Caſſinenſi Epiſcopus, Diuuſque tutelaris Signorum, in Cœnobio S. Perpetui Ordinis S. Benedicti primùm, deindè Bononiæ omnibus ferè ſcientijs excultus, Aſtenſes inter Canonicos omnium plauſu cooptatus, Romam ſe contulit ſub Pontificatu Gregorij VII. qua in Vrbe in publico Romano Concilio Berengarium impiè de Sacramento altaris ſentientem diſputando repreſſit, ita vt à Summo Pontifice honoris, ac celebris victoriæ ergo Signinus primò, mox ex aliquibus S. R. E. Cardinalis crearetur. Hic Eccleſiam ſibi commiſſam ad multos annos ſapientiſſimè, ſanctiſſimèque adminiſtrauit, donec tranquillioris, vitæque contemplatricis deſiderio tractus, abdicato onere Epiſcopali Monachum Caſſinenſem anno ſalutis 1104 profeſſus iterum eſt. à Paſchali II. miſſus in Gallias Legatus in ea Prouincia Synodum celebrauit. reuerſus ad clauſtra anno 1107. poſt deceſſum Othonis Abbatis Monachorum omnium ſuffragijs Abbas eligitur. annis tribus, menſibus decem præfuit huic Cœnobio, quibus elapſis eiuſdem Paſchalis iuſſu redijt ad regimen antiquæ Eccleſiæ Signinæ, quam rexit vſque ad annum 1125. quo 15. kal. Auguſti præſentem cum cœleſti commutauit vitam. cum autem claruiſſet tum in vita, cum in morte multis miraculis Lucius III. eum Beatorum Collegio adiunxit.

Huius ſcripta D. Maurus Marcheſius Panormitanus, Congregationis Caſinenſis Monachus Veneta editione duobus Tomis anno 1651. euulgauit, hoc ſeruato ordine.

Tomo 1. Expoſitiones, & Commentaria continentur.

In Geneſim
In Exodum
In Leuiticum
In Numeros
In Deuteronomium
In lib. Iob
In Pſalterium iuxta vulgarem editionem

In

In Cantica Canticorum
In Apocalypſim
Tomo vero 2.
Homiliæ, ſeu Sermones in Euangelia totius anni, hactenus Euſebio Emiſſeno, aut Eucherio lugdunenſi, aut alijs antiquioribus Scriptoribus perperam attributi.
Tractatus in Canticum Zachariæ
Tractatus de Incarnatione Domini
Argumentum de ſacrificio azymo
De Sacramentis, Eccleſiæ myſterijs, atque Eccleſiaſticis ritibus Opuſculum.
Vita S. Leonis Papæ IX.
Reſponſio ad Quæſtionem, cur corruptus Eccleſiæ ſtatus.
Vita S. Petri Epiſcopi Anagnini, & Priuilegium Canonizationis eiuſdem
Epiſtola S Brunonis ad Portuenſem Epiſcopum
Epiſtola eiuſdem ad Paſchalem Summum Pontificem
Sententiarum libri ſex, nimirum
De laudibus Eccleſiæ
De ornamentis Eccleſiæ
De nouo Mundo
De feſtiuitatibus feſtiuitatum, ſeu de feſto Sanctiſſimæ Trinitatis
De laudibus Beatiſſimæ Virginis
De Martyribus, Confeſſoribus &c.
Hi ſex libri Sancto Brunoni Carthuſienſium Fundatori ab alijs tribuuntur. Acceſſit Appendicis vice, Odonis Aſtenſis, Monachi Ordinis Benedictini ad eumdem Brunonem Signienſem Epiſcopum Expoſitio in Pſalmos per contemplationem exarata

Præter hæc Sancti Brunonis opera in Bibliothecis Ducis Sabaudiæ Taurini aſſeruantur M. SS. Commentaria in 4. Euangelia, teſte Andrea Roſſotto in Syllabo Scriptorum Pedemontij, & in Rhegienſi, ex Poſſeuino in Apparatu ſacro de laudibus Eccleſiæ Opus.

Celebrant noſtrum Brunonem Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, Leo Oſtienſis in Chronico, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra Tomo primò, Raphael Sopranus in Catalogo Scriptorum Ligurum, Marcus Antonius Sci-

pio in Elogijs Abbatum Monaſterij Caſſinenſis, Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi, Philippus Malabaya in diſquiſitione de ortu, Canonicatu, & receſſu à Caſſinenſibus Sancti Brunonis, Maurus Marcheſius in diſſertatione hiſtorica de S. Brunone Aſtenſi, Philippus labbè de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Sanctus

C

SAnctus Cæleſtinus Patre Priſco, patria Romanus, Diaconus Cardinalis, & Pontifex Maximus, ſcripſit contra Neſtorium ad Ioannem Antiochenum, ad Rufum Theſſalonicenſem, ad Iuuenalem Hieroſolymitanum & ad Flauianum Philippenſium Epiſcopos; literas quoque miſit de Neſtorij damnatione ad Clerum Conſtantinopolitanum. Cum autem Eccleſiam adminiſtraſſet annis octo, Menſibus quinque, tribuſque diebus octauo Idus Aprilis anno Chriſti 432. in pace quieuit.

De Cæleſtino agunt Martyrologium Romanum, Baronius in Notis & in Annalibus, Beda, Vſuardus, Ado, liber de Romanis Pontificibus, Proſper Aquitanus in Chronico, Marcellinus Comes, Socrates in hiſtoria, Nicephori ambo, Epiſcopus & Calliſtus, Ciaconius, Panuinius, Platina & reliqui omnes qui hiſtoriam Pontificiam, nec non ſacram euulgarunt.

Cæſar Baronius Soranus, Congregationis Oratorij Romani Alumnus, Sanctique Philippi Nerij in ſpirituali vita diſcipulus, inter Presbyteros Cardinales Tituli SS. Nerei & Achillei à Clemente VIII. Romano Pontifice cooptatus inuitus, ſcripſit Annales Eccleſiaſticos, opus diuiſum in 12. Tomos, quorum primus ab aduentu Chriſti perducitur vſque ad Traiani Imperatoris exordium & complectitur annos centum.

Secundus ab exordio Traiani producitur vſque ad imperium Conſtantini, complectitur annos 205. ſextum ex parte attingit

Tertius ab imperio Conſtantini perducitur ad Conſtantij obitum, complectitur annos 66. ſextum ex parte tantum attingit.

Quartus ab imperio Iuliani Apoſtatæ perducitur vſque ad obitum Theodoſij, continet annos 34.

Quintus ab anno Chriſti 395. perueniens vſquè ad 440. continet annos 45.

Sextus ab anno Chriſti 440. perueniens vſque ad 518. continet annos 78.

Septimus ab anno ſalutis 518. perducitur vſque ad annum 590. continet annos 72.

Octauus ab anno 590. perueniens vſq; ad 714. continet annos 124.

Nonus ab anno 714. perueniens vſque ad 842. continet annos 128.

Decimus ab anno 842. perducitur ad annum 1000. incluſiuè, continet annos 158.

Vndecimus ab anno 1001. perducitur ad annum 1099. incluſiuè, continet annos 99.

Duodecimus ab anno 1100. vſque ad annum 1198. continet annos 98.

Præter Annales ſcripſit etiam Annotationes in Martyrologium Romanum. Reliquit alia ad Annales ſpectantia M. SS. ſed non abſoluta.

E ucubrauit Paræneticam Epiſtolam ad Rempublicam Venetam

Vitam S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanēſis

Et de Ruthenis ad communionem Sedis Apoſtolicæ receptis monumentum, typis mandatum Romæ cum Tomo 7. Annalium anno 1596.

Vitam Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quam vna cum hiſtoria ac exemplis Deiparæ memorabilibus ex alijs eiuſdem Baronij præclaris voluminibus à ſe collectis probat Bernardinus Picrottius Lucenſis Congregationis Matris Dei Sacerdos.

Mortuus eſt Romæ in ædibus Congregationis Oratorij, ad quas è Palatio Vaticano in quo S. R. E. Bibliothecarius habitabat, Mortem imminere præſentiens lætus redierat pridiè Kal. Iunij anno ſalutis 1607. poſt obitum tumulum habuit in Templo Vallicellano cum Elogio communi ſibi & Franciſco Mariæ Taurusio.

D. O. M.

FRANCISCO MARIÆ TAVRVSIO

Politano

Et

CESARI BARONIO

Sorano

V Ex

Ex Congregatione Oratorij
S. R. E.
Presb. Cardinalibus
Ne corpora diſtinguerentur in morte
Quorum animi
Diuinis virtutibus inſignes
In vita coniunctiſſimi fuerant:
Eadem Congregatio
Vnum vtrique monumentum
Poſuit.
Tauruſius vixit annos LXXXII.
Menſes IX. Dies 14.
Obijt 3. Idus Iunij MDCXVIII.
Baronius vixit annos LXIX.
Menſes VIII.
Obijt pridie Kal. Iulij
MDCVII.

Hiuſce Cardinalis Vitam euulgarunt Henricus Spondanus, Hieronymus Bernabeus, Auctarij Ciaconij; eumdem laudarunt Ianus Nicius Erythræus in Pinacotheca, Michael Angelus Buccius, Hieronymus Binagus, Collegium Romanum Soc. Ieſu in Orationibus funebribus, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Ludouicus Donius d'Attichy, Aubertus Miræus, Petramellarius, Antonius Sanderus & alij plures.

Cæſar Facchinettus Bononienſis Laurentij ex Violāte Auſtriaca filius, Innocentij IX. Pontificis Maximi abnepos, ex Archiepiſcopo Damaſceno, Nuntioque Apoſtolico apud Regem Hiſpanarum, Presbyter Cardinalis ab Vrbano VIII. renuntiatus Titulum SS. IV. Coronatorum obtinuit, deindè S. Laurentij in Lucina, prefuitque Epiſcopus Senogallienſi primò, deindè Spoletanæ & Albanenſi Eccleſiæ, ediditque Conſtitutiones, ac Decreta in Synodis quas celebrauit; extat eiuſdem Cardinalis Carmen ad Hieronymum Tetium Auctorem

rem

rem libri inſcripti Ædes Barberinæ. vidi eiuſdem literas ad Cardinalem Rapacciolum de hiſtoria Concilij Tridentini Sfortiæ Cardinalis Pallauicini. Viuebat hoc præſenti anno 1675. Maximè intentus regimini Eccleſiæ Spoletanæ.

De hoc Cardinali tractant Galeazzus Gualdus in ſuo Theatro virorum illuſtrium, Ferdinandus Vghelhus in Italia ſacra, Vincentius Armannus in literis, Iacobus Cettanus Canonicus Regularis Lateranenſis in Epiſt. nuncupatoria Vitæ S. Franciſci Xauerij, Auctarij Ciaconij, Memoriæ Academicorum Gelatorum Bononienſium & alij plures.

Cæſar Montius Mediolanenſis perfecto ſtudiorum ſtadio in Collegio Borromeorum Papienſi, Romam ſe tranſtulit clericali veſte indutus, quà in Vrbe ſub Paulo V. inter Referendarios vtriuſque Signaturæ connumeratus eſt, ſub Gregorio XV. inter Conſultores Sancti Officij, & ſub Vrbano VIII. inter Patres Congregationis de propaganda fide; nec non Sancti Officij Aſſeſſor, tum Nuncius Apoſtolicus apud Proregem Neapolitalitanum, ac poſt triennium Nuncius extra ordinem, tum ordinarius apud Regem Hiſpaniarum, ac Patriarcha Antiochenus; quo munere dum fungeretur Archiepiſcopus Mediolanenſis, & ſacra purpura ornatus.

Tantus hic vir verſu exametro Iuuenis adhuc ſcripſit Epithalamium in mutuis Hiſpaniarum, & Galliæ Regum nuptijs inſcriptum Federico ſeniori Cardinali Boromeo, extat in Bibliotheca Ambroſiana.

Orationes duas M. SS. apud Iulium Montium, cum Nonaginta diſcurſibus Italicis, quos ipſe met habuit in Cathedrali Mediolanenſi.

Obijt anno iubilæi 1650. die 16. Auguſti apud Eccleſiam ſuam annos natus ſeptem ſupra quinquaginta, ſepultus in Cathedrali ſub hac Epigraphe.

Oſſa
CÆSARIS MONTII
Cardinalis
Archiepiſcopi Mediolani
Rexit Eccleſiam Ann. XV Menſ. III.
Vixit Ann. LVII. Obijt Anno MDCL.

De quo Petrus Paulus Boſca de Bibliotheca Ambroſiana, Philippus Picinellus in Atheneo Mediolanenſi, Octauius Boldonius, Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſacra Bartholomęus Argenti in Orat. funebri habita Mediolani in Cathedrali anno 1650. Carolus Franciſcus Cereſolus in Orat. funebri.

Cæſar Raſponus Rauennatenſis Franciſci, ex Clarice Vaina Cardinalium Franciſci & Antonij iunioris Barberinorum matrueli filius in lucem editus die 15. Iulij anno poſt Chriſtum natum 1615. à puero Clericatui addictus poſt Grammaticam, Rethoricæ, ac Philoſophiæ in Collegio Romano, & iuris vtriuſque ſtudia in Academia eiuſdem Vrbis felici curſu peregit præſulari deindè ornatus veſte Sacerdotium habuit primò in Eccleſia SS. Laurentij, & Damaſi ad Theatrum Pompei; mox in Lateranenſi Baſilica. Flauio Cardinali Chiſio Alexandri ſeptimi Pontificis nepoti ſtatus Eccleſiaſtici Præfecto Auditor generalis & à ſecretis, ſpatio duodecim annorum Sacræ Conſultationi & Congregationi ſanitatis, dum peſtilenti morbo Vrbs præmeretur inſeruijt, ex Nuncio Apoſtolico ad Reges, Reſpublicas, & Principes Chriſtianos ab eodem Alexandro Pontifice Maximo Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, Titulum S. Ioannis ante Portam latinam obtinuit, & Legationem ad Metaurum geſſit. Ante purpuram ſcripſerat, & publici iuris fecerat typis Romanis latiali ſermone libros quatuor, hiſtoriam Baſilicæ Lateranenſis continentes. Viuit hoc præſenti anno Iubilæi 1675. in Vrbe Reipublicæ Chriſtianæ negotijs intentus. Celebrant hunc Cardinalem Auctarij Ciaconij, Fabritius Veinerius in literis præfixis Vitæ S. Nicolai Epiſcopi Myræ, Theophylus Rainaudus in Epiſtola nuncupatoria cuiuſdam Opuſculi, alijque plures.

Caius, Caij Maximi filius natione Dalmata, patria Salonitanus Diocletiani Imperatoris ex fratre nepos, Eccleſiæ Romanæ tum Presbyter, tum Pontifex, cum illam ſanctiſſimè rexiſſet per annos duodecim, Menſes quatuor & dies ſex, x. kal. Maij anno Domini 296. abſciſſione capitis martyrium glorioſè conſumauit. huius habemus Epiſtolam vnam ad Felicem Epiſcopum, Binij ac Bacilli notis illuſtratam.

De S. Caio eſt memoria in Martyrologijs Romano, Bedæ Adonis, & Vſuardi, item apud Baronium in Notis, & in Annalibus, apud Euſebium in Chronico, & in hiſt. Optatum, Auguſtinum Epiſt. 165. Nicephorum, nec non apud acta S. Sebaſtiani, S. Su-

S. Suſannæ, apud Ciaconium, & reliquos omnes qui hiſtoriam vel Eccleſiaſticam, vel Pontificiam deſcripſerunt.

Calliſtus Romanus ex Presbytero S. R. E. Summus Pontifex renuntiatus ſedit annos quinque, menſem vnum, dies duodecim, euulgauitque Epiſtolas duas, vnam ad Benedictum, alteram ad Epiſcopos Galliarum, quæ inter Decretales recenſentur, notiſque à Binio illuſtrantur. fame in carcere cruciatus, fuſtibuſque quotidie cœſus è feneſtra demum præcipitatus, atq; in puteum demerſus Martyrij palmam aſſecutus eſt pridiè Idus Octobris anno Domini 227.

Meminere Calliſti Martyrologia omnia, Baronius in Notis, & in Annal. Liber Rom: Pont. inſcriptus Damaſus, & alij omnes qui Vitas Pontificum, & Sanctorum euulgarunt.

Camillus Aſtallus Romanus Fuluij & Catharinæ Pinellæ filius ab Innocentio X. Aduocatorum Conſiſtorialium Collegio primùm, mox Clericis Cameræ Apoſtolicæ, demum Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, & in Pamphiliam familiam cooptatus eadem die Nepotis Pontificij agnomen, locum, honores omnes obtinuit, dictuſque Camillus Pamphilius; quod agnomen paulo poſt depoſuit, & ad antiquum ſuæ familiæ redijt. præfuit Presbyter Titulo S. Petri in Monte aureo, & Epiſcopus Eccleſiæ Catanenſis in Sicilia, in cuius regimine deceſſit anno ſalutis 1663. die Decembris, & in Cathedrali iacet. Huiuſce Cardinalis literarum volumen habui aliquando præ manibus; harum aliquæ ſunt publici iuris ſtudio & opera Abbatis Michaelis Iuſtiniani; Vidi etiam narrationem ſuæ vitæ quotidiano ſermone dilucidè explicatam à ſe ipſo.

Eſt Camilli Aſtalli Cardinalis mentio apud Auctarios Ciaconij.

Camillus Burgheſius Romanus ex Presbytero Cardinali in Titulo S. Chryſogoni ad Apoſtolicæ dignitatis culmen prouectus, ſub Pauli huius nuncupationis quinti, Petri nauim per annos quindecim, menſes octo, dies tredecim rexit, edidítque literas Apoſtolicas plures, quarum aliquæ ſpectant ad cultum Deiparæ Mariæ, cuius vixit Cliens deuotiſſimus, & cultor admirandus. extat eiuſdem Epiſtolarum volumen ad diuerſos. è mortali tranſlatus eſt ad æternam vitam die 22. Ianuarij, anno voluentis ſeculi vigeſimo primo. iacet in Baſilica Liberiana ſub hoc Elogio.

PVLVS

PAVLVS V.
Pont. Max.
Mortis memor
Viuens ſibi poſuit
Scipio Cardinalis Burgheſius
Funus ducit,
Iuſta ſoluit, Corpus inferri
Curauit.

De Paulo tractant Abrahamus Bzouius, Lucas Vadingus, Ferdinandus Carolus, Auctarij Ciaconij in vita. Henricus Spondanus in Annal. Io: Coluillus in eius inauguratione, Leo Allatius de edificijs Pauli, Marcellus Pallonius in oratione funebri, Paulus de Angelis in deſcriptione Baſilicarum, Vaticanæ, & Liberianæ, Panuinius, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pont. Henricus Chifellius, Marracciusin Pont. Marianis & in Bibl. Guido Card. Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Petrus Courcier Gallus in opere prænotato Negotium ſeculorum Maria, & alij plures.

Camillus Maximus, Romanus, primùs qui in ſuam antiquam, & nobilem familiam, ampliſſimam Cardinalatus dignitatem intulit, ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ, & Patriarcha Hieroſolymitano, ac Præfecto Cubiculi Pontificij à Clemente X. Pont. Max. die 22. Decembris, voluentis ſeculi decimi ſeptimi anno ſeptuageſimo inter Presbyteros Cardinales cooptatus ſub titulo S. Euſebij.

Scripſit literas eruditas etruſca lingua, euulgatas in tertia parte literarũ memorabiliũ Michaelis Iuſtiniani: Vidi eiuſdem narrationem M. S. ſuæ legationis hiſpanicæ apud Philippum IV. Regem. Viuit hoc anno quinto ſupra ſeptuageſimum laudati ſeculi, in Vrbe, literis, & pietati intentus, nec non antiquitatis ſtudioſiſſimus, huius opera anno huiſce ſeculi 73. Romæ euulgata ſunt Fragmenta quædam veſtigij veteris Romæ ex lapidibus Farneſianis, cum notis Io: Petri Bellori in fol.

Camillus Pamphilius Romanus, Pamphilij ex Olympia Maidalchina filius, Innocentij X. ex fratre nepos, à Patruo Diaco-

nis

nis Cardinalibus adſcriptus præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Dominica. cum autem ſolus eſſet virilis ſexus Innocentij nepos ſacra purpura dimiſſa Olympiam Aldobrandinam viduam Principis Burgheſij, Roſſani Principem, ducis Parmenſis neptem & Clementis VIII. Pontificis Maximi proneptem matrimonio ſibi iunxit: delectatus ſemper eſt Poetarum lectione, & carmina plura italica panxit, nec non drammata multa, ſacra & moralia conſcripſit, quæ extant apud diuerſos. Annos natus quinque ſupra quadraginta, à purpura dimiſſa decimo, anno ſalutis 1666. die 26. Iulij è viuis abijt Romæ, qua in Vrbe ad Sanctam Agnetem in Circo Agonali ſepulturam habuit.

De Camillo Pamphilio ſcripſere Galeazzus Gualdus in Theatro, & in hiſtoria Reginæ Sueciæ, Nicolaus Angelus Caferrus in Syntemate vetuſtatis, Thomas Stilianus in Carmine etruſco, Auctarij Ciaconij, & alij plures in epiſtolis nuncupatorijs ſuarum lucubrationum, quas huic Cardinali dedicarunt.

Carolus Boromæus Mediolanenſis Pij IV. ex Sorore nepos, Diaconus Cardinalis SS. Viti & Modeſti, mox Presbyter SS. Martini & Silueſtri in Montibus, poſtea S. Praxedis, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Sanctorum cœtui adſcriptus, elucubrauit in Poſterorum commodum multa. Extant Mediolani in Bibliotheca Sancti Sepulchri vnus ſupra triginta Tomos Epiſtolarum ad laicos Principes miſſarum.

Innumerabiles Synopſes ſiue Tabulæ, quibus adiunctæ ſunt Tractationes de Symbolo fidei, de decem præceptis, de Sacramentis, de Oratione Dominica, deque ſingulis ſacroſanctis myſterijs; Bibliorum libri poſtillis ſua manu adnotati, aſſeruantur in Bibliotheca capituli Mediolanenſis, cum Tomis nouem Concionum.

Cum ſex Concilia celebraſſet, ſex etiam Decretorum volumina edidit, orationeſque in illis habitas.

Tractatum de ratione conferendi Confeſſionis Sacramentum.

Monita pro Confeſſarijs.

Concionem de Iubilæi anno, deque ſpiritualibus indè fructibus percipiendis.

Paſtorum & Concionatorum Inſtructiones ad ſuæ Diœceſis vſum.

Libros duos inſtructionum fabricæ & ſuppellectilis Eccleſiaſticæ

Modum

Modum viſitandi Baſilicam Principis Apoſtolorum in Vrbe

Tractatum de cura tempore peſtilentiæ

Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, Federici Cardinalis Boromei Nepotis iuſſu edita.

Recognouit etiam Officium B. Virginis, atque in optimam formam reſtituit, quam Romana Eccleſia approbauit.

Literarum volumina duo italica lingua collectarum à Carolo Baſcape.

Vitam ſanctiſſimam terminauit Mediolani 3. Nonas Nouembris anno ſalutis 1584. cuius corpus ſummo cultu Fideles venerantur in Eccleſia principe Mediolanenſi.

Debitis laudibus celebrant Carolum Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, Spondanus in Annalibus, Auctarij Ciaconij, Ludouicus Donius d'Attichy in hiſt. Card. Poſſeuinus in Bibliotheca, & in Apparatu, Marraccius in purpura & in Bibliotheca, Petrus Bouroier in opere Mariano, Auguſtinus Valerius, & Io: Petrus Guiſſanus, Io: Petrus Biumus in Vita, Philippus Picinellus in Atheneo.

Carolus Cerrus Romanus, nobilis Papienſis, Iuris conſultus magni nominis, & in Romanæ Curiæ cauſis verſatus, ex Decano Auditorum Rotæ à Clemente IX. aduoluentis ſeculi anno vndeſeptuageſimo, Menſis Nouembris die 29. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, & Electus Epiſcopus Ferrarienſis, nec non Legatus Vrbini, qui à Clemente X. ſucceſſore in Titulum obtinuit Eccleſiam S. Adriani factam Presbyteralem, euulgauit deciſiones plures, quas elucubrauerat tempore quo inter Auditores Rotæ ſedit. Inuigilat hoc anno eiuſdem ſeculi ſeptuageſimo quinto regimini Eccleſiæ, ſuę curæ commiſſæ.

Tractant de hoc Cardinali Auctarij Ciaconij, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Florauantes Martinellus in ſua Roma ricercata nouæ editionis.

Carolus de Graſſis Bononienſis Presbyter Cardinalis S. Agnetis in Circo Agonali à Pio V Romano Pontifice renuntiatus, mox S. Luciæ, demùm S. Euphemiæ, ſcripſit Opuſculum de Eccleſia ab hæreſibus liberanda, eiuſdem de exceptionibus ad materiam excludentis omnes exceptiones, Opus impreſſum habemus in 4. Venetijs 1600. & Marpurgi. vix per biennium purpuram induit, nam 8. Kal. Aprilis anno ſalutis 1571. cum ætatis ſuæ vix quinquageſimum ſecundum attigiſſet, à vita Romæ migra-

migrauit, cuius oſſa in Eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis montis Pincij iacent ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

CAROLO DE GRASSIS
Bononienſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali
Viro integritate vitæ,
Ingenij acumine,
Ac
Rerum tractandarum ſolertia
Quæ
Pro Chriſtiana Republica
Per viginti annos adminiſtrauit inſigni,
Fratres Fratri benemerenti poſuere.
Vixit Annos LII.
Obijt Anno MCCCCCLXXI.
VIII. Kal. Aprilis.

Meminere huius Cardinalis Auctarij Ciaconij, Petramellarius, Auberyus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Hieronymus Rubeus in Rauennatenſi, Io: Baptiſta Adriani in ſua hiſtoria, Io: Nicolaus Paſchalis de rebus Bononienſibus, Antonius Bumaldus in Bibliot. Bononienſi.

Carolus Guiſius Lontharingus Presbyter Cardinalis Tit. S. Cæciliæ à Paulo III. Romano Pontifice electus; tum S. Apollinaris, qui mortem ſubijt Auenione 7. kal. Ianuarij anno ab orbe redempto 1574.

Scripſit Orationes multas, quarum quinque elegantes in omnium manibus ſunt.

Commentarium de rebus geſtis Henrici II. Regis Galliarum.

Verſus plures latino idiomate

Conciones Remis habitas latinè & gallicè, inter quas plures de laudibus B. Mariæ Virginis.

Concilij Tridentini, cui interfuit, narrationem, literas, & pro illo monumenta aliqua.

Corpus ad Remenſem Eccleſiam deductum iacet in Cathedrali cum hac ſepulchrali inſcriptione.

D. O. M.

CAROLVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Cardinalis
A Lotharingia
Archiepiſcopus, Dux Rhemenſis,
Primus Par Franciæ
Sanctæ Apoſtolicæ Sedis
Legatus natus
De morte & reſurrectione cogitans
Sibi viuus
Poſuit anno MDLXXIV.
Septimo Kal. Ianuarij
Requieſcat in pace. Amen.
Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei veri
Qui in hunc mundum veniſti.

Eſt Caroli huius mentio apud Sammarthanos & alios Auctores Galliæ Chriſtianæ, apud Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Petramellarium, Henricum Spondanum in Annal. Eccl. Ludouicum Donium d'Attichy in hiſt. Cardinalium, Sfortiam Card. Pallauicinum & alios in hiſt. Concilij Tridentini, Franciſcum Sacchinum in hiſt. Soc. Ieſu, Felicem Contelorium in

X.

in Elencho ; Antonium Sanderum in Elogijs, Nicolaum Bocherium in oratione funebri, & alios plures.

Carolus iunior, ſeu II. Guiſius de Lotharingia dictus, Tullenſis Epiſcopus primò, deindè Virdunenſis Diaconis Cardinalibus Gregorij XIII. beneficio adſcriptus, præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Dominica, tum Presbyter Titulo Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio, ſcripſitque de vniuerſa Eccleſia poſitiones, quas in Academia Muſſipontana Doctoribus quibuſcumque in arenam prouocatis puplicè propugnauit, nuncupauitque ipſi Gregorio XIII. Pontifici Maximo. Viginti ſex annos natus Tulli 3. Kal. Nouembris anno 1587. ſeu 1588. mortem ſubijt, iacet Nancei apud Franciſcanos.

De hoc Carolo tractant Auctarij Ciaconij, Petramellarius Henricus Lud. Rupipozeus in Nomenclatore Cardinalium, Frizonius in purpurata, Sammarthani in Chriſtiana Gallia, alijque quamplures.

Carolus Hemard natione Gallus ex Epiſcopo Matiſconenſi Presbyter Cardinalis Tituli S. Matthei in Merulana, & Epiſcopus Ambianenſis à Paulo III. renuntiatus, modo Ambianenſis, modo Matiſconenſis Cardinalis dum vixit fuit nuncupatus. Regis Gallici nomine cum apud Pontificem Romanum antè purpuram legatione functus fuiſſet, nonulla ſcripta reliquit de ſuis legationibus. Supremum diem obijt die 23. Auguſti anno ſalutis 1540. annos natus 47. quare allucinantur illi qui in funere Franciſci Regis ipſum peroraſſe dictitant: iacet in Eccleſia Principe Ambianenſi cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

Et

Memoriæ æternæ

CAROLI HEMARDI

Cardinalis Matiſconenſis

Et

Ambianenſis Epiſcopi

Quem nunc iacentem Carolum Hermardum vides
Non ſtemma, opeſue, at vna virtus, & labor

 Pede-

Pedetentim ad vſque ſumma vexit munia.
A conſilijs primum ille regijs paululum
Poſt Romam apud ipſum Summum Pontificem, ſui
Negotia vt Regis fideliter gerat
Legatus, adeò ſe vtrique fidum præſtitit
Vt Cardinalium in numerum, atque in Ordinem
Adſciret iſte, ille Ambianæ Eccleſiæ
Præficeret, in qua conſepultis litibus
Vt pacis barram perpetuam corpus ſuum
Animam Deo linquens ſepeliendum dedit.

Obijt XXIII. Auguſti
Anno MDXL.
Suæ vero ætatis XLVII.
Anima quieſcat in pace
Amen.

Celebrant Carolum Sammarthani in Chriſtiana, Frizonius in purpurata Gallia, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Io: Chenu, Claudius Robertus de Epiſcopis Galliæ, Felix Contelorius in Elencho, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibliot. Pontificia & alij plures.

Carolus Robertus de Victorijs nobilis Romanus ex Archiepiſcopo Tarſenſi & nuntio Apoſtolico apud Galliarum Regem ab Alexandro VII. Pontifice Maximo Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, à Clemente IX. Titulum S. Mariæ in Aracœli, & Legationem in Æmilia obtinuit: hic confecto Philoſophiæ ſtudio in Collegio Romano edidit Effata Peripati Chriſtiani, & Ferdinando Etruriæ Duci nuncupauit. obijt in Vrbe ætat. 61. ſalutis 1673. 15. Februarij, conditus in Eccleſia S. Andreæ de Valle illiuſque eſt mentio apud Auctarios Ciaconij.

Carolus Roſſettus Ferrarienſis Alexandri, ac Margaritæ Eſtenſis filius natus anno 1615 Philoſophiæ, Theologiæ, ac iuris vtriuſque laureatus, Vrbani VIII. Pontificis Maximi Miniſter apud Reginam Anglicanam, Archiepiſcopus Tarſenſis, & Nuncius extra ordinem ad Colonienſem congreſſum, Epiſcopus Faentiæ, S. R. E. Diaconus primò, deindè Presbyter Cardinalis renuntiatus, Synodales Conſtitutiones & Decreta pro Clericis Fauentinis in Synodis octo ſcripſit, ediditque carmen in ædium Barberinarum laudem, euulgatum cum deſcri-
ptione

ptione earundem à Hieronymo Tetio elaborata. habemus etiam relationem de rebus Anglicanis quas vidit dum in ea Inſula Pōtificius Miniſter vixit. Inſuper Opus ad S. R. E. Paſtores, & Prædicatores eruditionem, & admonitionem, Mediolani euulgatum in 12. anno noſtri ſeculi quarto ſupra ſeptuageſimum. Vitam viuit hoc præſenti anno 1675. in regimine ſuæ Eccleſiæ, & Commentaria parat in Summam D. Thomæ.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Galeazum Gualdum, Victorium Sirum in hiſtoria noſtrorum temporum, apud Auctarios Ciaconij, apud Alemannum in Epiſtolis, Ferd. Vghellium in Ital ſac. Maiolinum Biſaccionum, Lucam Lindam, Hieronymum Bruſonum, Biragum, Hippolytum Graſſettum Memorias Academicorum Gelatorum Bononienſium & alios.

Carolus de Sancto Spiritu natione Italus, Ordinis Sanctiſſimae Trinitatis Redemptionis Captiuorum ob vitæ probitatem, ſingularem doctrinam, & eminentem in rebus gerendis prudentiam Epiſcopus Syracuſanus & S. R. E. Cardinalis electus, aliquorum dicto, ab Innocentio IV. ſcripſit, vt in examine veritatis pro immaculata Conceptione refert Fr. Iſidorus Luce Iuſitanus, de immaculata Conceptione Virginis Mariæ libros duos

De Perſecutionibus Eccleſiæ Catholicæ librum vnum, & alium de illis qui eamdem Eccleſiam perſequuti ſunt.

Item alium in Eccleſiæ eiuſdem defenſionem.

Romæ corporis ſarcinam depoſuit anno ſalutis 1251. Ibidem Sepulchro conditus apud religioſos ſui Ordinis in Eccleſia S. Thomæ de formis.

Meminere huius Hippolytus Marraccius, in Bibliotheca & in purpura Mariana, Petrus Courtier in opere prænotato Negotium ſeculorum Maria ad annum 1251. Auctarij Ciaconij, Io: Petrus Creſcentius in Præſidio Romano &, Scriptores plures ſui Ordinis.

Carolus Vicecomes Mediolanenſis ſub Pio IV. Presbyter Cardinalis SS. Viti & Modeſti, cum Epiſcopus Albintimillienſis Concilio Tridentino intereſſet, ſcripſit eiuſdem Concilij relationem, ſeu Ephemeridem, & orationem, quam omnes ad vnum pleniore ore Pontifici Romano commendarunt. Morte præuentus Romæ viuere ceſſauit Idibus Nouembres anno ſalutis 1565. ætatis ſecundo ſupra quadrageſimum. Oſſa iacent in Titulo ſub hac Epigraphe.

CAROLO

D. O. M.

CAROLO VICECOMITI
Mediolaneſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali
Qui Pio IV. Pont. Max.
Ex
Senatu Regio ad Epiſcopatum,
Indè
Ad Cardinalatum prouectus,
Multis ad Reges,
Imperatoreſque legationibus ſumma
Cum laude functus,
Vetuſtiſſimæ gentis ſuæ nobilitati
Præclarè
Omni parte reſpondit.
Vixit annos XLII. obijt Romæ
Idibus Nouembris
Anno ſalutis MDLXV.
Carolus Vicecomes, Albizati Comes
Magno Patruo B. M. P.

De hoc Cardinali agunt Auctarij Ciaconij, Auberyus Ferd Vghellius in Italia ſacra, Panuinius, Actores Hiſtoriæ Concili. Tridentini, Petramellarius & alij plures

Carolus Dominicus de Carretto ex Marchionibus Finarij Patritius Genuenſis, Galeotti filius, frater germanus Fabricij Magiſtri ſupremi Equitum Hieroſolymorum, Archiepiſcopus Thebanus, Turonenſis, Cadurcenſis, & Remenſis, demum Presbyter Cardinalis SS. Viti & Modeſti, mox S. Cæciliæ renuntiatus

nuntiatus à Iulio II. interfuit Lateranenſi Concilio, ceſſitque è vita Romæ ſub Leone X. die 15. Iulij anno ſalutis 1514. ante purpuram orationem habuit in parentalibus cuiuſdam Cardinalis quæ extabat M. S. apud Sirlettum.

Celebrant tantum Cardinalem Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Claudius Robertus, Io: Chenu de Epiſcopis Gallis, Panuinius, Auberyus, Ciaconus cum Auctarijs, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, & alij multi.

Cencius Sabellus Romano ex Canonico S. Mariæ Maioris à Cœleſtino III. Diaconis Cardinalibus adſcriptus cum Diaconia S. Luciæ in Silice, nec non S. R. E. Camerarius & Procancellarius renuntiatus, ſub Innocentio III. inter Presbyteros Cardinales cooptatus cum Titulo Pammachij, poſt Innocentij III. obitum Romanam Cathedram aſcendens dictus eſt Honorius huius nominis tertius, ſeditque annos decem, menſes octo, quibus elapſis in Vrbe vitam terminauit die 18. Martij anno 1227. & ſepulchrum habuit in Baſilica liberiana ante aram Præſepij.

Scripſit Sermones aliquot, Dominico Guzmano Ordinis Prædicatorum Patriarchæ dicatos, inter quos ſunt aliqui de laudibus B. Mariæ Virginis.

Sermones alios ad Clerum & Populum Romanum inſcriptos Gualtero Abbati Ciſtercienſi

Vitam Cœleſtini V. Pontificis ex aliquibus, ſed errant, Cœleſtinum enim non vidit Pontificem.

Cenſuum Romanæ Eccleſiæ pergrande volumen, quod aſſeruatur M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Pro defenſione libri Abbatis Ioachim aduerſus Petrum Lombardum Epiſtolam ad Epiſcopum Lucaniæ, cuius fragmentum inuenitur in Apparatu ſacro Poſſeuini, verbo Ioachim.

Epiſtolas Decretales in iuris Canonici libros, quarum Regiſtrum quinque voluminibus cooptatum in Vaticano M. S. aſſeruatur illarum aliquæ leguntur inter Epiſtolas Petri Bleſenſis, & aliæ apud diuerſos.

Decreta & Bullas

Ceremoniale Cencij de Sauellis, aliàs Camerarij extat M. S. Romæ in Bibliotheca Barberina

Sub eius nomine eſt Index Romanorum Pontificum in Vaticano, teſte Binio.

Eiuſdem Epiſtolas datas Valerio, & Olao Archiepiſcopis Vpſa-

Vpſalenſibus, & Suffraganeis eorum, nec non illas Clero, & Populo de Guthalandia, Epiſcopis Filandiæ, Scarenſi, & electo Lundenſi, ac reliquis per Ludenſem Prouinciam conſtitutis; alias pariter Erico Regi, Duci, & Magiſtratibus Sueciæ, atque omnibus Chriſti fidelibus per Regnum Sueciæ conſtitutis, Ioannes Vaſtonus Gothus reſcripſit in Viti Aquilonia.

Literis item ſuis confirmauit Vberto Epiſcopo Bobienſi priuilegia, & numerum Canonicorum in Cathedrali Cumana ab Anſelmo Epiſcopo ſtatutum, alijs Philippum Antiſtitem Feltrenſem, ac Bellunenſem, iniurijs a ſuis expetitum, exilioque mulctatum defendit, & pro illo ad Epiſcopum, & Clerum Trauiſinum, atque ad Poteſtatem, & Populum eiuſdem Ciuitatis plures literas dedit. Inſtante Angelo Baroccio Patriarcha Gradenſi Eccleſiæ quidquit reliqui Pontifices deceſſores indulſerant, ſuis literis 6. kal. Februarij, anno 1220. ſcriptis, confirmauit, vti etiam Stephano Noui portus Abbati quæ à Prædeceſſoribus Romanis Pontificibus indulta erant, alijs datis 3. Idus Iulij, anni 1222. conſolidauit: Petro vero Aſculano Epiſcopo, & Fulcono Papienſi ſuis literis exaratis anno 1217. conceſſit annuum cenſum quatuor denariorum Papienſium primò, & alteri vſum Pallij, & Crucis, cum alijs præeminentijs. eodem quoque anno alijs literis vnionem Eccleſiarum Piuernatis, & Setinæ cum Tarracinenſi, inſtante Simone Epiſcopo ratam habuit, Anſelmo autem Callienſi Antiſtiti decimam oblationum ſui Epiſcopatus conceſſit, vt ſuppetias ferret ijs, qui ad bellum ſacrum proficiſci volebant.

Meminere Cencij, ſeu Honorij S. Antoninus, Conradus Abbas Vſpergenſis, Albertus Stadenſis in Chronico, Baronius, Odericus in Eccleſiaſticis, Mattheus Pariſius in Anglicanis, Lucas Vadingus in Minorum Annalibus, Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis, Henricus Ludouicus Rupipozeus in Nomenclatore Cardinalium, Ciaconius cum Auctarijs & reliqui qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Chriſtophorus Vrſuuicius, quem alij Brambriggum, alij Brambridge cognominãt Anglicus, iuris vtriuſque Doctor ſuo æuo doctrina clariſſimus ſub Richardo III. Rege pro Eccleſiæ libertate multa ſuſtinuit, at cum Henricus VII. ad Regnum perueniſſet felicior illi fortuna arriſit, nam electus ab eleemoſynis, præfuit Eccleſijs plurimis, eiuſdemque opera vſus eſt idem Rex in ſequentibus legationibus, ad Maximilianum ſcilicet Imperatorem, ad Carolum VIII. Gallorum Regem, ad Franciſcum Brita-

Britaniæ, & Ludouicum Aureliæ Duces. inter hæc Rex Archiepiſcopatum Eboracenſem in eum contulit, & Alexander huius nominis ſextus Romanus Pontifex ſuum in Anglia Quæſtorem illum conſtituit; Orator ad Sedem Apoſtolicam, illam armato milite ab Anglico Rege impetrato contra Regem Galliæ defendit. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo SS. Petri & Marcellini à Iulio II. adſcriptus, veneno à familiari parato Romæ è vita migrauit 14. Iulij die, anno decimo quarto ſeculi decimi ſexti à Chriſti natiuitate, habuit ſepulchrum in Eccleſia hoſpitalis Anglici S. Thomæ ſacra cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

CHRISTOPHORO
Archiepiſcopo Eboracenſi
S. Praxedis
Epiſcopo Card. Angliæ
A Iulio II.
Pontifice Maximo ob egregiam
Operam S.R E. preſtitam,
Dum ſui
Regis Legatus eſſet, aſſumpto
Quem mox
Et domi & foris caſtris
Pontificijs præfecit,
Tutatus eſt.
Obijt Pridie Id. Iulij An. ſal.
MDXIV.

Scripſit ſuarum Legationum Ephemeridem ſatis eruditè, licet illum indoctum & vanitate inflatum nominet Gatimbertus. Scripſit etiam multa de Iuriſprudentia. Debitis laudibus extollunt Chriſtophorum Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs ſuis in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Pitſæus de Script.

Anglicanis, & de Archiepiſcopis Eboracenſibus & alij plures.

Chriſtophorus Iacobatius Romanus ex gente patritia, Dominici Cardinalis nepos, Iacobi filius, ex Vaticanæ Baſilicæ Canonico Caſſanenſis primò Epiſcopus, deindè à Paulo III. Datarius, ac ſacri Palatij, ſeu Rotæ Romanæ Auditor, demum Diaconus Cardinalis S. Euſtachij renunciatus eſt; ad Carolum V. ſub eodem Paulo legatione functus pro componenda pace cum Franciſco Galliarum Rege; hac perfunctus, præfuit Vmbriæ, ac Peruſiæ Legatus, quam cum equiſſimè, ac candidè moderaretur die 7. Octobris anno 1540. Peruſiæ mortalitatem expleuit. Cadauer ex illa Vrbe Romam delatum, conditum in Eccleſia S. Euſtachij.

Huiuſce Cardinalis extat in Vaticano Relatio ſuæ legationis, & apud Hæredes Deciſiones rotales plures.

De quo agit Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus in Vita, Torrigius in Cryptis Vaticanis, Contelorius in Elencho, & alij.

Claudius de Giury Gallus ex Epiſcopo Matiſconenſi Archiepiſcopus Luduguncnſis primò, mox Presbyter Cardinalis ſub Titulo S. Agnetis in Circo Agonali euulgatus, Pictauienſem & Ambienſem in Gallia Eccleſias Clementis VII. conceſſione adminiſtrauit, primumque locum inter Presbyteros Cardinales progreſſu temporis obtinuit. Diem clauſit extremum apud Muſſiacum in Gallia octogenarius 5. Idus Auguſti anno 1561. ſepultus Ligonibus in Eccleſia principe S. Mannato ſacra.

Breuiarium, ſeu formulam precum horariarum typis elegantibus euulgauit, anno 1560. actaque Concilij Prouincialis Lugdunenſis à ſe conuocati anno 1517.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auberyum, Panuinium, Petramellarium, Felicem Contelorium, Ciaconium eiuſdem, Auctarios, apud Auctores Galliæ Chriſtianæ & alios plures.

S. Clemens ex Presbytero S. R. E. euulgatus Summus Pontifex, patria Romanus, profeſſione Philoſophus & Theologus quamplurimas ſcripſit Epiſtolas, duas videlicet ad Corinthios, duas ad Iacobum fratrem Domini, vnam ad omnes Coepiſcopos, alteram ad Iulium & Iulianum, & vnam ad Fratres Hieroſolymæ cum Iacobo habitantes, & quinque de vera fide.

Ex hæbrea in græcam vertit linguam Petri Apoſtoli Epiſtolam ad Hæbreos ex aliquibus. compoſuit de ſacra liturgia librum vnum.

Reco-

Recognitionum poſteriorum ad Iacobum Fratrem Domini libros decem.

Decem alios inſcriptos Itinerarium Petri.

Octo Præceptionum Epiſcopalium, octoque Conſtitutionum Apoſtolicarum.

Vnum Diſputationum Petri cum Apione

Plures Reſponſionum Petri ad interrogationes Tripolitanorum.

Sex hiſtoriarum & Prædicationum Apoſtolorum

Vnum actuum Petri

Vnum ſuorum actuum, & Itinerarium Clementis,

Et vnum prænotatum de verbis Domini.

Canones Apoſtolicos octoginta collegit in vnum, diuerſos quidem ab illis qui ſub falſo Clementis Titulo ab Hereticis conficti ſunt.

Cum ſediſſet annos IX. Menſes vi. dies 4. Chriſti victima occubuit anno ſalutis C. Nouembris Menſis 23. die.

Agunt de Clemente Martyrologia omnia, Baronius in Notis, & in Annalibus, Ciaconius cum reliquis omnibus qui Romanorum Pontificum Vitas, ſeu hiſtoriam ſacram deſcripſerunt.

Clemens Dolera natione Italus, ligur, ex Oppido Momiſiano Genuenſis Diœceſis, Ordinis Minorum de Obſeruantia, Philoſophiæ ac Theologiæ Magiſter, Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Aracœli ſub Paulo IV Romano Pontifice edidit Catholicarum Inſtitutionum Compendium, quod Opus his conſtat Tractatibus.

De Symbolo Apoſtolorum

De Sacramentis

De præceptis diuinis

De conſilijs Euangelicis

De œcumenico Concilio.

Epiſtolam Duci Venetiarum quæ extat inter literas Principum Virorum euulgatam Venetijs anno 1574.

Huic operi primùm Fulginei anno 1562. deindè Romæ anno 1595. impreſſo, addidit duo opuſcula de peccatis & eorum differentijs vnum, alterum de Sacerdotum cœlibatu.

E vita migrauit Romæ apud S. Petrum in Monte aureo 8. Idus Ianuarij, anno ſalutis 1568. ætatis 67. Pij V. Pontificatus ſecundo, hæredibus ſibi ex teſtamento inſtitutis S. Iacobi de Vrbe Pauperibus incurabilibus. Corpus iacet in Titulo S. Mariæ de Aracœli ſub hac inſcriptione.

D. O. M.

CLEMENTI MONLIANO
Card. Aracœli
Summæ doctrinæ & religionis viro,
Prudentiæ
Documento per omnes honorum gradus.
Ad ſummam
In Ordine Fratrum Minorum
De Obſeruantia
Dignitatem
Elato, à Paulo IV.
Cardinali creato liberalitatem
Quam ſemper viuens
Exercuerat moriens comprobauit
Pauperes incurabiles Hoſpitalis
S. Iacobi
Ex Teſtamento hæredes beneficij accepti.
Ergo B. M. P.
Vixit Annos LXVI. Menſes VI.
Dies 16.
Obijt 8. Idus Ianuarij
MDLXVIII.

Celebrant tantum virum Conradus Geſnerus, Vbertus Folietta, Auguſtinus Schiaffinus, Fr. Lucas Vadingus, Raphael Sopranus, Michael Iuſtinianus in Catalogo ligurum Scriptorum, Ciaconius cum Auctarijs ſuis, & reliquis omnibus qui de Cardinalibus, ſeu de viris illuſtribus Minorum ſcripſerunt.

Cletus patria Romanus ex Presbytero S. R. E. primùm Coe-

piſcopus cum Lino à B. Petro ordinatus, deindè Summus Pontifex conſecratus ſcriptis conſignauit de ſui prædeceſſoris paſſione libellum & Epiſtolas plures quæ temporum iniuria perierunt, liber tamen primus inuenitur M. S. Romæ in Bibliotheca Franciſci Cardinalis Barberini, a Domitiano martyrio coronatus 6. kal. Maij anno ſalutis humanæ ſecundo ſupra nonageſimum, ſuæ Sedis 18, obijt.

De hoc tractant Martyrologia Romanum, Vſuardi, Adonis, Bedæ, Baronius in Notis & in Annalibus, liber de Romanis Pontificibus, S. Hieronymus de Scrip. Eccl. Panuinius, Platina, Ciaconius, cum Auctarijs, & alij omnes qui hiſtoriam Pontificiam, & Sanctorum deſcripſerunt.

Conradus Germanus, parente Ægione Comite Seynenſi natus, patruum habuit Bertoldum Turingiæ Ducem, Eccleſiaſticæ profeſſioni addictus, & Decanatus S. Lamberti Leodienſis dignitate condecoratus, ſeculo nuncium remiſit, ac in Villarienſi Ciſtercienſis Ordinis celebri Cœnobio apud Belgas religionis vota iurauit. Tum Prior clauſtralis electus, inde Abbas Villarij, mox & Claraualleníis, propter ſanctimoniã vitæ apud ſuos Sodales maximam gratiam promeritus, ad Ciſtercienſe Cœnobium allectus eſt, quo quidem in munere monaſticæ obſeruantiæ regula, prudentiaque ſic inclaruit vt ab Honorio III. Ponifice Maximo Epiſcopus Portuenſis & S. Rufinæ renuntiatus fuerit, anno 1219. prætcrea aduerſus Albigenſes hæreticos in Gallia Legatione cohoneſtatus, ſummos exantlauit labores, ac pericula adijt, vt ipſe met Epiſtola ad Rothomagenſem Archiepiſcopum teſtatus eſt. Conuocauit Synodum Coloniæ, vel Moguntiæ, cuius acta deſcripſit, & Statuta promulgauit. Leges etiam ſcripſit pro Academia Medicea Monſpelienſi, quam collapſam priſtino ſplendori reſtituit. In Leodienſi Synodo Conſtitutiones pro Clericis edidit, Auctorque fuit præcipuus vt Gregorius IX. ad ſolium Apoſtolicum ſubueheretur, à quo Legatus contra Hæreticos & Saracenos deſtinatus, Cruciatam zelo verè paſtorali reſtaurandæ religionis cauſa prædicauit, inſtructis copijs Palæſtinam defendit, qua in Prouincia dum erga hoſtes fidei acies forti animo explicat, fractus laboribus, ac febre tentatus fèlicem animam Deo reddidit pridiè Kal. Octobris anno ſalutis 1227. Cadauer in Galliam elatum apud Claramuallem füeneratur propè S. Bernardum, & ſepulchrum his verſibus condecoratur

Viue,

Viue, vide, fidè ne fide fidatur in æuo
Quo vir eas, caro vireas, quo pingere neuo
Spica ſenum culmus iuuenum, ſed & indolis herba
Impariter, ſed par pariter ſunt meſſis & herba.
Conradum tot in alta gradum firmaſſe recluſum
Cerne ſolo feriente colo iam pendere fuſum;
Iam neque net aratra tenet, cum præmia cernat
Palma Ducum Villare nucum deſcendit in hortum,
Mox Matris pater, imo patris pater Ordinis eſſe
Promeruit, demum meruit ſibi Papa coiſſe,
Papæ conradians Conradus, ei quaſi ſoli
Luna rotunda fuit tibi teſtis Roma fidelis
Hiſpida cum ratis Conradus corpore barbam
Ordinis Imperij collum, Romæque coronam.
In clauſtro Daniel, Noe portus Pontificatus,
Imperioque Ioſeph, modo Beniamin in Paradiſo
Anno milleſimo ducenteſimo trinoueno
Luce tua cælis manans ſepelis Michaelis.

Idem Sepulchrum ſequenti Epigraphe eſt prænotatum

Hic iacet
DOMINVS CONRADVS,
Qui primò Villarienſis,
Deindè Clareuallenſis,
Poſteà Ciſtercienſis extitit Abbas,
Et demum Portuenſis Epiſcopus Cardinalis:
Hic
Cum in traſmarinis partibus
Moraretur inſtantiſſimè præcepit
Vt
Claramauallem vbi iamdudum ſuam
Elegerat ſepulturam
Oſſa ſua deferrentur,
Et ibidem ſepelirentur.

Obijt

Obijt autem anno Domini
MCCXXXVII.
Pridiè Calend. Octob.

De hoc agunt Sammarthani Tomo 2. Galliæ Chriſtianæ in ſerie Epiſcoporum Magalonenſium & Tomo 3. de Abbatibus Ciſtercienſibus; Ferd. Vghellius in Italia ſacra de Epiſcopis Portuenſibus, Chryſoſtomus Henriquez in faſciculo Sanctorum Ciſtercienſium, Cæſarius Hieſterbacenſis libro Apum, Bzouius in Annal. Eccl. Caniſius in atiq; lect. Angelus Manriquez in Laurea Euang. Moncaluus in Chronico, Arnoldus Vuion in ligno vitæ, Rigordus in Philippo Auguſto, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Conradus de Suburra Romanus, Benedicti Patritij filius, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, deindè Pontifex Maximus ob virtutes animi, corporis egregias dotes, ſanctitatem, prudentiam, ac morum grauitatem creatus, rem publicam Chriſtianam adminiſtrauit per menſes quatuor, dieſque 24. ſupra annum ſub nomine Anaſtaſij IV. quo tempore Epiſtolas plures ſcripſit, quas penes ſ. M. SS. aſſeruari narrauit Andreas Ducheſnius. vnam legi apud Binium, & ſeptem apud Ferdinandum Vghelium in Italia ſacra. Romæ mortuus eſt in Patriarchio Lateranenſi 3. Nonas Decembris, anno Dominicæ natiuitatis 1154. ibidem porphyretico in ſepulchro corpus conditum.

Eſt Anaſtaſij mentio apud Othonem Friſigenſem in Vita Friderici, Genebrardum, Angelum Manriquez, Auctores Galliæ Chriſtianæ, S. Antoninum, Ciaconium & reliquos qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Conſtantinus Ioannis filius natione Syrus vir doctiſſimus, ac lingua latina, græcaque eruditus ex S. R. E. Cardinali renuntiatus Pontifex Maximus, retento antiquo nomine Epiſtolam ſcripſit Edaldo Archiepiſcopo Viennenſi, quæ eſt in Bibliotheca Floriacenſi, & in antiquitatibus Viennenſibus Ioannis Lieurei. Romæ ſupremum diem obijt 3. Idus Februarij anno ſalutis 716. cum præfuiſſet Eccleſiæ annis ſex, ſeu ex alijs ſeptem, vel octo. Huius acta referunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Sigebertus, Genebrardus in Chronico, Baronius in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Hieronymus Rubeus in hiſt. Rauennæ, Platina, Iacobus Seuertius, Stella, & reliqui omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Conſtantinus Marinus Palumbi Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, patria Galleſinus, Diaconus Cardinalis primò, tum Romanus Pontifex ſedit in Petri Cathedra annum vnum, & menſem vnum, quo breui tempore Epiſtolas plures exarauit in Eccleſiæ bonum, quas referunt Collectores. vita functus eſt 15. Kal. Februarij anno 884.

De hoc Baronius in Annal. Romæ ſubterraneæ Auctor, Hiſtoriæ Briani, Doglioni, Fauſtus Verdellius de ſucceſſ. Eccl. Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Annales Fuldenſes, Stephanus Papa in literis ad Baſilium Imperatorem, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij cum reliquis omnibus.

Conſtantinus Buccafocus Picenus à patrio ſolo, Sarnanus cognominatus ex Ordine Minorum Conuentualium Presb. Card. S. Vitalis à Sixto V. renuntiatus, ſcripſit Summam Theologicam.

De ſecundis intentionibus iuxta doctrinam Scoti

Additiones quaſdam ad Commentaria Io: Antonij Delphini in Euangelium Ioannis.

Commentaria in Epiſtolas Pauli ad Hæbreos.

In vniuerſalia Scoti

Adnotamenta, ſeu illuſtrationes marginales ſuper formalitates Antonij Sirecti.

De Syllogiſmis conficiendis Tractatum

Directorium Theologicum

Locorum communium Theologiæ librum vnum

S. Thomæ Aquinatis & Scoti controuerſas opiniones ad concordiam reuocatas.

Commentaria in Prologomena Porphyrij

Aureolum cum Capreolo conciliatum

Amplificationem lecturæ

Fr. Ioannis Magronis opera notis illuſtrata & mendis vendicata.

Tatareti & Antonij Andreæ Commentaria in 4. libros Sentent. additionibus illuſtrata.

S. Bonauenturæ opera collecta, aucta, & emendata.

Romæ in Cœnobio SS. Apoſtolorum vbi habitabat repentino pituitæ & ſanguinis defluxu ſuffocatus animam emiſit pridiè Kal. Ianuarij, anno ſalutis 1595. ætatis 64. Cadauer in Eccleſia S. Petri Montis aurei, quam in Titulum acceperat depoſitum in temporario ſepulchro, indè in Caſtrum Sarnanum, quod eſt in

Piceno

Piceno ad Eccleſiam S. Franciſci Conuentualium ab ipſo inſtauratam tranſlatum fuit.

Meminere Conſtantij Cardinalis Sarnani Ciaconij Auctarij, Petramellarius, Antonius Sanderus in Elogijs, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Lucas Vadingus de Scrip. Minorum, Marraccius in purpura Mariana; Vghellius in Italia ſacra, Nomenclator Cardinalium, Gaſpar Iongelinus de Cardinal. Ord. Minorum, & alij plures.

Cornelius natione Italus patria Romanus ex Presbytero S. R. E. Summus Pontifex ſedit annos duos, menſes quatuor, dies octo, pluresque ad Cyprianum familiarem ſuum, atque ad alios de rebus fidei ſcripſit Epiſtolas; quarum extant ſolum teſte Bellarmino illa ad Fabium, ſeu Flauianum Antiochenum Epiſcopum, ſed non integra apud Euſebium, & alia breuis ad Lupicinum Tomo 1. Bibl. Patrum, & duæ inter Epiſtolas Cypriani. Martyrium pro Chriſti fide iniuit anno ſalutis 256. 18. Kal. Octobris.

Eſt Cornelij mentio apud Martyrologium Romanum, Baronium in notis & in Annalibus, apud Bedam, Vſuardum, Adonem, Euſebium, Nicephorum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Coſmas, ſeu Coſmatus Melioratus patria Sulmonenſis, Epiſcopus Bononienſis primùm, mox Archiepiſcopus Rauennas Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Theſaurarius à Bonifacio IX. Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis ordinatus, epiſtolas plures ſcripſit ad diuerſos. Poſt Bonifacij obitum in eius locum ſuffectus dictus eſt Innocentius VII. quam dignitatem per annos duos, dieſque 21. ſuſtinuit, & ex officio Conſtitutiones edidit. migrauit è vita 6. Nouembris die anno 1406. ſepultus in Vaticana Baſilica cum ſequenti Epigraphe.

INNOCENTIVS VII.
Pont. Max.
Cum neglecti eius ſepulchri memoria
Pœnè interijſſet
Nicolaus V. Pont. Max.
Reſtitui curauit.

Celebrant Innocentium Carolus Sigonius, & Ferdinandus Vghellius de Epiſcopis Bononienſibus, Marraccius in Pont. Marianis, Rubeus in hiſtoria Rauennæ, Spondanus
in Annalibus Eccleſiaſticis Andreas
Ducheſnius, Ciaconius
cum
Auctarijs, Panuinius & alij
in Vita.

D

DAmaſus Antonij filius natione Hiſpanus ex Presbytero Cardinali creatus Summus Pontifex præfuit Eccleſiæ annis XVII. Menſibus tribus, minus diebus quatuor, illamque non modo incorruptis moribus, ſed etiam calamo illuſtrauit.

Scripſit enim Epiſtolas varias, quarum ſeptem cum Notis Binij leguntur Tomo 1. Conciliorum

Elogia inſuper aliquorum Sanctorum quæ extant Tomo 8. Bibliothecæ Patrum.

De fide contra hæreticos librum vnum

De Virginitate libros tam vincta quam ſoluta oratione.

De Trinitate libellum, qui extabat M. S. Græcè Conſtantinopoli ex Antonio Verdero & Poſſeuino.

Miſſa de S. Nicolao Epiſcopo metricè, quæ annuatim cantatur in Eccleſia S. Nicolai in Carcere de Vrbe, vt refert Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis.

Circumferuntur eiuſdem Carmina in Pſalterium.

Romanorum Pontificum Vitas ad ſuam ætatem eleganti copioſoque volumine complexus eſt, vnde eæ quæ Damaſi nomine circumferuntur indignæ videntur tanti viri eruditione. Illas quas continuauit Anaſtaſius Bibliothecarius, non ſunt noſtri, ſed Damaſi Epiſcopi Portuenſis.

Opera huius Auctoris quæ extant, cum eius vita ex Codicibus M. SS. prodierunt Romæ anno 1638. Typis Vaticanis cum notis Martij Mileſij Sarazani I. C. Romani.

Obijt Damaſus Romæ Anno Domini 384. 3. Idus Decembris, ſepultus in Vaticano ſub ſequenti Epigraphe quam ſibi viuens conſcripſerat,

Qui gradiens pelagi fluctus compreſſit amaros
Viuere qui præſtat morientia ſemina terræ
Soluere qui potuit Lazaro ſua vincula mortis
Poſt tenebras fratrem poſt tertia lumina Solis
Ad ſuperos iterum Mariæ donare ſorori
Poſt cineres Damaſum faciet, quia ſurgere credo.

Meminere Damaſi Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Beda, Vſuardus, Ado, Optatus Mileuitanus, Ruffinus in hiſt. Auguſtinus epiſt. 165. Sozomenus, Nicephoris, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes qui Vitas Romanorum Pontificum, & Sanctorum deſcripſerunt.

Dauferius, alijs Deſiderius patria Beneuentanus, Abbas Caſinenſis, Presb. Cardinalis S. Cæciliæ, tum Romanus Pontifex, ſub Victoris III. nomine Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per menſes quatuor, & nonnullos dies ſupra annum. Tantus hic vir Gregorium Magnum æmulatus, tres, alijs quatuor Dialogorum libros compoſuit de probatiſſimis ſui Cœnobij viris, qui libri ex Baronio extant M. SS. in Bibliotheca Vaticana ſub hoc Titulo de Miraculis à S. Benedicto, alijſque Monachis in Monaſterio Caſinenſi ope diuina factis. Edidit etiam Cantus quoſdam de S. Mauro Abbate, & Epiſtolas ad diuerſos.

Migrauit ad Dominum in Cœnobio Caſinenſi 16. kal. Octobris anno ſalutis 1087. corpus ibidem iacet ſub hoc Elogio.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſque doceri
Si quis fortè velit aurea ſcripta docent.
Stirps mihi Magnatum, Beneuentus patria, nomen
Eſt Deſiderius, atque Caſine decus.
Intactam Sponſam, matrem, patriamque, propinquos
Spernens huc propero, Monachus efficior.
Abbas deinc factus ſtudui pro tempore totum
Vt nunc aſpicitur hunc renouare locum.
Interea fueram Romana clarus in Vrbe
Presbyter Eccleſiæ Petre beate tuæ
Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore
Victor Apoſtolicum ſecundo dehinc ſolium.
Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis
Bis ſex luſtra gerens mortuus hic tumulor.
Solis Virgineo ſtabat lux vltima ſigno
Cum me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

Vitam & res geſtas Victoris III. deſcripſerunt Leo Oſtienſis in hiſt. Caſinate, Otho Friſigenſis, Petrus Diaconus de Viris Sanctis & Scriptoribus Caſinenſibus, Ioannettus, Arnoldus Vuion in ligno Vitæ, Genebrardus in Chronico, Baronius in Annal. Sigonius de Regno Italiæ, Ciaconius cum ſuis Auctarijs

rijs & reliqui omnes qui Pontificum Romanorum facta explicarunt, alias laudati.

Decius Azzolinus iunior, Senioris Cardinalis Sixti V. pronepos natus Firmij in Piceno anno voluentis ſeculi tertio ſupra vigeſimum, Menſis Aprilis die 11. doctrina, eruditione, ingenijq; amenitate, ac in rebus agendis prudentia clarus ab Innocentio X. cui fidum ſemper exhibuerat in rebus gerendis miniſterium ad ſacram Vaticani purpuram aſſumptus, inter Diaconos ſedit, Clementi IX. adfuit à ſecretis. Hoc præſenti anno 1675. vitā degit in Vrbe omnibus gratiſſimus. Huiuſce Cardinalis vidi euulgatus literas plures ad diuerſos, nec non monita quædam pro Comitijs Pontificijs quibus ſi niterentur Patres, citò ſe expedirent ab electionibus futuris.

Eſt Decij mentio apud Auctarios Ciaconij, & alios plures.

Decius Carafa Neapolitanus ſub Paulo V. Romano Pontifice Presbyter Cardinalis S. Laurentij in pane & perna, tum SS. Io: & Pauli, Archiepiſcopus Neapolitanus congeſſit Catalogum Sanctorum Neapolitanorum, illorumque qui Neapoli iacent & in diœceſana Synodo publicauit. E viuis ceſſit Neapoli die 23. ſeu 24. Menſis Maij anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi à Chriſti incunabulis ſexto ſupra vigeſimum, ibidem ſepultus in Cathedrali in monumento communi ſibi & Mario Patruo à ſe erecto cum ſequenti Epigraphe.

D. O. M.

MARIO CARAFFÆ

Neapolitanæ

Eccleſiæ ſplendori

Decius S.R.E.

Cardinalis Caraffa

Vt

Duos Archiepiſcopos dignitate,

Affines familia, vnanimes amore

Vnus lapis

Ad reſurrectionis gloriam

Expectan-

Expectandam contumularet
Gratitudinis de functo
Mortis
Sibi memoriæ
Monumentum viuens condidit
Anno MDCXVI.

Eſt Decij mentio apud Ferd. Vghellium in Italia ſacra, Bartholomæum Cioccarellum de Archiep. Neapol. Cæſarem Engenium in Neapoli ſacra, Ioſephum Silos in hiſt. Cleric. Regul. Hippolytum Marraccium in purpura Mariana, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Deuſdedit, alijs Deodatus, ſeu Theodatus Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli, & Romanus Pontifex Epiſtolam ſcripſit Gordiano Epiſcopo, cuius fragmentum inuenies in Tomo 1. Conciliorum. cum verò ſediſſet annos tres, dies vndeuiginti in Petri Cathedra exceſſit è vita Romæ 6. Idus Nouembris anno reparatæ ſalutis 616.

De hoc tractant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, Platina, Panuinius, & reliqui omnes aliàs laudati Scriptores de Romanis Pontificibus.

Deuſdedit Presbyter Cardinalis in Titulo Eudoxiæ Opuſculum confecit cum Titulo, Non licere laicis in Sacerdotiorum collationibus quæ Cleri & Monachorum iura ſunt auctoritatem ſuam interponere, quod quadrifariè partitum ipſe met in exordio docet. Primus enim liber continet priuilegium auctoritatis Eccleſiæ Romanæ, & quoniam Eccleſia ſine Clero eſſe non poteſt, neque Clerus abſque rebus quibus temporaliter ſubſiſtat. huic ſecundum ſubiunxit de Clero, & tertium de rebus eiuſdem Eccleſiæ, quia vero ſeculi poteſtas Dei Eccleſiam ſibi ſubiugare nititur, libertas ipſius & Cleri, ac rerum eius tertio, quarto libro euidenter oſtenditur.

Edidit etiã Eccleſiaſticorum Canonum per capita Compendiũ

Et libellum contra inuaſores rerum Eccleſiaſticarum, Simoniacos, atque Schiſmaticos

Vixit ſub Gregorio VII. Romano Pontifice ſeculo vndecimo à Chriſti natiuitate.

De

De hoc Cardinali agunt Auctarij Ciaconij, Pandulphus Piſanus in Vita Gelaſij II. & alij.

Didacus de Guzman Abulenſis origine, Ocaniæ tamen in Olcadibus Petro de Guzman, & Mencia de Beneuides parentibus nobiliſſimis ortus, Toletanæ Eccleſiæ Canonicus, atque in ſupremo tuendæ fidei Conſilio Senator, Philippi III. ac IV. Regum Hiſpaniarum Protomyſtes, atque Eleemoſinarius, vt vocant, maior, Indiarum Patriarcha, Tyriuſque Antiſtes, Regiam Sereniſſimarum Infantum Annæ Mariæ, Margaritæ que iuuentutem formauit præceptor, atque Cruciatæ Magiſtratus, qui de rebus ad Indulgentiam Cruciatæ Bullæ pertinentibus, pro conficiendo ſacro bello impetratæ olim à Pontificibus, Iudicat, Summus Præfectus fuit. Archiepiſcopus deinde Hiſpalenſis anno voluentis ſeculi vigeſimo ſexto renunciatus, quadriennio exacto ab Vrbano VIII. Cardinalium S. R. E. Collegio adſcribitur die 19. Nouembris anni 1629. ſed non euulgatur niſi 15. Iulij anno 1630.

Dum autem Mariam Philippi IV. Regis Sororem ad Ferdinãdum Romanorum,& Vngarorum Regẽ per Italiæ fines duceret, Anconæ in Piceno obijt die 21. Ianuarij anno 1631.

Scripſerat hiſpanica lingua Vitam & mortem Margaritæ Auſtriacæ Hiſpaniarum Reginæ, edideratque in 4. Matriti 1617. quæ quidem, & Belgicè prodijt à Gerardo Zoes Amersfortenſi Soc. Ieſu Sacerdote conuerſa.

Oſſa Ancona tranſlata in Hiſpaniam iacent ſub Epigraphe.

Vertitur in terram lapſus ſub viſcere terræ
Viſcere qui terræ natus ad alta fuit.
Aſcendit, cecíditque ſimul, curſuque ſub vno
Viuens, & moriens hic cedit, atque volat.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Theodorus Amydenus in Vita, Biſaccionus in memorijs hiſtoricis, Nicolaus Antonius in Biblioth. Hiſpanica.

Dionyſius qui ex Monacho Græco S. R. E. Presbyter, atque ex Presbytero Summus Pontifex euulgatus, cum ſediſſet annos XI. Menſes tres, dies 14. ſub eodem nomine Romæ, glorioſus Confeſſor occubuit 7. Kal. Ianuarij anno à partu Virginis 272. contra Sabellianos Commentarium edidit, aliudque elucubrauit contra Arianos, Epiſtolas quoque duas ſcripſit, vnam ad

Vrbanum Præfectum, alteram ad Seuerum Cordubenſem Epiſcopum, nec non librum de Situ orbis.

Huius meminere Martyrologium Romanum, Baronius in Notis & in Annalibus, Vſuardus, Beda, Euſebius in Chronico & in hiſt. Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Hyeronymus de Scrip. Eccl. Nicephorus Epiſc. in Chronico, Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Lud. Iacobus à Sancto Carolo, & alij plures.

Dionyſius Simeon de Marquemont natione Gallus, patria Pariſienſis, ex Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditore Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Orator Regius ad Paulum V. miſſus, ab Vrbano VIII. inter Presbyteros Cardinales in Titulo Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio connumeratus, octo tantum menſibus purpura vſus eſt, nam Romæ die 16. Septembris anno 26. voluentis ſeculi decimi ſeptimi ab Orbe redempto, ætatis 54. ſupremum diem expleuit; Cuius corpus iacet in Eccleſia ſui Tituli in qua hoc legitur Epitaphium.

D. O. M.

Et
Immortali memoriæ
DIONYSII SIMONIS
S. R. E.
Tit. huius Eccleſ.
Cardinalis de Marquemont
Quem
Roma Iudicem Rotæ integerr.
Lugdunum Paſtorem incomparab.
Rex
Chriſtianiſſimus virum in arduis ſolertiſſ.
Gallia pietatis exemplar eximium,
Eccleſia decus & ornamentum
Boni omnes tutelaris,

Præſi-

Præſidium Sibi, totique mundo
Ereptum lugent
Lugeas & tu qui legis,
Et
Tantum virum imitari ſi valeas;
Si nequeas admirare.
Vixit
An. LIII. Menſes XI. dies 16.
Obijt 16. Kal. Octob.
Anno MDCXXVI.

Reliquit Poſteris Deciſiones plures ab anno 1605. vſque ad 1611. quas Auditor Rotæ Romanæ elucubrauit.

Extat M. S. eiuſdem Oratio, quam coram Rege Galliarum in Comitijs Cleri habuit.

De hoc Cardinali ſcribunt Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Andreas Quercetanus in Epiſt. nuncupatoria Hiſtoriæ Pontificiæ, Theodorus Amydenius in Vita M.S. Ciaconij Auctarij, & alij plures.

Dominicus Capranica nobilis Romanus, ingenio perſpicaci, lingua acuta & prompta, iudicioque incorrupto ornatus, Patauij, ac Bononiæ Iulianum Cæſarinum & Ioannem Imolenſem Profeſſores legum illa ætate celebres audiuit. à Martino III. annis V. Cameræ Apoſtolicæ Clericis primò, tum Diaconis Cardinalibus adſcriptus, ab Eugenio ſucceſſore inter Presbyteros, cum Titulo S. Crucis cooptatus eſt. ſub Nicolao V. legatione ad Alphonſum Regem Aragoniæ functus, Summi Pœnitentiarij & Archipresbyteri Baſilicæ Lateranen. munera cũ plauſu exercuit. Studia tamen literarum in his occupationibus numquam intermiſit. operam Theologiæ, ac Philoſophiæ mortali impertitus eſt, cumque plus mille & quingenta librorum volumina apud ſe haberet ad ius tum Pontificium, tum Ciuile ſpectantia, nihil in ijs erat quod ipſe non viderit diligentiſſimè & notas in illos lucubrauerit; idem in omnibus Auguſtini, & Hieronymi libris fecit. Hiſtorias, Poetas, ac Philoſophos omnes familiariſſimos habuit.

Scripſit præterea introductorium de Pontificatu regendo, &

De arte piè in Christo moriendi materno idiomate. Neapoli, & Romæ anno 1596 opus editum.

Orationem ad Alphonſum Aragoniæ, & Neapolis Regem, quam habes euulgatam apud Lucium Morinæum Siculum de rebus Hiſpaniæ.

Epiſtolas ad Philelphum.

Eſt apud me eiuſdem Epiſtola ad Leonardum Epiſcopum Mitileni, qui libellum de vera nobilitate à ſe conſcriptũ illi miſerat.

Apud Monachos Ciſtercienſes Florentiæ eſt M. S. eiuſdem Tractatus de contemptu Mundi.

Edidit etiam Italica lingua Opus ſub Titulo Bataglia ſpirituale & arte per ſeruire à Dio, con la corona, e litanie della Vergine, quod hiſpanicum factum euulgauit anno 1601. in 8. Matriti Antonius de Herrera tordeſillas, Cuellarenſis.

Literas plures ad Ioannem è Capiſtrano Ordinis Minorum ſanctitate clarum dedit, quas inuenies apud Lucam Vadingum in Annalibus Minorum.

Exceſſit è vita Romæ 19. kal. Septembris anno noſtræ ſalutis ſupra milleſimum quadrageſimum, quinquageſimo octauo, ætatis 58. Iacet in ſepulchro quod ipſe ſibi viuens extruxerat in Sacello S. Catharinę Senenſis cum ſequenti Elogio ab Angelo fratre item Cardinali exarato:

Sedente Paulo II.
DOMINICO CAPRANICENSI
TT. S. Crucis in Hieruſalem
Presb. Cardinali,
Antiſtiti Firmano,
Maiori Pœnitentiario XII. Apoſtolicis
Legationibus claro
Pacis Italicæ in Annos XXV.
Conſtitutori
Doctrina, religione;
Et
Sanctis ſemper operibus admirabili

Angelus

Angelus eiuſdem Tit. Cardinalis
Vnanimi Fratri
Ac
Sibi commune monumentum
Hoc fecit
Vixit idem Dominicus
An. LVIII.

De hoc Cardinali tractant Io: Baptiſta Poggius, Veſpaſianus Florentinus, Hieronymus Garimbertus, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Antonius Sanderus in Elogijs, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſacra, S. Antoninus, Pompeus Vizanus in hiſtoria Bononienſi, Ludouicus Iacobillus in Fulginatenſi, Horatius Auicenna in Cingulana, Ioſeph Gratianus de laudibus militaribus Card. Capranicenſis, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Floravantes Martinellus in hiſt. Diaconiæ S. Mariæ in via lata, Bartholómæus Fatius in ſua hiſtoria, Cæſar Card. Raſponus de Baſilica Lateranenſi, Ammiratus in hiſt. Florentina & alij plures.

Dominicus Cecchinus nobilis Romanus, Domitij & Fauſtæ Capiſucchiæ, Io: Antonij Cardinalis Capiſucchij neptis filius, ex Romanæ Rotæ Iudice ab Innocentio X. inter Presbyteros Cardinales ſub titulo S. Sixti cooptatus, ſcripſit ſuæ vitæ hiſtoriam, & Deciſiones plures euulgauit, quæ in omnium manibus ſunt.

Superſtes Innocentio parum vixit, nam Calendis Maij anno ſalutis 1656. ætatis 68. è vita in Vrbe migrauit; ſepultus ad Sanctam Mariam Tranſtyberim, quam Eccleſiam dum vixit, ornauerat, apud Maiores ſuos, Qui Gaſpar Aluerus nepos in ſua Roma hoc poſuit Epitaphium.

DOMINICVS CECCHINVS
Romanus
Ex Domitio Cecchino
Et
Fauſta Capiſuccha

Ortus anno 1589 Nonis Februarij.
Infans
Natalium ſplendore, ac generoſa indole
Cunctis clarus ac charus;
Puer
Optimorum morum,
Et eximiæ expectationis
Illuſtre ſpecimen prebuit.
Adoleſcens
Non luſus, non auri ſacræ famis
Sed
Virtutis amore incenſus Doctorarus lauream,
Et
Præſulatum adeptus eſt;
Hunc ſub Paulo V.
Illam ſub Clemente VIII.
Cuius etiam fuit affinis.
Iuuenis
Honoris ſtudioſiſſimus
Honeſtis actionibus incumbens
Maximis quibuſqumque negotijs
Se parem præſtitit,
Hinc
Sub Gregorio XV.
Progubernator Firmanus;
Prolegatus Auenionenſis;
Conſiſtorialis Aulæ,
Populique Romani Aduocatus;
Canonicus S. Petri.

Aſc-

A ſecretis Contracedularum.
Vir
Acuens animum admemoratu digna gerenda,
Laboris amicus tolerantiſſimus fuit.
Hinc.
Sub Vrbano VIII. Iudex Montis Pietatis,
Præſul Congregationis immunitatis,
Militiæ,
Artificum Vrbis Præfectus
Conſultor S. Officij, Auditor Rotæ.
Senex.
Solidæ laudis tuendæ cupidiſſimus,
Prudentiam, grauitatem,
Pietatem in cunctis prætulit.
Hinc.
Ab Innocentio X.
In ipſo ſuæ exaltationis die Datarius
Deſignatus,
Et menſe Martij Presbyter Cardinalis
Renunciatus,
Poſteà varijs in rebus tum publicis,
Tum priuatis adhibitus
Semper fidelis, ſemper magnanimus,
Et
In utraque fortuna ſemper idem fuit.
Tandem ab Alexandro VII.
Pluribus gratijs donatus
Tantis poſt laboribus hic requieuit in Domino
Kal. Maij MDCLVI.

Meminere

Meminere cum laude Dominici Cardinalis Cecchini Auctarij Ciaconij, Vincentius Armanus in literis, & Annibal Adamus in ſua Pallade purpurata.

Dominicus Ginnaſius natione Italus, è Caſtro Bononienſi, & Archiepiſcopo Sipontino, Nuncioque Hiſpanico Presbyter Cardinalis à Clemente VIII. renuntiatus præfuit Eccleſijs S.Pancratij, SS. XII. Apoſtolorum, S. Laurentij in Lucina, Epiſcopus, Præneſtinæ, Portuenſi, ac Oſtienſi; Scripſit in Pſalmos Dauidis interpretationes, & Annotationes in Pentateuchum. primæ bino volumine Romæ euulgatæ; aliæ M. SS. apud Heredes ſunt. E vita exceſſit Romæ Sacri Collegij Decanus die 12. Martij anno ſeculi ſeptimi, nono ſupra trigeſimum, ætatis 89. iacet in Paroecia S. Luciæ à ſe à fundamentis reſtituta, cum ſepulchrali inſcriptione,

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos
In mente habui.

D. O. M.

DOMINICO GINNASIO
De
Caſtro Bononienſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. Decano
Pietate, Iuſtitia, prudentia
Liberalitate ſpectabili,
Qui
Cum Sixti V. Pont. Max.
Auſpicijs Campaniam, & Picenum
A
Latrocinijs purgaſſet
Archiepiſcopus Sipontinus electus eſt
Deindè à Clemente VIII.

Oblato

Oblato Theſaurarij Pontificij
Munere recuſato
Florentiam primò,
Tum in Hiſpaniam extra ordinem,
Mox
Ordinarius Nuntius allegatus,
Tandemque Cardinalis
Creatus
Solis virtutibus Purpuram debuit:
Quam
Vt pretioſiorem Cœlo redderet,
Omne Pauperum genus
Subleuauit in Terris,
Diuinum cultum,
Ædificatis Oſtiæ, Velitris,
In Gargano monte
In Caſtro Bononienſi,
Ac
In Vrbe Sacellis:
Templiſque amplificauit.
Publicam vtilitatem fouit, Cœnobia,
Xenodochia
Collegia iuuentutis fundando
Dauidicos Pſalmos pijs Lucubrationibus
Illuſtrauit,
Ad vltimum plenum dierum
Ac
Meritorum poſt Domum
In Cœnobium Deo dedicatam,

Ad

Ad
Cœleſtem Domum demigrauit.
Caterina Ginnaſia
Patruo benemerentiſſimo mœrens
Poſuit.
Senis quotidianis pro eius anima ſacrificijs
In hoc Templo inſtitutis
Vixit
Annos LXXXIX.
Obijt quarto Idus Maij
MDCXXXIX.

Laudant Dominicum hunc Auctarij Ciaconij, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Carolus Franciſcus de Luca è Soc. Ieſu in Oratione funebri, Hippolytus Marraccius in Bibl. Mariana, Bonauentura Theuli in Theatro Veliterno, Hieronymus Ghelinus, Ianus Nicius Erythræus, Tommaſus in literis & alij plures.

Dominicus Grimanus, Antonij Venetiarum Principis filius, ex Protonotario Apoſtolico, vix trigeſimum ætatis annum agens, Diaconis primò, mox Presbyteris Cardinalibus ab Alexādro VI Pont. Max. adſcriptus, præfuit Diaconus Eccleſiæ S. Nicolai inter imagines, & Presbyter Tituli S. Marci, & S. Nicolai; Patriarchatum Aquileienſem rexit, vti etiam Eccleſias Albanenſem, Portuenſem, Vrbinatem, & Cenetenſem. Romæ è vita migrauit die 27. Auguſti anno 23. ſeculi decimi ſexti à Chriſto nato. poſt obitum ſepultus in Æde SS. Ioanni & Paulo ſacra cum hoc Epitaphio.

DOMINICO GRIMANO
Epiſcopo Portuenſi
Cardinali Sancti Marci,
Patriarchæ Aquileienſi
Inculpatiſſimæ vitæ,
Omnium ſcientiarum peritiſſimo
Tempo-

Temporaneum depoſitum Nepotes
Pijentiſſimi poſuerunt.
Luctu totius Vrbis.
Vixit annos LXII. Menſ. vi.
Dies 8.
Obijt 27. Auguſti MDXXIII.

Quædam ingenij ſui monumenta reliquit. quorum volumen M. S. extabat olim in Bibliotheca Sirletti.

Scripſit etiam de intentione & remiſſione opuſculum.

Epiſtolas ad Sabellicum, Eraſmum, Antonium de Fontis Taruiſinum, & alios.

Tractatum S. Ioannis Chriſoſtomi de incomprehenſibili natura Dei in noſtram vernaculam linguam conuertit.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Panuininm, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Auberyum in Vita; Felicem Contelorium in Elencho; Toſſignanum; Petrum Rodulphum in hiſt. Seraphica, Sanſouinum in Veneta, Ammiratum in Florentina, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios.

Dominicus Iacobatius Romanus, Chriſtophori filius, Cæſarij, Pontificijque iuris ſcientia clarus, Conſiſtorialis Aulæ Aduocatus, tum Rotæ Romanæ Auditor; Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, Epiſcopus Lucerinus, Romani Gymnaſij Prætor, & Pontificis Vicarius in Vrbe fuit; Presbyteris Cardinalibus Leonis X. beneficio adſcriptus Titulum primò S. Laurentij in pane & perna, ſeu ex alijs S. Bartholomei in Inſula obtinuit; quo relicto illum S. Clementis, tum S. Appolinaris optionis ergo habuit: Præter Lucerinam adminiſtrauit Maſſanam & Groſſettanam in Etruria, Caſſanamque in Calabria. In Leonis X. abſentia Legatus Apoſtolicus Vrbem rexit. Romæ è vita migrauit die 2. Iulij anno 1527. ſeu ex alijs Menſe Ianuarij 1628. Corpus iacet in Eccleſia Sancti Euſtachij, vel aliquorum ſententia in illa S. Tryphonis.

Poſteris reliquit volumen de Concilio, in quo de loco Concilij tractat, & ad quem ſpectet congregare Concilium, quando ſit congregandum, quales eſſe debeant interfuturi Concilio; an Papa habeat auctoritatem à Concilijs generalibus, & an Concilium poſſit reſtringere auctoritatem Papæ; an Cardinales qui

 diſceſ-

diſceſſerunt à Papa poſſint congregare Concilium: an Papa poſſint accuſari de hæreſi; ex quibus cauſis, & quomodo Papa poſſit deponi; & de appellatione Papæ ad Concilium

Scripſit præterea de donatione Conſtantini Imperatoris, & De vtroque gladio in Eccleſia.

Meminere Iacobatij Cardinalis Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Henricus Lud. Rupipozæus in nomenclatore Cardinalium, Franciſcus Maria Torrigius de ſcrip. Card.

Dominicus Pinellus Genuenſis, Paridis Senatoris in Patria filius, Patauinæ Academiæ publicus Iuriſprudentiæ Doctor, in Aula Romana ex vtriuſque Signaturæ Referendario à Pio V. Auditoris Cameræ Vicarius renuntiatus, ſub Gregorio XIII. Aloyſij Cornelij S. R. E. Camerarij vices geſſit, tum Princeps & Epiſcopus Firmanus, ac Cameræ Clericus declaratus eſt. Sixtus V. Cardinalium Collegio anno primo Pontificatus illum adſcripſit, cum Titulo S. Laurentij in pane & perna, & legatum Flaminiæ, Baſilicæque, liberianæ Archipresbyterum nominauit. Sub Gregorio XIV. ex primo Titulo ad alium S. Chryſogoni translatus, legationis munere fungitur in Vmbria, & ſub Clemente VIII. ex Presbyterorum primo Epiſcopus Albanenſis, indè Tuſculanus, nec non ſub Paulo V. ſucceſſore Portuenſis & Oſtienſis, Sacrique Collegij Decanus nominatur. In ſenectute bona Orbi ereptus eſt anno ſalutis 1611. Cadauer ſolemni pompa ad liberianam Baſilicam delatum humili ſepulchro quod ſibi viuens ante confeſſionem poſuerat ſub hac breui inſcriptione repoſitum.

DOMINICVS
Card. Pinellus
Viuens nouiſſima cogitans
Sibi fieri mandauit
Anno Iubilei MCCCCCC.
Ætatis LX.
Obijt Anno Domini MDCXI.
v. Id. Auguſti.

Hic

Hic Decretalium opus à Gregorio XIII. incœptum, perfecit.

Tractatum etiam elucubrauit de auctoritae Papæ, qui M. S. legitur in Bibliotheca Vaticana.

Tum Relationes factas in Conſiſtorio ſecreto coram Paulo V. Pontifice ſuper vita & ſanctitate Franciſcæ Romanæ & Caroli Cardinalis Boromei, Tituli S. Praxedis Archiepiſcopi Mediolanenſis.

Scripſit entiam literas pro celebratione Officij, ac Miſſæ de communi vnius Virginis in feſto B. Mariæ de Caſtello apud Tiphernates, & alias de inuentiône corporis S. Placidi ac Sociorum Martyrum quas reſcripſit in primo Tomo Sanctorum Siculorum Octauius Caietanus.

Cardinalem hunc celebrant Guido Panzirolus de Claris Interpretibus, Vbertus Folietta in Elogijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Stephanus Buronus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, Michael Iuſtinianus in Syllabo Scriptorum Ligurum, & alij plures cum Paulo de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ liberianæ.

Dominicus de Ruuerre ex Dominis Vici noui, Ioannis & Annæ de Puteo filius, natione Italus, patria Taurinenſis, Chriſtophori Cardinalis germanus frater, Canonicus Lauſanenſis, & Eporediæ, Prior S. Andreæ, ex Arcis Romanæ Præfecto Canonicus Baſilicæ Vaticanæ & Papæ Cubicularius, doctrina, moribus, & pietate inſignis, Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Vitalis primùm, deindè S. Clementis, à Sixto IV. Romano Pontifice adſcriptus eſt, à quo Eccleſiarum SS. Antonij & Dalmatij Taurini, Cariniani & Ripolarum Præpoſituras, Abbatiamque S. Chriſtophori de Vercellis obtinuit; Rexit etiam Eccleſias Cathedrales Montis Faliſcorum, Taurinenſem, & Tarantaſienſem. Præfuit Archipresbyter Baſilicæ Vaticanæ. in D. Mariæ de Populo ad honorem Virginis Mariæ & S. Hieronymi Sacellum extruxit, congruaque dote dotauit, in quo ſibi & Chriſtophoro fratri ſepulchrum parauit. E mortalium ſocietate egreſſus eſt Romæ die 22. Aprilis anno orbis redempti MDLI. extat ad laudatum ſepulchrum hæc Epigraphe.

DOMINICVS DE RVVERE
Card. Tit. S. Clementis
Qui Ædem hanc à fundamentis perfecit

 Hic

Hic
Pro tempore, quieſcit:
Concordes animos, piaſque mentes
Vt
Dicas licet vnicam fuiſſe
Commiſti cineres ſequentur & ſe
Credi corporis vnius iuuabit.

Sunt typis euulgatæ huiuſce Cardinalis literæ ad Petrum Carum Ducis Sabaudiæ Senatorem doctrina clarum.

De Cardinali Ruuereo ſcripſere Panuinius, Auberyus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Laurentius Schraderus in Monumentis Italiæ, Felix Contelorius in Elencho, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, & alij.

Mag. Fr. Dominicus Serranus natione Gallus, patria Monſpeſulanus, Ordinis B. Mariæ Redemptionis Captiuorum Magiſter Generalis inter S. R. E. Cardinales, ex aliquibus, cooptatus à Clemente VI. librum ſcripſit de ſcientia, matura deliberatione danda, & Tractatum ſuper legem Corneliam de beneficijs. Peſtilentiæ morbo correptus perijt in patria die 9. Menſis Iulij anno octauo & quadrageſimo ſeculi decimi quarti ab orbe redempto.

Meminere huius Dominici Auctarij Ciaconij, Hippolytus Marraccius in Appendice Bibl. Marianæ & Auctores plures ſui Ordinis.

Dominicus Tuſchus è Caſtro Arano tenui pago, atque humili Regij lepidi Diœceſis, ex Epiſcopo Tiburtino, Vrbiſque Prætore Presbyter Cardinalis S. Petri in Monte Aureo à Clemente VIII. Romano Pontifice renuntiatus, ſcripſit inſtar Repertorij Practicarum Concluſionum iuris in omni foro frequentiorum Tomos octo pergrandes, quibus magnum apud Viros doctos in tota Europa nomen ſibi comparauit.

Annos natus ſex ſupra octoginta Romæ die 26. Martij anno 1620. è vita exceſſit, iacet in Titulo ſub hac Epigraphe.

MDCXX.

MDCXX.
DOMINICI
Cardinalis Tuſchi Oſſa:

Celebrant Cardinalem Tuſchum Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Hippolytus Marraccius, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Franciſcus Maria Torrigius de Script. Card. Guido Card. Bentiuolus in Memorijs hiſtoricis, Ioannes Nicius Erythræus in Pinacotheca, Iacobus Philippus Tomaſinus, ac Hieronymus Ghellinus in Theatris Virorum illuſtrium.

Donus, ſeu Domnus Mauritij filius, patria Romanus ex S.R.E. Cardinali, a Clero electus Pontifex Maximus, Petri nauim rexit per Menſes quinque, dieſque decem ſupra annum. Hic vt inter Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam concordiam firmaret hortatoriam ad Theodorum Patriarcham Conſtantinopolitanum miſit Epiſtolam, & 3. Idus Aprilis anni 678. ſupremis ritè ſuſceptis myſterijs in eiuſdem Eccleſiæ ſuæ Sponſæ complexu extremum edidit ſpiritum.

Eſt huius Pontificis mentio apud Anaſtaſium Bibliothecarius, Martinum Polonum Io: de Columna, Ptolomæum Lucenſem S. Antoninum, Panuinium, Franciſcum Petrarcam, Nicmum, Platinam, Simonettam, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios in Vita, apud Ludouicum Iacobum à S. Carolo in Bibl. Pontificia, & apud alios plures.

Drogo ſiue Draco Gallus Monachus S. Benedicti ex Priore S. Nicaſij Remenſis, primus Abbas S. Ioannis ab Innocentio II. Romano Pontifice renuntiatus Epiſcopus Oſtienſis, qui è vita migrauit anno partę ſalutis 1138. Trithemio teſte ſcripſit.

Librum de corpore Chriſti.

De Paſſione Chriſti opuſculum, quod habetur in Tomo ſecundo Bibl. Patrum.

De creatione primi hominis

De Donis S. Spiritus.

De Beatitudinibus

De horis Canonicis

Soliloquia.

Geſta

Geſta Drogonis percurrit Hermannus Monachus de miraculis S. Mariæ Laudunenſis, Auctor Appendicis ad Sigebertum, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Auctarij Ciaconij, & alij multi.



E

EDoardus Heruiſius, Vide Euerardus.

Eleutherius alij Abundius Eleutherius natione Græcus patria Nicopolitana ex Presbytero S. R. E. Pontifex renuntiatus ſedit annos tredecim, totidemque dies, & ad Eccleſias Galliæ Epiſtolam direxit inter Decretales recenſitam, & mortuus Romæ VII. Kal. Iunij anno a Chriſto nato 195.

Meminere Eleutherij Martyrologia Romanum ſub hac die, Bedæ pridiè huins diei, Baronius in Notis & in Annal. Irenæus, Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Euſebius in Chronico, Marianus Scotus in ſex ætatibus anno 177. S. Hieronymus, Io: Lepaige, Nigraualle in Bibl. Præmonſtratenſi, Damaſus, Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Platina, & reliqui omnes qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Eleutherius S. R. E. Cardinalis ſcripſit librum de Miſſæ ſacrificio, & miſterijs, qui extabat M. S. apud Guillelmum Sirletum. De hoc Cardinali nulla mentio in monumentis Vaticanis.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij.

Fr. Elias de Bordeilles, ſeu de Bourdeille Gallus Ordinis Minorum, Theologus & Eccleſiaſtes primi nominis ab Eugenio IV. Romano Pontifice annos natus ſolum viginti quatuor ad Petragoricenſem Epiſcopatum vocatus à Nicolao Albergato Cardinali S Crucis Legato Apoſtolico inauguratur. interfuit Epiſcopus Concilio tum Ferrariæ cum Florentiæ habito. Poſt Petragoricenſem, Archipræſul Turonenſem rexit Eccleſiam, cuius iura contra Regem ipſum, ac Regios Miniſtros forti pectore ſuſtinuit, quare à Sixto IV. abſens ſacra purpura ornatur, præponiturque Titulo S. Luciæ in Silice, numquam tamen romanam Curiam inuiſit, raróque Cardinalitijs vſus eſt inſignibus. Apud Caſtrum Artaniæ in Turonibus ad Cœlum abijt poſt octauum Cardinalatus menſem, die 5. menſis Iulij anno ſalutis 1484. iacet in Eccleſia principe Turonenſi miraculis clarus.

Scripſit pro Pragmaticæ Sanctionis abrogatione opuſculum. & de poteſtate Papæ librum vnum, quem extare M. S. in Bibl. Col-

Collegij Nauarrici Pariſienſis, editumque in lucem Toloſæ anno 1518. affirmat Henricus Spondanus.

De concordato circa beneficia Galliæ.

Decreta contra deierantes, quos pœnis varijs proſequutus eſt.

Theologiam in arctum collectam.

De illo Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Rodulphus Toſſiniacenſis in hiſt. Seraphica, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque plures cum Vadingo in Annalibus Minorum, & Arturo à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano.

Fr. Elias de Nabunal natione Gallus Ordinis Minorum ſub Clemente VI. Presbyter Cardinalis S. Vitalis ſcripſit

In quatuor libros Sententiarum.

In Apocalypſim Commentaria

Et de vita contemplatiua opus.

E vita exceſſit 4. Nonas Octobris anno ſalutis humanæ 1367. & Auenione ſepultura donatus apud Minores.

Agunt de noſtro Elia Annales Minorum, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita, Felix Contelorius in Elencho & alij plures.

Mag. Elias de Sancto Heredio natione Gallus ex Monacho S. Benedicti Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, mox Epiſcopus Oſtienſis, Veliternus ſub Innocentio VI. Romano Pontifice edidit ex aliquibus

De vita contemplatiua opuſculum

In quatuor ſententiarum libros Commentaria

Et Poſtillam in Apocalypſim, aliaque nonnulla.

Alij tamen harum lucubrationum, non hunc Eliam, ſed de Nabunal Auctorem, vt diximus ſuperius, faciunt.

Eſt huiuſce Eliæ mentio apud Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Felicem Contelorium in Elencho, apud Auctores Galliæ Chriſtianæ, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Odericum in Annalibus Eccleſiaſticis, Vrbani V. & Innocentij VI. Romanorum Pontificum Regiſtra, & apud Anonymum vitæ Innocentij VI. Auctorem.

Enecus de Mendoza & Zunnica Hiſpanus, Petri de Zunnica, & Catharinæ à Velaſco Comitum Mirandæ filius, Caurienſis, inde-

indèque Burgenſis Epiſcopus, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Diaconus à Clemente VII. renuntiatus anno exacti ſeculi trigeſimo, præfuit Diaconiæ S. Nicolai in Carcere.

Romæ obiit 9. Iulij anno 1538. ſeu 1539. iacet in Præmonſtratenſium Cœnobio la Vid. nuncu pato.

Scripſit multa ſermone hiſpano, Vitam videlicet Chriſti metro Caſtellano, Hiſpali editam anno 1611. in 8. aliudque opus prænotatum iuſta ratio contra ſenſum, metricum & ipſum. Ceſarauguſtæ in fol. 1509. Refugium animæ Ibidem 1492. & Siſtema ſub Titulo Deuotionis Opera; & Carmina aliqua vernacula lingua de B. Virgine. dubitant tamen aliqui, an hic fuerit Auctor Vitæ Chriſti, an alius Enecus eiuſdem agnominis, profeſſione Franciſcanus.

De hoc Cardinali tractant Ciaconius cum Auctarijs, Marinæus Siculus, Nicolaus Antonius Tomo 1. Bibliothecæ Hiſpanicæ, Felix Contelorius in Elencho.

Ennius Philonardus natione Italus ingenuo genere natus apud Hernicos in oppido Bauca dicto, Veruanæ Diœceſis, ab Alexandro VI. Verulanus Epiſcopus renuntiatus, à Iulio II. Bononiæ Prolegatus, ac Imolenſis Gubernator, Leone X. Hadriano VI. & Clemente VII. apud Heluetios Nuncius, à Paulo III. Preſbyteris Cardinalibus Titulo S. Anaſtaſiæ adſcriptus, præfuit progreſſu temporis Epiſcopus Albanenſi, & Ferretranæ Eccleſijs. extrema clauſit Romæ die 19. Decembris anno ſalutis 1549. iacet in natalitio ſolo ſub hac Epigraphe.

ENNIO PHILONARDO
Cardinali
Epiſcopo Albanenſi
Qui
Felicitate ingenij,
Magnum rerum adminiſtratione
Non ſolum eius humile
A Bauca Hernicorum genus illuſtrauit,
Sed
In Maximorum Pontificum

Innocentij VIII.
Alexandri V I.
Iulij II.
Leonis X. Hadriani VI.
Clementis VII.
Amicitia receptus, & ab ijs ad Principes,
Ad nationes, ad exercitus,
Et
Prouincias miſſus inuicto animo,
Et fide autoritatem
Sedis Apoſtolicæ ſumma
Cum Reipublicæ vtilitate
Vbique conſeruauit.
Quas ob res benè geſtas.
Vt
A continuis laboribus aliquando vacaret,
Prœmiumque meritorum reportaret
A Paulo III.
Ad cuſtodiam Arcis Hadrianæ,
Mox ad Cardinalatus honorem,
Senatus Populique Romani plauſu
Ac
Totius Italiæ vocatus fuit
Demum extincto Pontifice
Dum Patres eius vnius animi pietatem;
Vitæ ſanctitatem,
Innocentiamque reſpicerent,
Ipſe morbo grauatus

E ſacro

E ſacro Concilio in Arcem
Quam ſeruauerat ſecedens humana
Omnia conſilia interrumpens
Ad meliora Cæleſtia
Incredibili deſiderio apud omnes relicto
Euolauit die Decembris xix.
Anno Salutis MDXLIX.
Ætatis ſuæ
LXXXIII.
Antonius Epiſcopus Verulanus,
Et
Saturnus fratris filij
Teſtamento heredes Sepulchrum
Cum Sacello Ieſu,
Matrique Virgini,
Et Sebaſtiano Martyri dicato
Erigi curarunt.

Huiuſce extat relatio Victoriæ Catholicorum Heluetiorum contra Hæreticos, quam Pontifex in publico Conſiſtorio legit coram Cardinalibus.

Tractant de Ennio Panuinius, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Nomenclatoris Cardinalium Auctor, Bernardus Clauellus de antiqu. Arpini. Felix Contelorius in Elencho, Sfortia Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Matthæus Gibertus in literis, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Erardus de Leſignijs, ſeu Leſingijs Gallus Epiſcopus Altiſſiodorenſis & ſub Ioanne XX. dicto XXI. Romano Pontifice Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus orationem habuit coram S. Ludouico Rege Francorum, vt cogeret excommunicatos ante annum abſolutionem petere. Obijt Romæ die 18. Auguſti anno ſeculi decimi tertij ſeptuageſimo ſeptimo, cuius oſſa Altiſſiodorum relata iacent ſine vlla memoria in Baſilica S. Stephani, cum

Guidone de Melloto auunculo, Epiſcopo item Altiſidorenſi ſeu Autiſſidorenſi.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, apud Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Erardus, ſeu Eraldus, vel Heraldus de la March Germanus generis nobilitate clarus, quem eximia indoles, optima corporis conſtitutio, magnum & acre ingenium, literarum ſacrarum, humanarumque non vulgaris cognitio; iudicium, eloquentia, & ante omnia omnibus in rebus maxima animi moderatio cum affabilitate coniuncta maxime commendabant, ex Protonotario Apoſtolico communi Canonicorum electione renunciatus Epiſcopus Leodienſis, à Galliæ Rege ad Maximilianum Cæſarem miſſus Orator, ab eodem Carnotenſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepit. Caroli V. Cæſaris precibus à Leone X. ſacram purpuram accepit cum Titulo S. Chryſogoni, ac legatione Apoſtolica ad diſciplinam Cleri in diœceſi & Ciuitate Leodienſi reſtituendam peracta, è viuis ſublatus eſt Leodij die 16. Februarij anno poſt Chriſtum natum 1538. poſt obitum ſepultus apud S. Lamberti in marmoreo ſarcophago cum ſequenti Epitaphio.

HERARDVS A MARKA
Mortem habens præ oculis
Viuens poſuit.

Extant huius Cardinalis literæ plures ad Eraſmum Roterodamum.

De hoc Cardinali ſcripſere Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus, Ioannes Chenu de Epiſcopis Galliæ, Laurentius Surius in Commentarijs, Iacobus Gaulterius in Tabula Chronol. Gaſpar Buſchius de Epiſcopis Germaniæ, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs & alij.

Erneſtus Adalbertus ab Harrach Germanus ex Archiepiſcopo Pragenſi S. R. E Presbyter Cardinalis ab Vrbano huius nominis octauo renuntiatus, Eccleſiam Tridentinam etiam rexit, præfuitque primùm Titulo S. Praxedis, tum S. Laurentij in Lucina. Roma in Germaniam, ex Comitijs Clementis IX. reuerſus die 24. Octobris anno 1667. ætatis 72. Viennæ ad ſuperos euolauit.

uit. Iuuenis cum ſtudijs vacaret Romæ in Collegio Germanico opus vincta oratione prænotatum Simbuleuticon edidit. eiuſdem literas ad Abbatem Antuerpienſem datas pro obtinendis S. Nortberti reliquijs præ manibus aliquando habui, typis belgicis euulgatas.

Laudant Erneſtum Auctarij Ciaconij & alij plures.

Euariſtus Iudæ Iudæi filius ex S. R. E. Presbytero Romanus Pontifex euulgatus, Chriſtianæ pietatis ſtudioſiſſimus duas ſcripſit Epiſtolas, quarum prima eſt ad Affricanos Epiſcopos, altera ad Fratres Ægypti, ocubuitque capitis abſciſſione VII. Kal. Nouembris anno Dominicæ natiuitatis CXVIII. cum ſediſſet in Petri Cathedra Menſes duos, dieſque duoſdetriginta ſupra annos octo.

Celebrant Euariſtum Martyrologia Romanum, Bedæ, Vſuardi, & Adonis, Baronius in Notis & in Annal. Irenæus lib. 3. *Epiphanius* hæreſi 27. Euſebius in Chronico & in hiſtoria. Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Nicephorus in Chronico, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs & reliqui omnes qui de Romanis Pontificibus tractatunt.

Euerardus alijs Edoardus Herueſeus, alijs Heruiſius Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, natione Scotus Doctor Oxonienſis in diuinis Scripturis verſatiſſimus ex Epiſcopo Nazareno à Gregorio huius nominis decimo Rom. Pontifice renuntiatus eſt Diaconus Cardinalis S. Euſtachij vt, ex probatis Auctoribus refert Frāciſcus à Ieſu Maria Hiſpanus in Catalogo Scriptorum ſui Ordinis, qui vndè hanc notitiam aſſecutus ſit, non explicat. In monumentis Vaticanis nulla eſt huiuſce Cardinalis memoria, certum tamen eſt apud omnes Euerardum euulgaſſe librum vnum de laudibus Deiparæ Virginis.

In Magiſtrum Sententiarum libros plures.

In Epiſtolam Pauli ad Romanos libros duos.

Totidem de Prædeſtinatione.

In vniuerſam Ariſtotelis logicam libros quinque

Ac obijſſe anno ſalutis 1279. die 9. Menſis Maij, & ſepultus apud Religioſos ſui Ordinis in Cœnobio Aberdonenſi in Scotia.

Eſt Euerardi mentio apud Auctarios Ciaconij & apud Hippolytum Marraccium in Bibliotheca Mariana, præter Auctores ſui Ordinis, nempè Figueram in Chronico, & alios.

Eugenius patria Romanus Ruffino genitus S.R. E. Cardinalis primùm, mox Pontifex Maximus ſedit annos duos, Menſes nouem,

uem, dies quatuordecim, vir certè miræ pietatis, religionis, manſuetudinis ac munificentiæ ſingularis, qui Gratiano referente ſtatuit ſuis Conſtitutionibus, vt quilibet Epiſcopus Carceres haberet ad pœnitentiam delinquentium Clericorum, vt habemus in Decret. 81. diſt. c. Sacerdos, iuſſitque vt iuxta Eccleſias Sacerdotum domicilia conſtituerentur; mandauit quoque Monachis ne quauis ex cauſa ſine Superioris ſui licentia Clauſtro exirent; vetuit inſuper vt nullus inuitus Monachus in Monaſterio retineretur. Defunctus 4. Nonas Iunij anno ſeculi ſeptimi quinquageſimo ſeptimo, ſepultus apud S. Petrum.

Eſt Eugenij memoria in Martyrologio Romano, apud Baronium in Notis & in Annal. apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Martinum Polonum, Ioannem de Columna, Ptolomæum Lucenſem, Franciſcum Petrarcham, Niemum, Platinam, Panuinium, Ioannettum, Stellam, Simonettam, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Eugenius Romanus Boemundi filius Archypresbyter Cardinalis in Titulo S. Sabinæ, mox Pontifex Maximus ſub eodem nomine ſecundus, præfuit Reipublicæ Chriſtianæ annis tribus, Menſibus ſex, ac diebus 24. ſcripſitque Epiſtolam ad Bernardum Archiepiſcopum Viennenſem; quæ extat in Bibliotheca Floriacenſi. è vita migrauit in Vrbe 3. Idus Auguſti anno à partu Virginis 824. eruditione, facundia, & ſanctitate clarus, cuius acta deſcribunt Baronius in Annalibus Eccl. Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Genebrardus, Lud. Iacobus à S. Carlo in Bibl. Pont. Ioannes Lepaige, Io: de Nigraualle in Præmonſtratenſi, & alij omnes qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Euſebius natione Græcus profeſſione Medicus ex S. R. E. Presbytero omnium ſuffragijs euulgatus Pontifex Maximus, cum ſediſſet Menſes ſeptem, dieſque vnum & viginti ſupra annum, vel ex alijs duos, exceſſit è vita 6. Kal. Octobris anno Dominicæ natiuitatis 312. Huic Binius tres, alij duas tribuunt Epiſtolas, vnam ad Galliæ, alteram ad Ægypti Epiſcopos datas.

Euſebij meminit Martyrologium Romanum, Ado, Baronium in Notis & in Annalibus, Euſebius in Chronico, Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Nicephorus Epiſcopus in Chronico, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui.

Euthichianus è familia Martia, pàtria Lunenſis ex S. R. E. Presbytero Pontifex Maximus euulgatus, poſt octennium à ſua electione martyrij palma donatus Cœlum petijt die 8. Decem-

bris

bris anno ſalutis 283. ſcripſit hic duas Epiſtolas inter Decretales recenſitas.

Celebrant Eutichianum Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vſuardi & Adonis; præterea Baronius in notis & in Annal. Euſeb.us in hiſt. Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Nicephorus in Chronico, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Panuinius, ac reliqui omnes qui hiſtoriam Pontificiam, vel Sanctam elucubrarunt.

Fabianus

F

FAbianus Romanus S. R. E. Presbyter primò, deindè Pontifex qui ſedit annos XV. dies 4. ſcripſit Epiſtolas tres inter Decretales recenſitas quæ autem illi adſcribitur a nonullis ad omnes Eccleſiæ comminiſtros, omninò, Poſſeuino teſte, ſpuria eſt. Occubuit martyrio coronatus 13. kal. Februarij anno Domini CCLIII.

Fabianum debitis laudibus extollunt Martyrologium Romanum, Menologium Græcorum, Baronius in Notis & in Annalibus, liber Romanorum Pontificum inſcriptus Damaſus, Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmen Auguſtinus epiſt. 165. Nicephorus Epiſc. in Chronico, Cedrenus, Zonaras, Ruffinus, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Io: Lepaige, Io: Nigraualle, Galeſinus, Ferrarius, Petrus de Natalibus, Io: Bollandus & alij plures.

Fabius Chiſius nobilis Senenſis, Flauij ex Laura Marſilia vxore filius ex Presbytero S. R. E. ſub Titulo S. Mariæ de Populo ab Innocentio X. renuntiato, poſt eiuſdem obitum Petri Cathedram aſcendens, ſub nomine Alexandri VII. in ea ſedit per menſem vnum & dies quindecim ſupra annos duodecim, obijtque 22. die Maij anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi ſexageſimo ſeptimo. Huius Auctoris ſunt Hymni, Epigrammata, Odæ, Elegiæ latina lingua euulgatæ ſub Titulo Muſæ iuueniles Philothi.

Scripſit etiam Conſtantinum. Tragœdiam.

Artem ſalutis, ſeu perfectè viuendi

Directorium Monialium à libris S. Franciſci de Sales excerptum.

Vitam B. Ioannis Chiſij Eremitani S. Auguſtini.

Hiſtorias SS. Bernardini Senenſis, Thomæ à Villanoua, Franciſci de Sales, quorum duos poſtremos Sanctorum Senatui adſcripſit, in arctum collegit, & Clericis propoſuit legendas in Canonicarum horarum Epitome.

Ex officio verò pulres Conſtitutiones edidit, & Epiſtolas ad diuerſos miſit.

Meminere tanti viri Auctarij Ciaconij, Auguſtinus Fauoritus in Oratione funebri, & aljj plures.

Fabius Mignanellus natione Tuſcus, Patria Senenſis ex Lucerino, Epiſcopus Groſſettanus, & Presbyter Cardinalis in Titulo S. Silueſtri a Iulio III. renuntiatus præfuit Signaturæ Iuſtitiæ; obijtque Romæ Presbyter SS. Io: & Pauli 4. Idus Auguſti anno ſalutis 1557. ætatis 61. ſepultus in S. Maria de Pace.

Hic Nuncius Apoſtolicus apud Ferdinandum Regem Romanorum ſcripſit literarum negotialium volumen aſſeruatum M. S. in Vaticano.

Scripſit etiam Opuſcula de peccato originali, de iuſtificatione, & diſcurſus varios quos dixit Patribus Concilij Tridentini, inter quos & ipſe ante purpuram ſederat.

Eſt Fabij mentio apud Auctarios Ciaconij, Auberyum, Panuinium, Ferd. Vghellium in italia ſacra, Sfortiam Card. Palauicinum in hiſtoria Tridentina, Petramellarium, Thuanum in in ſua hiſtoria, Petrum Aretinum, Iſidorum Vgurgierum, & alios.

Fabritius Veroſpius Romanus Clericus Cameræ Apoſtolicæ, deindè Auditor Rotæ Romanæ, demum Presbyter Cardinalis ab Vrbano VIII. in Titulo S. Laurentij in pane & perna die 30 Auguſti anno à natiuitate Chriſti 1627. abſens ab Vrbe renuntiatus, Concilij Tridentini præfectarum geſſit.

E vita exceſſit Romæ die 27. Ianuarij anno 1639. ætatis octauo ſupra ſexageſimum; iacet apud ſuæ gentis Maiores in Sanctiſſimæ Trinitatis Templo in Monte Pincio.

Huius Oratio extat latina lingua, à ſe habita in funere Io Franciſci Aldobrandini, nec non Deciſiones, quas elaborauit in Rota Romana.

Vide de hoc plura apud Auctarios Ciaconij & Amydenum in Vita.

Fauſtus Polus, Caſciæ in celebri apud Camertes municipio natus, ex rationario Cardinalis Maphæi Barberini, intimus Vrbani VIII. Cubicularius primò, deindè Apoſtolici Palatij Præfectus, Archiepiſcopus Amaſienſis, Nuncius ad Mariam Hungariæ Reginam, demum Presbyter Cardinalis S. Chriſogoni, & Epiſcopus Vrbeuentanus renuntiatus Synodum edidit in Clericorum ſuæ Eccleſiæ commodum. Exceſſit die 7. Octobris anno ſalutis 1653. ætatis 77. ſepultus apud Eccleſiam Principem Vrbis veteris.

Tractant de hoc Cardinali Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Gualdus in hiſt. Theodorus Amydenus in Vita M. S.

Federicus Boromæus Mediolanenſis Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica ſub Sixto V. deindè SS. Coſmæ & Damiani, atque ex alijs S. Agathæ, tum Presbyter S. Mariæ Angelorum ad Thermas & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui exotica idiomata, græca ſcilicet, arabica, caldaica perindè, ac vernacula vſurpabat, temporis ſemper pretium fecit, dum nihil illius amiſit; eius otij fructus egregia illa opera numerantur, quæ ad communem protulit vtilitatem, atquè in conſpectu omnium, ac luce propoſuit, & ſunt.

Sacra Colloquia vernacula lingua
Principum fauor eodem Idiomate liber
Diuinæ laudes libris tribus Italicè
Sermones Synodales eadem lingua
De Epiſcopo concionante libri tres latina lingua
Meditamenta literaria
De Chriſtianæ mentis iucunditate libri tres
De ſacris noſtrorum Temporum Oratoribus libri quinque
De vera & oculta ſanctitate
De Moribus B. Virginis lib. 1.
Hæc omnia ſunt in decem volumina diſtincta.
Epiſtolæ eiuſdem ad diuerſos ſunt publici iuris.
In Bibliotheca Ambroſiana typis edita inueniuntur.
De abſoluta Collegij Ambroſiani in literis inſtitutione lib. 16.
Tractatus de Villa Gregoriana, ſeu diuitiarum deſpicatum, Italicè, & latinè.
De Angelorum linguis, nominibus, & numero lib. 3.
Dicta, & facta quarumdam animarum ſanctiſſimarum, ſiue de amore virtùtis lib. 12.
De extaticis mulieribus, & illuſis lib. 4.
De prudentia in creando Pont. Max. lib. 1.
De primis rerum nominibus lib. 2.
Cipria ſacra, ſiue de honeſtate, & decoro Eccleſiaſtici moris. lib. 1.
Muſæum
De actibus prudentiæ lib. 14.
Plebanarum Viſitationum exordia, & Tractatus ad agrorum incolas, & ad Clerum plebanum
Epiſtola ad aridam mentem
De Vita perfecta liber
De acquirendo Orationis habitu liber
De aſſidua Oratione liber

De

De vario reuelationum, & illuſionum genere liber
De rebus inueniendis liber
Notæ in duodecim Prophetas minores
De Pitagoricis numeris lib. 3.
De Vita Catarinæ Senenſis Monacæ Conuerſę lib. 3.
De Exercitatione & labore ſcribendi lib. 3.
De Cabaliſticis inuentis lib. 2.
De delectu ingeniorum lib. 2.
De tribus vitijs, ſuperbia, auaritia, & concupiſcentia lib. 3.
De fugienda oſtentatione lib. 2.
De Conſiliarijs Diſputationes duæ
Paralella Coſmographica de ſede, & aparitionibus dæmonum lib.
De moribus Chriſti lib. 4.
De euangelicæ narrationis dignitate lib.
De varijs Amoris moribus lib.
De prudentia Dei, & illius permiſtione cum malignis ſpiritibus lib.
De non vulgari exiſtimatione, & fama lib.
De Ordine lib.
De inſanis quibuſdam tentationibus lib.
Oratio conſolatoria, atque adhortatoria ad Epiſcopos
De addiſcendis ſcientijs liber
De lectis diuinarum rerum probationibus lib. 7.
Obſeruationes in Apocalypſim lib. 7.
Pallas compta, ſiue de bonarum artium cultu lib.
De voluptatibus mentis Chriſtianæ lib. 3. Italicè.
De nonnullis ſacræ Scripturæ locis paſſim vſurpatis lib. 2.
De ſacris libris Theoreticis Tractat. 17.
De Presbyterio lib.
Idiota, ſeu de facilitate orandi. Italicè
De actione Contemplationis lib. 4.
Canticorum explanatio iuxta literalem ſenſum lib. 4.
De ſuis ſtudijs Commentarium
De pictura ſacra lib. 2.
Salomon ſiue opus regium lib.
De cognitionibus quas habent dæmones lib.
Tractatus habiti ad ſacras Virgines Voluminibus 2.
Additamenta quædam ad nonnulla ſuperius deſcriptorum operum.
Deceſſit Mediolani anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſeptimo, Ponti-

 tifica-

t ficat.us ſui ſeptimo ſupra quadrageſimum, ſalutis humanæ primo & trigeſimo ſupra milleſimum ſexageſimum x. Kal. Octobris. Corpus in Templo maximo Mediolanenſi conditum cum ſequenti ſepulchrali inſcriptione.

FEDERICVS BOROMÆVS
Cardinalis,
Et
Archiepiſcopus Mediolani
Sub præſidio B. Mariæ Virginis
Hic quieſcit in pace.

De Federico Boromæo tractant Petramellarius in Elogijs, Auguſtinus Valerius Cardinalis de Iubilæo, Baronius in Annal. Ianus Nicius Herythræus in Pinacotheca, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Io: Petrus Guiſſanus in Vita S. Caroli, Carolus a Baſilica S. Petri in eadem. Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium, Octauius Lanzaucchia in Vita, Iuſtus Lipſius in Epiſtola, Nouarinus in Electis ſacris, Franciſcus Pola, & Boldonius in Inſcriptionibus, Ioſeph Caſtalio in Carmine, Guido Cardinalis Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Io: Rhò in Exemplis virtutum, Hieronymus Ghillinus in Theatro, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Iac. Philippus Thomaſinus in Elogijs, Iacobus Gaddius de Script. non Eccl. Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Claudius Robertus in Gallia Chriſt. Antonius Gallonius, Auctarij Ciaconij Franciſcus Riuola & Ioſeph Ripamontius in Vita, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Carolus Baſcapè lib. de ſucceſſoribus Barnabæ, Paulus Areſius in Panegeri, Petrus Paulus Boſca de origine Bibliothecæ Ambroſianæ, Philippus Picinellus in Atheneo Mediolanenſi & alij.

Fedéricus Cæſius nobilis Romanus à Paulo III. Romano Pontifice anno reparatæ ſalutis 1544. Presbyteris Cardinalibus adiunctus ſub Titulo Sancti Pancratij, quem titulum poſteà in alium S. Priſcæ commutauit, tum Epiſcopus Præneſtinus, Albanus, Tuſculanus & Portuenſis è vita exceſſit Romæ 5. kal. Februarij anno 1565. iacet in Baſilica liberiana cum hoc Elogio.

FEDE-

D· O· M·

FEDERICO CÆSIO

S.R.E.

Card. Portuenſi,

Qui hoc Sacellum & alterum

In Æde

Beatæ Mariæ Pacis,

Ac Templum

Diuæ Catherinæ Virginum miſerabilium

Fundauit & doctauit.

Angelus Cæſius

Patruo Optimo poſuit.

Vixit Ann. LXIV. Menſ. VI.

Obijt v. Kal. Febru.

Anno ſal. MCLXV.

Scripſit hic Cardinalis Epiſtolas plures, quarum vna ad Donatum Ducem Venetiarum italica lingua typis data inuenitur inter literas Principum, illuſtriumque Virorum.

Laudant Federicum Cæſium Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Petramellarius in Elogijs, Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, Felix Contelorius in Elencho, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Paulus de Angelis in deſcrip. Baſil. liberianæ Horatius Turſellinus in Lauretana, Nicolaus Orlandinus in Soc. Ieſu hiſtorijs, & alij multi.

Federicus, alijs Fridericus de Cluniaco nàtione Gallus, laurea donatus in Academia Bononienſi Eccleſiam Æduenſem obtinuit, & à Pio II. renunciatus Prothonotarius Apoſtolicus, in Ordine velleris aurei in Burgundia Cancellarij munere functus eſt. Indè ad Tornacenſem Sedem promotus, apud Paulum II. apud Cæſarem, ac Regem Angliæ, tum Galliæ Regis, tum Burgundici Ducis nomine Legati munus expleuit cum plauſu.

Sixtus

Epiſcopo Patauino
Aductis Roma oſſibus Hæredes
Teſtamento poſuere
Vixit annos LIX, Menſes iij.
Dies 20.
Obijt Nonis Octobris MDXC.

De huius virtutibus conſulendi ſunt, Panuinins, Ciaconius cum Auctarijs, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Petramellarius in Elogio; Io: Petrus Guiſſanus in Vita Caroli Boromæi; Iacobus Cauaccius in hiſt. S. Iuſtinæ, Angelus Portenarius in felicit. Patauina, Ioſeph Silos in hiſt. Cleric. Regul. Vincentius Robardus de geſtis Sixti V. Doglionus in hiſt. Patauina, & alij plures.

Federicus Fregoſius, ſeu Fulgoſius, natione Italus, patria Genuenſis, Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis, & Pauli, tum S. Mariæ in Porticu à Paulo III. Romano Pontifice renunciatus ſcripſit ex aliquibus

De modo orandi Tractatum

De iuſtificatione, fide, & operibus Volumen

Præfationem in Epiſtolas Pauli ad Romanos.

Multi tamen dubitant an ſuperius recenſita opera ſint Federici noſtri, quæ verò ſequuntur ſunt omnino ſua.

Meditationes in Pſalmos 30. & 45. ſupra centeſimum.

Oratio ad Ianuenſes, quam laudat Corteſius

Epiſtolæ ad Corteſium, Sadoletum, & Bembum vtraque lingua.

Synodus Salernitana.

Mortem ſubijt die 22. Iulij anno reparatæ ſalutis 1541.

Meminere Federici Gaicciardinus, Folietta de Claris liguribus, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Iacobus Zunica in Itinerario, Franciſcus Sanſouinus de famiijs Italiæ, Michael Iuſtinianus, & Raphael Sopranus in Catalogo Scriptorum ligurum, Iacobus Sadolettus in Carminibus, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui qui de Cardinalibus S. R. E. tractarunt.

Federicus Sanſeuerinus Mediolanenſis, alijs Neapolitanus, ex milite, Duceque armorum Eccleſiaſticorum in Ferdinandum

Regem

Regem Neapolitanorum renunciatus S. R. E. Cardinalis ab Innocentio VIII. præfuit Diaconiæ S. Theodori, & Epiſcopus Maleacenſi, Viennenſi, Morienſi in Gallia, Nouarienſi in Italia & Archiepiſcopus Rotomagenſi Eccleſijs. Sub Alexandro VI. cum Cardinali Sfortia captiuus fuit. Contra Iulium II. interfuit Conciliabulo Piſano, quare ab ipſo Iulio, honoribus omnibus ſpoliatus, & anathemate notatus, poſt palinodiam decantatam a Leone X. ad antiquam dignitatem reſtitutus eſt. Deceſſit Romæ Diaconorum Cardinalium primus die 7. Auguſti anno ſalutis 1516. ſeu 1517. Extant huiuſce Cardinalis Epiſcopi Nouarienſis Statuta Ripariæ ab eo condita anno eiuſdem ſeculi ſeptimo.

Eſt Federici mentio apud Ferd. Vghellium in Italia ſacra, apud Auctores Galliæ Chriſtianæ, Panuinium, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios in Vita, Felicem Contelorium in Elencho, & alios plures.

Felix patria Romanus, Conſtantij filius, ex Presbytero S. R.E. euulgatus Pontifex Maximus, ſub eodem nomine Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit annis duobus, menſibus quinque vno minus die, cumque ſcripſiſſet Epiſtolas plures, quarum quatuor ſunt inter Decretales, aliæquæ M. SS. aſſeruantur in Tabulario Arelatenſi, martyrio coronatus Romæ occubuit 3. kal. Iunij anno poſt partum Virginis 275.

Huius Sancti acta indicant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annalibus, Beda, Vſuardus, Ado, Petrus de Natalibus, Platina, Panuinius, Anaſtaſius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Euſebius in Chronico & in hiſt. Optatus, Auguſtinus epiſt. 165. Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pont. Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes, qui de Romanis Pontificibus ſcripſere.

Felix natione Romanus, Patre Anaſtaſio genitus ex Diacono Cardinali in Schiſmate Pſeudopontifex electus, euulgauit Epiſtolas tres, quarum duæ leguntur Tomo 1. Conciliorum generalium cum notis Binij, tertiam vero indicat Iouerius: de huius obitu variæ ſunt Scriptorum mox recenſendorum ſententiæ, ad illos lectorem remittimus.

De Felice Pſeudopontifice eſt mentio apud Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Platinam, Anaſtaſium Bibl. Adonem Viennenſem, Bedam, Notkerum, Vſuardum, S. Gregorium in Antiphonario & Sacramentario, Theodoretum, Idocum Coccium & alios, quorum aliqui Felicem expungunt

à Ro-

à Romanorum Pontificum numero, alij verò non.

Felix Anicius Romanus Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei, tum Romanus Pontifex renuntiatus, dictus huius nominis II. alijs perperam III. Gregorij Papæ, Magni Doctoris Atauus rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit annis octo, menſibus vndecim, diebus duodeuiginti, quo tempore literas plures exarauit, quarum tantum octo ad noſtram peruenerunt notitiam. Dies 25. Feb. Menſis, Anni 492. fuit illi ſupremus. poſt obitum ſepulchrum habuit in Baſilica S. Pauli Via Oſtienſi

Meminit noſtri Felicis Pontificis Martyrologium Romanum, Baronius in notis & in Annal. S. Gregorius homil. 38. in Euang. & lib. 4. Dialog. Ioannes Diaconus in Vita S. Gregorij, Leo Oſtienſis in Chronico Caſinenſi, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Binius, Ioannettus, Pancirolus & alij.

Felix Caſtorij Fimbrij filius, patria Beneuentanus ex Presbytero SS. Sylueſtri & Martini in Montibus, Tituli Equitij euulgatus Pontifex, dictus eſt Felix III. malè alijs IV. ſeditque annos IV. Menſes duos, dieſque duodeuiginti, quo tempore vt abſentibus quoque adiumento eſſet Epiſtolas tres ſcripſit, vnam ad Epiſcopos Orbis Chriſtiani, qua eis præcipit ne permittant aut Miſſam, aut diuina Officia celebrari in locis profanis. Alteram ad Sabinam matronam nobilem, qua illam hortatur vt nobilitatem & ingenuitatem ſuam virtutibus illuſtret. Tertiam ad Epiſcopos de Eccleſiarum conſecratione.

Obijt Romæ 4. Idus Octobris anno 530. huius tumulus in Vaticano his carminibus fuit nobilitatus.

Certa fides iuſtis cæleſtia Regna patere
Antiſtes Felix quæ modo lætus habet.
Prælatus multis, humili pietate ſuperbus
Promeruit celſum ſimplicitate locum.
Pauperibus largus, miſeris ſolatia præſtans
Sedis Apoſtolicæ creſcere fecit opus.

Huius Sancti Pontificis acta recitant Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Boſius in Roma ſubterranea, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pont. Paulus de Angelis in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ, Ciaconius cum Auctarijs & alij omnes qui de Romanis Pontificibus tractarunt.

Felix Perettus Picenus Philoſophus & Theologus magni nominis apud Minores Conuentuales ex Presbytero Cardinali

S. Hieronimi Illyricorum, Cardinalibus ſuffragantibus, euulgatus Pōtifex Maximus, ſub nomine Sixti V. præfuit Eccleſiæ vniuerſæ annisquinque, Menſibus quatuor, diebus tribus, ediditque Conciones quaſdam, inter quas vnam de Conceptione puriſſima B. Virginis Mariæ. Euulgauit etiam opera Sancti Ambroſij erudita manu, & ſummo labore à mendis à ſe repurgata, eruditoque ordine diſtributa, & accuratè impreſſa anno 1585. cum Vita S. Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſis. S. Bonauenturæ itidem Opera typis Vaticanis edi curauit.

Scripſit Bullarum inſigne Volumen, & Epiſtolas multas ad diuerſos.

Sententias item quaſdam, & monita ad Cardinalem Nepotem.

Sacræ Scripturæ Codices iuxta puriora & vetuſtiora Hæbreorum, & Græcorum exemplaria correctos reſtituit.

Græcam inſuper LXXII. Interpretum translationem cum latina typis vaticanis publicauit anno 1588.

Obijt 4. kal. Septembris anno à partu Virginis 1590. Corpus è Vaticano ad Baſilicam liberianam deductum clauditur in pernobili ſepulchro cum hoc Epitaphio.

SISTO V.
Pont. Max. ex Ord. Minor.
Alex. Perettus
S. R. E.
Card. Vicecancellarius
Ex
Sorore pronepos perfecit.

Sixti Pontificis acta commendant Lælius Peregrinus & Baldus Cataneus in oratione funebri, Franciſcus Bordinus, Antonius Querengus, Fulnius Cardulus, Angelus Bargæus, Angelus Rocca de Baſilica Vaticana, Lud. Iacobus à Sancto Carolo in Bibl. Pont. Ioannes Riualdellus in Elogijs, Hippolytus Marraccius in Pontificibus & in Bibl. Mariana, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Petramellarius, Mutius Panſa, Nicolaus Roccius, Paulus Bombinus, Scipio Dupleix, Auctarij Ciaconij in Vita, & alij plures.

Ferdinandus Auſtriacus Regis Catholici Philippi III. & Margaritæ Auſtriacæ filius, Philippi IV. Germanus frater, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu à Paulo V. Romano Pontifice renuntiatus literas plures pro immaculata Conceptione Virginis Mariæ Gregorio XV. nec non Vrbano VIII. Romanis Pontificibus dedit. Bruxellis die 26. Octobris, ſeu Nouembris anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi primo ſupra quadrageſimum, ætatis 32. mortuus eſt. Corpus Hiſpaniam translatum iacet in ſepulchro Maiorum.

Ferdinandum laudant Vincentius Marinerius in Soteria, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Io: Baptiſta Orſi, Octauius Boldonius in Inſcriptionibus, Balthaſſar Porregnus in Elogio, Auctarij Ciaconij & hiſtorici omnes huius ſeculi.

Ferdinandus Gonzaga Mantuæ Ducis filius, Diaconus Cardinalis ſub Paulo V. S. Mariæ in Dominica, tum S. Mariæ in Porticu ſcripſit Orationem in laudem Sancti Caroli Borromæi, quam publicè recitauit, antequam ille Sanctis connumeraretur. nuntium purpuræ remiſit, vixitque Dux Mantuanus vſque ad annum 1626. quo mortalem vitam exuit die 30. Octobris.

Eſt Ferdinandi Cardinalis mentio apud Franciſcum Polam in Inſciptionibus, Hippolytum Marraccium in Purpura Mariana, Auctarios Ciaconij, & alios multos.

Ferdinandus Ponzettus, ſeu Poccettus, vel Puccet, patria Neapolitanus, alijs Florentinus, ingenio clarus, doctrina celebris, & in euoluendis cuiuſque generis Auctoribus conſumatiſſimus, à puero Medicinæ operam dedit; in Curia Romana Septemuir creatus, inde Clericis Cameræ Apoſtolicæ, Præſidens & Decanus, tum Theſaurarius & Epiſcopus Melphienſis, demum etiam octogenarius Presbyter Cardinalis renuntiatur à Leone X. Pontifice Maximo. Romæ in viuis eſſe deſijt die 2. Septembris Menſis, anno 1527. a' ijs 1528. ſepultus in S. Mariæ de Pace Templo in quo S. Brigittæ Sacellum à fundamentis extruxerat cum hoc Epitaphio.

Depoſitum
Viri omnium diſciplinarum,
Omniumque actionum humanarum,
Quæ ſingularem, & corporis,
Et animi veram felicitatem mortalibus

Parere ſolent, refertiſſimi
FERDINANDI PONZETTI
S. R. E.
Presbyteri Cardinalis
Tituli S. Pancratij
Qui die 2. Septembris MDXXVII. obijt,
Victurus ſcilicet vitam
Hom. . . . . CXX. Annorum
Ni ſacram direptionem vidiſſet.
Iacobus Ponzettus
Epiſcopus Melphitanus
Nepos lacrymans poſuit.

Scripſit de Sacramentis Opus ad Hadrianum VI. Pont. Max.
De venenis libros tres ad Auguſtinum Niphum
De Phyſica volumen vnum
De origine animæ Tractatum.
De Philoſophia naturali libros tres, qui Romæ typis dati anno 1620.

Huius Cardinalis acta deſcripſerunt Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Franciſcus Maria Torrigius de Scrip. Cardinalibus, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho & alij plures.

Ferdinandus de Toleto Hiſpanus, nobilis Decretorum Doctor à Gregorio XIII. inter S. R. E. Cardinales cooptatus, purpuræ vltrò oblatæ nuncium remiſit, non ſine ipſius Pontificis, ac Regis Hiſpaniarum admiratione. Scripſit Epiſtolam ad Stanislaum Cardinalem Hoſium, tanto viro dignam, cœleſtiſque ſapientiæ plenam, quam inuenies inter ipſas Hoſij Epiſtolas, euulgatam. Obijt in Hiſpania mihi incertum quo Menſe, quoue Anno. Corpus iacet Oropeſæ apud Moniales Sanctiſſimæ Conceptionis.

Debitis laudibus Ferdinandum extollunt, Petramellarius, Gregorij XIII. Annales, Ludouicus Donius d'Attichy in hiſt.

Cardi-

Cardinalium, Hilarion à Coſta in ſua hiſt. Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs & alij multi.

Fidantius Presbyter Cardinalis S. Marcelli ſub Cœleſtino III. euulgauit Orationem quam habuit ad Populum Veronenſem, & diem clauſit extremum circa annum 1198. redemptionis humanæ, vt referunt Panuinius, Ciaconius & alij.

Flaminius Platus Mediolanenſis ex Rotæ Auditore Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, tū SS. Coſmæ & Damiani, Presbyter S. Clementis, S. Onuphrij, ac S. Mariæ de Pace, vir doctus, & in Romana Curia clarus, à Gregorio XIV. purpura donatus, ſcripſit Deciſiones plures rotales.

Die 22. Nouembris anno 1613. Romæ fatis conceſſit, ætatis 63. & in Eccleſia nominis Ieſu ſepulchrum habuit ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

FLAMINII PLATI PATRICII
Mediolanenſis
S. R. E.
Presbyteri Card. oſſa hic iacent.
Cuius peritiam legum
Opportunitatem conſiliorum,
Studium Religionis
Non hic diſces ſepulchrali fide,
Poſtumaque fama,
Diſces ſi id curas
Ab Romanæ Rotæ Iudicibus
A
Purpuratorum Patrum Senatu
Apud quos Collegæ incomparabilis
Admiratio
In perpetuum viuet.

Quod

Quod autem
Viro mortale fuit
Hieronymus Platus Comes
Crpiniani
Eques Sancti Iacobi
A Spatha in hoc ſuæ erga
Optimum Patruum pietatis
monumento compoſuit.
Obijt Anno Domini
MDCXIII.
Ætatis ſuæ LXIII.

De hoc Cardinali honorificè locuti ſunt, Hieronymus Platus frater in Tractatu de Cardinalatu, Petramellarius in Elogijs, Ciaconij Auctarij, Nicolaus Doglioni in hiſtoria & alij multi.

Formoſus Ciuis & Epiſcopus Portuenſis, Leonis filius, qui Romanus Ponifex renuntiatus idem nomen retinens rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per menſes ſex, dieſque duodeuiginti ſupra annum quartum, ſcripſit literas ad Stylianum Neocæſareæ Euphrateſiæ Prouinciæ Epiſcopum, & ad Epiſcopos Angliæ, ad Fulconem Archiepiſcopum Remenſem, atque ad Epiſcopum Bononienſem, quas legere quiſque poterit in Tomo 7. Conciliorum, in hiſtoria Remenſi Flodoardi, nec non apud Sigonium de Epiſcopis Bononienſibus. Obijt 19. Kal. Ianuarij anno ſalutis 895.

De Formoſo tractant S. Antoninus, Baronius in Annal. Iacobus Gaulterius in Tabul. Chronol. Leo Oſtienſis in Chronico, Illeſcas in hiſt. Pontific. Ciaconius cum Auctarijs & reliquis qui hiſtoriam Pontificiam contexerunt.

Mag. Fr. Fortanerius, ſeu Fortannius, alijs Sertorius Vaſalus natione Vuallus, ſeu Gallus, Ordinis Minorum Miniſter Generalis, adminiſtrationem Archiepiſcopatus Rauennatenſis à Clemente VI. obtinuit. Inde promotus ad Patriarchatum Gradenſem cum retentione adminiſtrationis Eccleſiæ Rauennatenſis. Eiuſdem Clementis iuſſu legationis munere functus eſt ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem vt inter Rempubli-

publicam Venetam & Genuenſem rationes iniret concordiæ Innocentius VI. tantum virum S. R. E. Cardinalibus adiunxit. fuit etiam vir doctus, ac plura ſui ingenij monumenta ad Poſteros trāſmiſit, quæ ſunt.

Officium de ſtigmatibus S. Franciſci
Sermonum volumen
Lectionum Theologicarum liber vnus.
Quodlibeta diſputata

Commentatus etiam eſt plures S. Auguſtini libros de Ciuitate Dei.

Expoſuit omnes ferè ſacrorum Bibliorum libros.

Sublatus eſt epidemia quæ graſſabatur in Italia, menſe Octobis, vel Nouembris anno eodem quo inter Cardinales cooptatus fuerat 1362.

Huius virtutes celebrant Fr. Lucas Vadingus de Scrip. Ord. Minorum, Petrus Frizonius in Gallia purpurata. Ferd. Vghellius in Italia ſacra. Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Felix Contelorius in Elencho, Auberyus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Panuinius, Pitſeus de Scriptoribus Angliæ, Gaſpar Iongellinus de Cardinalibus Ordinis Minorum & alij plures.

Franciſcus Abundius Caſtilioneus Mediolanenſis Presbyteris Cardinalibus Titulo S. Nicolai inter imagines à Pio IV. Romano Pontifice adſcriptus, latina lingua, græcaque non minus quam ciuili, ac Pontificio iure, ac poeſi clarus, ſcripſit ſermone etruſco carmina, quæ Hieronymus Ruſcellus cum alijs virorum illuſtrium publicæ luci commiſit.

Cecinit etiam eodem carmine Deiparæ laudes, expreſſas pijs operibus. hoc opus euulgatum eſt cum Matthæi Caſtilionei Cōmentario. ſoluta vero oratione memorias ſuæ familiæ explicauit.

Viā vniuerſæ carnis ingreſſus eſt Romæ 18. Kal. Decembris anno à partu Virginis 1568. ætatis 45. Cineres quieſcunt ad S. Mariam de Populo cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

FRANCISCO ABVNDIO CASTILIONEO
Mediolanenſi
Hiron. Senat. Mediol.

Præſi;

Præſidis filio
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Cardinali
Cœleſtini IV. Pont. Max.
Octauiani Gottifredi,
Brandæ & Io: Cardd. Gentili
Pio IV. Pont. Max.
Valdè charo,
Atque ab eodem ob fidem
Ac
Pietatem quam Epiſc. Bobien
In Concilio Tridentino
Præſtitit
In ampliſſimum Collegium cooptato.
Vixit Ann. XLV.
Obijt Anno MDLXVIII.
18. Kal.Decemb.
Ioſeph Caſtilion. I. C. hæres Patrueli.
Et
Io: Iacobo Barenſi Archiepiſc.
Patruo communi
M. P.

De hoc Cardinali plura apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra; Auctores Hiſtoriæ Concilij Tridentini, Philippum Picinellum in Atheneo Medionalenſi, Ghelinum, Creſcentium & alios.

Franciſcus Albertus à feudo Rupefucaldius cognominatus, natione Gallus, ex Præſule Claromontano Syluanectenſis Epiſcopus, Magnus Franciæ Eleemoſynarius, ac S. R. E. Presbyteris Cardi-

Cardinalibus Titulo S. Calliſti à Paulo V. Romano Pontifice, Regis Gallarum interceſſione adſcriptus, vt calamo quoque Eccleſiæ Romanæ adiumento eſſet, Poſteriſque affectum ſui cordis in eam aperiret, reliquit.

De Eccleſiæ auctoritate opus

De ſtatu Eccleſiaſtico librum

Pro Clero Gallicano vindicias

Contra Schiſmaticos libellum.

Vitam produxit ſuam vſque ad annum quintum & quadrageſimum præſentis ſeculi decimi ſeptimi à Chriſto nato, quo die 14. Februarij iam fermè nonagenarius deceſſit, ſepultus poſt obitum in Eccleſia Pariſienſi S. Genoueſæ ſacra.

Debitis laudibus extollunt Franciſcum Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana. Nicolaus Nau in oratione funebri; Auctarij Ciaconij, Ludouicus Donius d'Attichy, Verderius, Petrus Rouerius, Theodorus Amydenus in Vita latinè ſcripta, de la Noriniehre in eadem gallicè, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia. Iacobus Gaulterius ſeculo 17. ſuæ Chronol. Petrus le Moyne Soc. Ieſu in Panegirico, Saniulianus Baleurreus in antiquitatibus Burgundicis, & Tounuſianis, Ioannes Dartes Gallus in Tractatu de Vrbicarijs, & ſuburbicarijs regionibus. Dionyſius Petauius in epiſt. nuncupatoria Operum S. Epiphanij, alijque plures.

Franciſcus Albicius nobilis Cæſenas, Florentia oriundus, defuncta vxore, ex qua filios & filias plures habuerat in Romana Curia Cauſarum Patronus, Neapolitanæ primùm, deindè Hiſpanicæ legationis Auditor, ingenium quo à natura ditatus fuerat, nec non ſcientias ſtudio aquiſitas omnibus patefecit. Ex Hiſpania in Vrbem reuerſus Sancti Officij Aſſeſſor in Controuerſijs Ianſenianis cum Innocentio X. Romano Pontifici, alijſque omnibus præclarè ſatisfeciſſet, purpura ab eodem anno 1654. ornatus eſt cum Titulo S. Mariæ in Via, quem hoc præſenti anno 1675. etiam retinet.

Edidit iterum Diſceptationem de iuriſditione Cardinalium in Eccleſia Titulari. Romæ 1668. illam euulgauerat annis ſuperioribus, nunc autem.

Habet paratas prælo Deciſiones in re fidei pro Tribunali Inquiſitionis.

Et Sermones plures quos ipſemet dixit in Eccleſijs, & Conuentibus diuerſis Vrbis.

De Franciſco Cardinali Albicio tractāt Philothei Muſæ iuuc-

 niles,

niles, Nicolaus Angelus Caferrus in Synthemate vetuſtatis, Auctarij Ciaconij, & alij multi.

Franciſcus Alciattus Mediolanenſis iuris Doctor in Academia Ticinenſi Epiſcopus Claromontanus primò, tum Arienſis, ac Ciuitatenſis, Romani Pontificis Datarius, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu, mox Presbyter S. Luciæ in Septiſolio, & S. Suſannæ, eloquentia admirabili, iuris ciuilis, ac Pontificij ſcientiſſimus, lingua italica literas ſcripſit Gabrieli Flammæ, quas typis euulgatas inuenies cum alijs virorum illuſtrium. Reliquit etiam typis euulgata Conſilium ſuper materia peculiari;

Conſilium de Duello.

Orationes plures.

Aliaque M. SS. plura in vtroque iure. Romæ mortem ſubijt 13. Kal. Maij anno ſalutis 1580. ætatis nono ſupra quinquageſimum. Oſſa in Eccleſia S. Mariæ Angelorum, quam Pius huius nominis IV. ſuæ purpuræ Auctor in Titulum elegerat, cum ſequenti Elogio.

D. O. M. S.

Et memoriæ
FRANCISCI ALCIATTI
Mediolanenſis
Tit. S. Mariæ in Porticu
S. R. E.
Presbyteri Cardinalis
Virtute, humanitate, officio
I. V. ſcientia,
Ac
Cæteris omnibus diſciplinis
Florentiſſimi
Carthuſienſis Familiæ Protectoris.
Vixit Annos LVIII.
Menſes ij. Dies 18.

Obijt

Obijt Ann. ſal. MDLXXX.
13. Kal. Maij.
Virtute vixit,
Memoria viuit,
Gloria viuet.

Huius laudes explicarunt carmine Academia Pariſienſis, ſoluta oratione Petrus Victorius in Epiſtolis, Petramellarius, Auberyus, Auctarij Ciaconij, Felix Contelorius in Elencho, Paulus Morigia de Nobilitate, Ianus Nicius in Pinacotheca, Ghellinus in Theatro, Benedictus Soſſagus lib. 3. Epigram. Philippus Picinellus in Atheneo Mediolanenſi, alijque quam plures.

Franciſcus Angelus Rapacciolus Romanus, oriundus è Colleſcipione, Interamnenſis dictionis municipio, ex Cameræ Apoſtolicæ Theſaurario, Presbyterorũ Cardinalium Senatui ab Vrbano VIII. adſcriptus ſub Titulo S. Mariæ in Via, quem titulum poſtea cum illo S. Cæciliæ commutauit, iuuenis dum publicè Philoſophiæ poſitiones propugnaret Heſperiam modulationem, & Orationem de Domini in Cœlum aſcenſu, quam ipſe coram Vrbano habuerat edidit in lucem. Literas eiuſdem vidi Cæſari Crardinali Facchinetto datas in commendationem Hiſtoriæ Concilij Tridentini à Sfortia Pallauicino euulgatæ. Edidit etiam Odam pro Ædibus Barberinis. Reliquit M. SS. Carmina plura Etruſca, quæ poſt Auctoris obitum Romæ typis tradita ſunt.

E viuis abijt Romæ die 15. Menſis Maij, anno 1657. Corpus iacet ſine vlla memoria in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam.

Meminere Franciſci Card. Rapaccioli Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Gualdus in hiſtoria, & in Theatro, Hieronymus Tetius in deſcriptione Ædium Barberinarum; Petrus Courcier in opere prænotato Negotium ſeculorum Maria, Ludouicus Iacobillus, Auctarij Ciaconij, & alij plures.

Franciſcus Argentinus Venetus, patre humili Germano ex Argẽtina Ciuitate, & Matre Veneta, natus ex Epiſcopo Concordienſi Iulij II. Romani Pontificis Datarius primò; deindè Presbyter Cardinalis S. Clementis renuntiatus, Romæ ſub eodem Iulio die 23. Auguſti Menſis, anno ſalutis 1511. vitæ munere perfunctus occubuit; Oſſa iacuere olim in Eccleſia S. Mariæ Transtyberim

berim Vrbis, deinde Concordiam tranſlata, Cathedralis excepit cum ſequenti Elogio.

FRANCISCVS
Tit. S. Clementis
Presbyter Cardinalis
Ioannique Epiſcopo Concordienſi
Venetarum Familia
Argentina
Paulo Tertio Conſ. Fratre
Curante
MDXXXIV.

Cum eſſet vir doctus Poſteris reliquit de immunitate Eccleſiaſtica opuſcula.

Huius acta explicarunt Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho & alij.

Franciſcus de Attis, ſeu Aptis, natione Italus patria Tudertinus ab Innocentio VI. ex Præſule Florentino Presbyter Cardinalis S. Marci, nec non Maior Pœnitentiarius nominatus, ſcripſit libellum de quarta Canonica, cuius exemplar extat apud Alexandrum de Attis Baſilicæ Vaticanæ Canonicum digniſſimum. Auenione contagioſo morbo ſublatus eſt die 25. Auguſti ſeu 4. Septembris anno ſalutis 1361. Corpus iacet ibidem in Eccleſia Cœleſtinorum apud Pontem Sorgiæ ſub hac Epigraphe.

Hic iacet
R. in Chriſto Pater,
Et Dominus
FRANCISCVS DE TVDERTO
Tituli S. Marci
Presbyter Cardinalis
Florentinus vulgariter nuncupatus

Funda-

Fundatór huius Monaſterij,
Qui feliciter obijt inter
Manus Fratrum:
Die 4. Menſis Septembris
Cuius anima requieſcat
In pace.

Eſt noſtri Franciſci mentio apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Felicem Contelorium in Elencho, Odericum in Annalibus Eccl. & alios plures.

Franciſcus de Auila Hiſpanus Presbyter Cardinalis S. Siluestri primò, mox S. Crucis in Hieruſalem bonis literis imbutus, & præſertim ſacris, monumenta nonnulla, teſtè Petramellario poſteritati conſecrauit; quæ autem hæc ſint non explicat. Romæ die 20. Ianuarij anno ſalutis 1606 è viuis abijt; Corpus in *Hiſpaniam* translatum iacet in Maiorum Sepulchro, vt referunt *Auctarij* Ciaconij, Petramellarius; Guido Card. Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Gaſpar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, & alij multi.

Franciſcus Barberinus Caroli, & Conſtantiæ Magalottæ filius, Vrbani VIII. nepos ex fratre S. R. E. Cardinalis ab ipſo Patruo renuntiatus Legati Apoſtolici munere apud Galliæ, & Hiſpaniæ Reges functus S. R. E. Vicecancellarius, Epiſcopus Hoſtienſis, nec non ſacri Collegij Decanus viuit in Vrbe hoc anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi, ſeptuageſimo quinto, Virorũ doctrina præſtantium Patronus, ſcientiarũque omnium Promotor ſingularis, græcæ, latinæque linguæ amantiſſimus, ſcripſit carmina plura quarum aliqua euulgata inuenies apud Hieronymum Tetium in Ædibus Barberinis: Eiuſdem Elogia B. Thomæ à Villanoua, & B. Franciſci de Sales typis Romanis publici iuris facta ſunt, vt etiam Synodus Veliternenſis.

Eſt Franciſci Cardinalis Barberini mentio apud Auctarios Ciaconij, Ferd. Vghellium in Italia ſacra, Hieronymum Ghelinum in Theatro, Henricum Spondanum in Annal. Eccl. Io: Baptiſtam Laurum in Carminibus, Lodouicum Iacobum à S. Carolo in Bibl. Pontificia, nec non apud Hiſtoricos ferè omnes huius ſeculi.

Obijt 8. Kal. Maij
Ætat. anno L I. Salutis
MDLXXXXVIII.

Laudant Franciſcum Petramellarius, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Leander Albertus in deſcrip.Italiæ., Auctarij Ciaconij & alij plures.

Franciſcus Craſſus Mediolanenſis Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septiſolio, deindè Presbyter S. Cæciliæ ſub Pio IV. Pontifice Maximo, ante purpuram Mediolanenſis Senator in funere Caroli V. Imperatoris Mediolani declamauit oratione elegantiſſima diuerſis typis euulgata. diem ſupremum obijt Romæ kalendis Septembris menſis, anno Chriſti 1566. Corpus Mediolanum deportatum in Eccleſia de Pace, quam Minores de Obſeruantia incolunt, in Sacello à ſe erecto ad honorem S.Franciſci Aſsiſinatis ſepulchrum habuit cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

FRANCISCO CRASSIO
Petri Antonij F.
I. C. Aduocato Fiſci
Præfecto rerum capitalium,
Senæ Prætori,
Vrbini Tertio Magiſtro;
Quæſturæ Ordinariorum Senatori,
Conſiliario principali,
Quæſtori,
Præfecto Vrbis Senarum;
Et
Bononiæ Cardin.
Qui vixit Annos L X V I.
Et in Monumentum Cellæ

Huius

Huius quam D. Franciſco
Viuens fecit inferri voluit.
Petrus Antonius,
Et
Hippoly Parenti optimè merito.
Cardinalis huius virtutes expo. PP.

De hoc Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Peramellarius, Bruſſatus in hiſtoria & alij plures.

Franciſcus à Dietrichſtain, nobilis Bohemus, Olmucenſis Epiſcopus, Presbyter Cardinalis S. Silueſtri de Capite primò, mox S. Mariæ Tranſtyberim, ſub Clemente VIII. Hæreticis infenſiſſimus, Auſtriacis Cæſaribus addictiſſimus, edidit Concionem in laudem S. Ignatij Soc. Ieſu Fundatoris, quam ipſe publicè dixerat: & Philoſophiam quam Romæ exceperat in arctum collectam typis romanis euulgauit. Annos natus ſexaginta ſex, cum illorum circiter ſeptem ſupra triginta in Cardinalatu & Pontificatu Olmucenſi duxiſſet, 13. Kal. Octobris Menſis, anno ſeculi decimi ſeptimi, trigeſimo ſexto Brunæ, quò ſe contulerat ad Conuentum celebrandum diem obijt ſupremum. iacet Olomucij ſub Odeo quod ipſe extruxerat.

Meminere tanti viri Auctarij Ciaconij, Io: Giacchettus in hiſt. Eccl. & Monaſterij S. Silueſtri de Capite, Annibal Adamus in Pallade Purpurata, alijque quamplures.

Franciſcus d'Eſcobleau de Sourdis Gallus Diaconus Cardinalis ſub Clemente VIII. mox Presbyter SS. xij. Apoſtolorum, tum S. Marcelli, ac S. Praxedis ſcripſit Orationem quam die 30. Maij anno 1625. habuit pro Clero Gallicano coram Ludouico XIII. adſtantibus Regni Epiſcopis in Cœtu Pariſienſi congregatis; euulgauit etiam acta Synodi Burdegalenſis conuocatæ, anno 1614. Burdegale luce huius mundi priuatus eſt die 8. Februarij, anno à partu Virginis 1628. ætatis octauo ſupra quinquageſimum. Corpus iacet in Æde Carthuſiana à ſe fundata.

Eſt Franciſci mentio apud Auctores Chriſtianæ & Purpuratæ Galliæ, & apud Auctarios Ciaconij & alios.

Franciſcus Guillelmus à Rartenbergh, Ferdinandi Bauariæ Ducis filius, Romæ in Collegio Germanico & Vngarico Philoſophiam ac Theologiam, nec non ſacros Canones excepit, &

defuncto

defuncto Cardinali Zoleriano à Capitulo Franciſcus Guilielmus abſens poſtulatur Succeſſor in Epiſcopatu Oſnaburgenſi, Synodos duas anno 1625. celebrauit, contra Hæreticos ſtetit; quare Vrbanus VIII. petente Ferdinando Cæſare duos alios Epiſcopatus, Mindenſem videlicet & Verdenſem eidem commiſit administrandos; Anno 1630. Synodos alias duas ad Clericorum mores reſtaurandos congregauit, reſtituitque antiquo ſplendori Eccleſias Catholicorum, & ſeminaria inſtituit. anno 1649. electus Epiſcopus Ratiſponenſis, & anno 1660. ab Alexandro. VII. Pontifice Maximo Presbyteris Cardinalibus adſcriptus eſt. non tamen diu vixit in purpura, nam anno ſequenti 1661. die prima Decembris in ſenectute bona, annum enim ſexageſimum octauum ætatis ſuæ iam compleuerat ad ſuperos euolauit. Extant huius Epiſcopi præter ſuperius indicatas Synodos, aliæ quinque, quas habuit, illiſque rem Catholicam maximè firmauit, fuit enim præſtanti admodum virtute, itàque ſe omnibus probauit vt eum Aſcetæ verum religionis exemplar, doctrina præſtantes Mæcenatem, egentes parentem agnoſcerent.

Tantum virum verè Eccleſiaſticum celebrant Auctarij Ciaconij.

Franciſcus Mantica Vtinenſis, Iuriſconſultorum ſua ætate princeps, Patauinæ Academiæ magni nominis Doctor, ex Auditore Rotæ Romanæ Diaconus primò Cardinalis S. Hadriani, mox. Presbyter S. Thomæ in Parione, ac S. Mariæ de Populo à Clemente VIII. Pontifice renuntiatus, ſcripſit Volumen inſigne de coniecturis vltimarum voluntatum, libris duodecim diſtinctum, quinque annorum opus abſolutiſſimum.

Volumina inſuper duo in libros 27. diuiſa de tacitis & ambiguis conuentionibus, quod opus lucubrationes Vaticanas nominauit.

Romanæ Rotæ Deciſiones quas Franciſcus confecerat, Germanicus Mantica, Epiſcopus Famaguſtanus, eo erepto euulgauit

Exceſſit è vita Romæ die 28. Ianuarij anno a partu Virginis 1614. ætatis 80. Corpus iacet in S. Maria de Populo ſub hoc Titulo.

D. O. M.

FRANCISCVS MANTICA

Vtinenſis

Qui ob ſummum vtriuſque doctrinæ iuris
Splendorem,
Pari prudentia, vigilantia,
Probitateque coniunctum,
A
Clemente VIII.
Pontif. Optimo Maximo.
Ex
Sacri Palatij Apoſt. Cauſarum
Auditore
Ad dignitatem, amplitudinemque
Maieſtati Pontificiæ
Proximam
Sacro plaudente Senatu,
Aula lætante Romana,
Veneta geſtiente Republica,
Euectus
Orbi terrarum illuxit.
Hic
In ſui Eccleſia Tituli ſitus eſt.
Vixit Annos LXXX.
Obijt 28. Ianuarij
MDCXIIII.
Germanicus Mantica Epiſc. Famaguſt.
Franciſcus Mantica,
Et
Andreas Mantica.
Patruo P. M. Poſuerunt.

Huius Cardinalis acta deſcripſere Auctarij Ciaconij, Petramellarius, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Guido Cardinalis Bentiuolus in memorijs Hiſtoricis, & alij plures, cum Io: Baptiſta Lauro in Orcheſtra.

Franciſcus Maria Brancatius nobilis Neapolitanus, Mutij & Zenobiæ Conſtantiæ filius, humanioribus literis, nec non Philoſophia, Iuriſprudentia, Theologiaque inſtructus, Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit ſub Gregorio XV. Romano Pontifice, à quo inter vtriuſque Signaturæ Referendarios cooptatus eſt - Sub Vrbano VIII. ſucceſſore Fabriani Præfecturas, Tuderti, Interamnæ quæ geſſit. Epiſcopus S. Marci in Brutijs primò, tum Caputaquenſis renuntiatur. Sacra deindè purpura ab eodem Vrbano ornatur, & poſt quinquennium Viterbienſi Eccleſiæ in Patrimonio Petri præponitur. præfuit Presbyter Cardinalis Titulis, SS. Apoſtolorum, & S. Laurentij in Lucina, & Epiſcopus moderatus eſt Tuſculanam Ciuitatem, Sabinam, ac Portum.

Extant huiuſce Cardinalis literæ plures ad diuerſos ſatis elegantes.

Carmina nonnulla euulgata cum Ædibus Barberinis

Opuſculum de Cucolata, an ſcilicet illius potio ieiunium Eccleſiaſticum frangat.

Diſceptatio de Optione ſex Epiſcoporum S. R. E. Cardinalium. Viterbij 1668. de ſacro Viatico in extremo vitæ periculo certantibus exhibendo Opuſculum Ibidem eodem anno.

Euulgata etiam vidi eiuſdem Elogia dicta in Conſecrationibus Thomæ à Villa noua, & aliorum Sanctorum.

Romæ anno 1672. cum eſſet Epiſcopus Portuenſis edidit in fol. Diſſertationes, quarum prima eſt de Sacellis Cardinalis. Secunda circa Capitula, Conclauis; Tertia de Cucolata, eadem, quæ aliàs, ſed aucta. Quarta circa iuſiurandum Epiſcoporum, quod faciunt obſeruandi Regulas SS. Patrum; Quinta de benedictione Diaconali, ſexta de conſecratione altarium; cum his iterum euulgauit Diſceptationes, de Optione ſex Epiſcopatuum, & de ſacro Viatico in extremo vitæ periculo certantibus exibendo, aliàs publici iuris factas.

Celebrant hunc virum Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Paulus Corretinus de Epiſcopis Viterbienſibus, Armannus in literis, Gaſpar Caldera in Tribunali medico, Iacobus Gaddius in Carminibus, Auctarij Ciaconij, aliique multi.

Franciſcus Maria Macchiauellus Florentinus, Philippi & Mariæ Magalottæ filius, Franciſci, ac Antonij Cardinalium Barberinorum frater conſobrinus, Laurentij Cardinalis Magalotti nepos, Rotæ Romanæ Auditor, & Epiſcopus Ferrarienſis, nec non Præsbyter Cardinalis SS. Io & Pauli in Titulo Pammachij ab Vrbano VIII. die 16. Decembris anno à Chriſto nato 1641. renuntiatus, ſcripſit Deciſiones plures dum Iudex ſedit in Romana Rota.

E vita migrauit Ferrariæ die 20. Nouembris anno ſalutis 1653. ætatis ſuæ 43. ibique ſepultus.

Meminere huius Auctarij Ciaconij, Victorius Syri in ſua hiſt. Ferdinandus Vghellius in Ital. ſac. Theodorus Amidenus in Vita.

Franciſcus Maria a Monte S. Mariæ, oppido in Vmbria ſito, tanti viri natalibus illuſtri, à Sixto V. Diaconis Cardinalibus adſcriptus, præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Dominica, Presbyter deindè in Titulum habuit SS. Quirici & Iulittæ primùm, mox S. Mariæ in Aracœli, tum S. Mariæ Tranſtiberim Baſilicas. Epiſcopus rexit Præneſtinam, Portuenſem, & Oſtienſem Eccleſias, ſacrique Collegij Decanus relationem fecit in Conſiſtorio ſecreto ſub Gregorio XV. ſuper vita, ſanctitate, & actis Canonizationis, ac miraculis BB. Iſidori Agricolæ de Matrito, Ignatij Loyolæ ſoc. Ieſu Fundatoris, Franciſci Xauerij, Philippi Nerij, & Thereſiæ Virginis, & coram Vrbano VIII. B. Eliſabettæ Luſitaniæ Reginæ, quæ relationes typis romanis editæ in lucem extant. In Domino quieuit die 27. Auguſti anno ſalutis 1627. ætatis 78. Romæ, iacetque in Eccleſia Monialium S. Vrbani de Vrbe, quarum Cœnobium à fundamentis reſtituerat, ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

FRANCISCO MARIÆ

S. R. E.

Cardinali à Monte

Sacri Collegij Decano

Obijt Anno Domini MDCXXVII.

Monia-

Moniales S. Vrbani
Protectori
Munificentiſſimo PP.

Huius acta inue.. s apud Auctarios Ciaconij, Petramellarium, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra & alios.

Franciſcus Maria Tauruſius Politanus, Antonij Cardinalis à Monte, nec non Magni Equitum Hieroſolymorum Magiſtri, ac Iulij III. Romani Pontificis nepos, nobilitatem à Maioribus acc. ptam adauxit ſplendore virtutum vſque adeò vt Leo XI. dicere non dubitauerit, ſe in ea eſſe ſententia, vt iudicaret neminem in Chriſtiana Republica tunc temporis eſſe, cui Deus plura talenta & illuſtriora tradidiſſet. Ex Archiepiſcopo Auenionenſi Presbyter Cardinalis S. Bartholomæi in Inſula primùm, mox S. Mariæ ſuper Mineruam à Clemente VIII. Pontifice Maximo renuntiatus Annalium Eccleſiaſticorum Cardinalis Baronij priores Tomos à ſe italicè redditos Poſteris reliquit. Acta Synodi celebratæ anno 1594. in Vrbe Auenionenſi, publici iuris fecit Romæ anno 1597. apud Zannettum. E vita migrauit Romæ 3. Idus Iunij anno octauo voluentis ſeculi decimi ſeptimi à partu Virginis. Iacet in Templo S. Mariæ Vallicellanæ, quod à puero ſub diſciplina S. Philippi Nerij frequentauerat, ſub eodem Elogio ſuperius in Cæſaris Cardinalis Baronij narratione indicato.

De hoc Cardinali tractant Petramellarius in Elogijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Authores Galliæ Chriſtianæ, Io: Baptiſta Cancellottus in Vita S. Seuerini, Guido Cardinalis Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Io: Baptiſta Roſſi in Opuſculo S. Bonauenturæ, Franciſcus Sacchinus in hiſt. Soc. Ieſu, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Ciaconij Auctarij & alij plures.

Franciſcus de Mendoza & Bobadilla Didaci Hurtadi de Mendoza & Eliſabethæ à Bobadilla filius natione Hiſpanus, patria Conchenſis, alijs Cordubæ natus, Cardinalium Senatui à Paulo III. anno 1544. adſcriptus, qui ſupremum vidit diem in oppido Arcos diœceſis Burgenſis III. Nonas, ſeu Calendis Decembris anno 1566., iacetque Conchæ ſub hoc Titulo.

FRANCISCVS MENDOZA
Primum Caurienſis Epiſcopus

Prot-

Poſtmodum Cardinalis,
In Burgenſi tandem Epiſcopatu
Annos ſexdecim ſedit:
Vbi præter alia multa pietatis opera
Quæ
In Pauperes erogauit
Huius Eccleſiæ fabricæ Cenſus Epiſcopales
Qui
Vndecim millum ducatorum fuerunt
Largitus eſt;
Ac
Menſæ Capitulari
Præſtimonia aliquot
Sex dimidias portiones Cantoribus
Et integram.......
Vniri curauit.
Alia ipſe præclarè meditatus,
Morte præreptus perficere non potuit.
Vixit annos tantum quinquaginta octo

Scripſit erudito calamo Genealogias illuſtrium Hiſpaniæ familiarum.

De vera, & naturali quadam cum Chriſto vnitate, quam per dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem fideles conſequuntur, librum,
In Iſaiam Prophetam Gloſſam

Orationem Pragæ habitam in Conuentu Ordinum Regni Bohemiæ

Epiſtolam ad Ferdinandum Pincianum, cognomento Nuñez de Guzman, Præceptorem ſuum, qua eruditionis, & elegantiæ plena gratias ei habet nuncupationis cuiuſdam libri.

Huius acta referunt Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Antonius Sanderus in Elogijs, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Felix Contelorius in Elencho, Hiſtoria Conchenſis,

ſis, Gonſaluus de Auila in Theatro Eccleſiaſtico, Hiſtoriæ Soc. Ieſu, Petrus de Ribadeneira in Vita S. Ignatij, Nicolaus Anton. & Peregrinus in Bibliotheca Hiſpanica & alij multi.

Franciſcus Nerlius Patritius Florentinus ex Epiſcopo Piſtorienſi Archiepiſcopus Florentinus, ſub Innocentio X. Alexandro VII. & Clemente IX. Pontificibus Maximis, à literis latinis Secretarius, ab ipſo Clemente IX. die 29. Nouembris, anno vertentis ſeculi decimi ſeptimi poſt Chriſtum natum vndeſeptuageſimo, ſacra purpura, & à Clemente X. ſucceſſore Titulo S. Bartholomæi in Inſula ornatus, vir doctrina, & vitæ integritate ſpectatiſſimus, euulgauit reſponſa à ſe data in Conſiſtorijs, nomine Pontificum Oratoribus plurimis, obedientiam Chriſti Vicarijs præſtantibus. Eiuſdem typis romanis publici iuris facta vidi Elogia dicta in Apotheoſi Thomæ à Villanoua, aliorumque Virorum ſanctitate illuſtrium. Intentus Chriſtianæ Reipublicæ negotijs, ac regimini ſuæ Eccleſiæ maturam egit ſenectutem vſque ad annum laudati ſeculi ſeptuageſimum, quo die 6. Noembris è viuis abijt, ſepultus in Eccleſia S. Ionnuis Baptiſtæ nationis Florentinæ.

Eſt tanti viri mentio apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra & apud Auctarios Ciaconij, alioſque.

Franciſcus Paciecus Hiſpanus Presbyter Cardinalis S. Suſannæ; tum S. Pudentianæ, ac S. Crucis in Hieruſalem ſub Pio IV. Romano Pontifice, Archiepiſcopus Burgenſis Synodum conuocauit, & acta deſcripſit. Vnus ex ſupremis Quæſitoribus Regi Hiſpaniarum pergratus emigrauit ad Dominum X. Kal. Septembris anno Chriſti 1579 in regimine ſuæ Eccleſiæ. Oſſa iacent in Ciuitate Roderici patria.

Meminere Franciſci Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, Auberyus, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij Petramellarius, Famianus Strada de Bello Belgico, Gabutius in Vita Pij V. Hieronymus Coneſtaggius in hiſt. de coniunctione Portugalliæ & Caſtellæ, alijque plures.

Franciſcus Paulutius nobilis Foroliuienſis in ſacrum Collegium Cardinalium ab Alexandro VII. Pontifice cooptatus, & Præfectus Congregationis Concilij omnium plauſu electus ſcripſit libros xx. de grauioribus Sedis Apoſtolicæ Cauſis, qui M. SS. extant cum alijs monumentis apud Hæredes. Supremum diem in Vrbe obijt die 9. Iulij anno ſalutis 1661. ætatis 81. Sepultus ad S. M. de Vallicella apud Patres illos à quibus pietatis lac, & ſcientiarum mel puer exuſerat, iacet in Templo cum hoc Elogio.

Fran-

D. O. M.

FRANCISCO PAVLVTIO
Ex
Comitibus Calbuli Foroliuienſi
S. R. E.
Presbytero Cardinali
Tit. S. Io: ante Portam Latinam
Qui
Annorum XXX. ſpatio
A Secretis Sac. Con g. Concilij,
Simulque Sacræ Congreg.
Super Controu. Iuriſdic.
Et Tribunalis fidei Conſultor,
Ob ingenuitatem,
Doctrinam, prudentiam ſemper Aulæ Romanę
Probatus,
A Principibus cultus,
A Summ. Pontificibus grauiſſ.
Quibuſque negotijs admotus,
Atque ab Alexandro VII.
In teſtimonium virtutis
Optimè meritæ ornatus Purpura,
Cum eiuſdem Cong. Concilij
Præfectura.
Obijt octogenario maior
Die 9. Men. Iulij
An. MDCLXI.

Carolus

Carolus Paulutius
Ex
Comitibus Calbuli Sign.
Iuſtitiæ Decanus Patruo

Laudant hunc virum Sfortia Cardinalis Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Auctarij Ciaconij, Antonius Merenda in Controuerſiis Iuris, Nicolaus Angelus Caferrus in Synthemate vetuſtatis & alij.

Franciſcus Quignonus natione Hiſpanus, Didaci Fernandez, Comitis de luna filius, licet hæres nobiliſſimæ familiæ Quignonæ, abdicatis omnibus mundanæ felicitatis, faſcibus, Crucis militiam ſub S. Franciſci ſignis profeſſus eſt, Quignono agnomine in de Angelis commutato, in augurium futurorum, ſuorumque morum candoris & innocentiæ feſtiuum, certumque præſagium. Philoſophiæ curriculo feliciſſimè confecto, vtramque ſcientiam nō ſine vtilitate multorum in diuerſis Academijs Hiſpanicis docuit, iunxitque eminenti doctrinæ morum integritatem non vulgarem, ſtrictamque diſciplinæ regularis obſeruantiam, humilitatem, temperantiam, modeſtiam, cæteraſque virtutes ob quas in ſuo Ordine Cœnobiorum Rectoris Prouincialis, & Commiſſarij generalis dignitatem obtinuit. Comitiorum Præſes primò, deindè ſupremus Moderator renuntiatus flens, eiulanſque humeros laborioſæ prouinciæ ſuppoſuit, durè in ſe ipſum agens, vt alijs exemplum præberet arctæ vitæ iuxta Regulam S. Franciſci. Virtutum omnium exemplis clarus in tantam apud Reges, ac Principes quoſcumque & ipſum Romanum Pontificem venit exiſtimationem, vt ab his omnibus tamquam vir Dei maximè coleretur.

Carolus V. Cæſar eum à confeſſionibus ſibi aſciuit, & Romam miſit ad Clementem VII. Romanum Pontificem, qui illicò pacis ſequeſtrem, ac mediatorem ad ipſum Cæſarem remiſit, non concitatis equis, ſed pedes & baculo tantum nixus Hiſpanias repetijt, & iterum Romam; quare in præmium benè nauatæ operæ pro libertate ſua apud Cæſarem, Presbyterum Cardinalem cum Titulo S. Crucis in Hieruſalem, ac totius Ordinis Seraphici Protectorem illum Clemens conſtituit. Electus Cardinalis apud Carolum in Hiſpanijs, & in Regno Neapolitano pro reſtitutione obſidum, oppidorum, ac Ciuitatum ditionis Eccle-

ſiaſticæ legati munere functus; à Neapoleone Vrſino Abbate Farfenſi in itinere Neapolitano interceptus, ductus eſt captiuus ad Caſtrum Brachiani, à qua captiuitate liberatus Cardinalium opera. A Paulo III. ad Cæſarem altera legatione cohoneſtatus, Verulis in Campania die 27. Octobris anno 1540. vitã terminauit. Corpus Romam relatum ſepulturam habuit in Titulo S. Crucis in Hieruſalem ſub hac Epigraphe.

FRANCISCVS QVIGONIVS
Card. S. Crucis de morte,
Ac
Reſurrectione cogitans
Viuens ſibi poſuit
Expecto donec veniat immutatio mea.

Scripſit Franciſcus Breuiarium precum ab Eccleſiaſticis viris quotidie recitandum iuſſu Clementis VII. Pontificis, à Paulo III. approbatum.

Regulam Sanctimonialium B. Virginis conceptæ

Compilationem Priuilegiorum Minoribus conceſſorum. Hiſpali 1530. Regiſtrum accuratiſſimum ſui Generalatus, quod apud ſe olim aſſeruabat Fr. Lucas Vadingus, qui eiuſdem Cardinalis vitam fusè, eruditèque in Annalibus Minorum deſcripſit.

Officium de immaculata Conceptione Virginis à Clemente Pontifice approbatum.

Tantum virum debitis laudibus cumulant Hippolytus Marraccius in Bibliotheca & in Purpura Mariana, Auberyus, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Bzouius in Annal. Eccl. Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Iacobus Sadoletus, Iacobus Saluiatus in Epiſt. Ludouicus Donius Dattchy in hiſtoria Cardinalium, Marcus Vlyſiponenſis in Chronico, Rodulphus Toſſignanus in hiſtoria Minorum, Felix Contelorius in Elencho, Nicolaus Antonius in Bibliotheca hiſpanica, Dauila in Theatro Eccleſiaſtico Caurienſis Eccleſiæ & alij plures.

Franciſcus Remolinus natione Hiſpanus, patria Ilerdenſis vir doctus, Orator Regis Aragoniæ ad Romanum Pontificem, Cæſari Borgiæ adhærens, Auditor Rotæ eſt conſtitutus, nec non

Anti-

Antiſtes Surrentinus, & Vrbis Prætor, ab Alexandro VI. Cardinalium Collegio viuente adhuc vxore, religioſa tamen inter Clauſtra, adſcriptus ſub Titulo Pammachij quem progreſſu temporis commutauit cum illo S. Marcelli, demùm factus eſt Epiſcopus Albanus.

Deceſſit Romæ die 5. Februarij anno Chriſti 1518. ætatis 56. ſepultus in Baſilica liberiana.

Plures, dum ſedit inter Iudices Romanæ Rotæ, Deciſiones exarauit.

Huius laudes celebrant Ciaconius cum Auctarijs, Garimbertus, Panuinius, Scipio Ammiratus de Epiſcopis Fæſulanis, Summontius in hiſt. Neapol. Vghellius in Ital. ſac. Contelorius in Elencho, Auberyus in Vita, & alij plures.

Franciſcus Ruuerius, ſeu de Ruuere Sauonenſis Ordinis Minorum S. R. E. Cardinalis, tum Romanus Pontifex præfuit ſub nomine Sixti IV. Reipublicæ Chriſtianæ, ac ſcripſit ad Paulum II. Romanum Pontificem.

De ſanguine Chriſti librum vnum, qui extabat M. S. in Bibliotheca Ducis Vrbini.

De futuris contingentibus librum vnum M. S. ibi dem.

De Conceptione B. M. Virginis librum vnum

De potentia Dei Commentaria M. SS. ibidem

Contra errorem cuiuſdam Carmelitæ Bononienſis affirmantis deum ſua omnipotentia damnatum hominem non poſſe ſaluare.

Ad Regem Aragonenſem Epiſtolam

Epiſtolarum ad diuerſos volumen.

Pontifex vero edidit decreta duo de feſto Conceptionis B. M. Virginis, Bullas, & Conſtitutiones plures.

Erat olim Piſauri in laudata Bibliotheca Ducis Vrbini M. S. exhortatio contra Turcas ad princeps Chriſtianos.

Obijt Romæ die 12. Auguſti ſalutis anno 1494. ætatis 70. ſepultus in Vaticano cum ſequenti Epitaphio.

SIXTO IV.
Pontifici Maximo
Ex Ordine Minorum doctrina,
Et magnitudine animi

Omnis memoriæ Principi,
Turcis Italia ſummotis,
Auctoritate Sedis aucta,
Vrbe inſtaurata Templis,
Ponte, foro, Vijs,
Bibliotheca in Vaticano publicata,
Iubilæo celebrato,
Liguria ſeruitute liberata,
Cum modicè
Ac plano ſolo condi ſe mandaſſet
Iulianus Cardinalis,
Patruo benemerenti maiore pietate,
Quam impenſa facienda curauit.
Obijt Idibus Sextilis, hora
Ab occaſu 5. anno Chriſti
MCCCCLXXXIV.
Vixit annos 70. dies 22. horas 22.
Cum ſediſſet
Annos tredecim & dies quatuor.

De hoc Pontifice tractant Nicolaus Roccius in Vita, Ægidius Viterbienſis in hiſt. Panuinius, Pius II. in Commentarijs, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Fr. Lucas Vadingus in Minorum, Hippolytus Marraccius in Pontific. & in Biblioth. Mariana, Vbertus Folietta in Elogijs ligurum, Hieronymus Garimbertus, Mutius Panſa in deſcrip. Biblioth. Vaticanæ, Ambroſius Coroneus Prior Generalis Eremitarũ S. Auguſtini in Orat. funeb. Guillelmus Ferrerius Auditor Rotæ Romanæ in ſimili, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, alijſque omnes qui Pontificum Romanorum acta deſcripſerunt.

Franciſcus Sacratus nobilis Ferrarienſis cum in iuriſprudentiæ ſtudio nõ parũ profeciſſet Auditoratũ Rotæ Romanæ obtinuit, quem magiſtratum per annos 26. laudabiliter exercuit, Archiepiſco-

piſcopus deindè Damaſcenus, poſtmodum Datarius, demùm Presbyter Cardinalis à Gregorio XV. Romano Pontifice renuntiatur cum Titulo S. Matthæi in Merulana; Cardinalis electus à Datarij munere liber Academiam in domeſticis ædibus inſtituit Theologicam; quam ipſe benè callebat; deindè ad Cæſenatem Eccleſiam translatus eſt. E vita diſceſſit Romæ die 6. Septembris anno ſalutis 1623. ætatis 53. poſt obitum depoſitus in temporario ſepulchro apud S. Mariam de Anima ſine vlla memoria. Extant tanti viri Deciſionum volumina plura, quas elaborauit tempore quo ſedit inter iudices Romanæ Rotæ.

Tantum virum laudant Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ioannes Superantius in ſimulacro veri Paſtoris S. R. E. Auctarij, Ciaconij, Theodorus Amydenus in Vita & alij plures.

Franciſcus Sfondrattus nobilis Mediolanenſis, Nicolai Cardinalis, nec non Pontificis Romani Genitor; defuncta vxore, Presbyteris Cardinalibus Tit. SS. Nerei & Achillei primò; tum S. Anaſtaſiæ à Paulo III. adſcriptus panxit carmen heroicum de raptu Helenæ, Venetijs anno 1559. euulgatum. ſunt etiam publici iuris eiuſdem Epiſtolæ ad Fridericum Nauſeam & ad alios ſuo æuo doctrina præſtantes viros miſſæ.

Literæ verò negotiales quas ſcripſit Legatus Apoſtolicus in Germania aſſeruantur M.SS. in Vaticano; vti etiam Poema heroicum; & Orationes variæ. Cremonæ mortalem vitam, non tamen nominis immortalitatem amiſit pridiè kal. Auguſti anno 1550. ibidem iacet ſequenti ſepulchrali inſcriptione à filijs inſignitus.

D. O. M.

FRANCISCVS SFONDRATVS
Hic acquieſcit Baptiſtæ Filius,
Qui Senator, & Conſiliarius
Ludouico Sfortiæ
Valde clarus fuit,
Ob multas legationes,
Quas iuſſu ipſius obijt ad omnes
Et Reges & illuſtres Reſpublicas.

Hic

Hic Comes Littoris Larij
Ad Orientem vergentis,
Baroq; Aſſinæ Vallis
Ob egregiam fidem,
Prudentiamq: in Republica adminiſtranda,
Et
Admirabilem intelligentiam Iuris,
A
Carolo Allobrogum
Duce Senator illic creatus eſt,
Poſteàque à Franciſco II.
Inſubrum Duce
In Ordinem Senatorum Mediolani
Adſcriptus in ea dignitate
A
Carolo V. Imperatore,
Cum in ipſius ditionem Ciuitas redijſſet,
Retentus fuit.
Auctuſque Conſiliarij gradu.
Mortua vero vxore
Anna Vicecomite lectiſſima fœmina
Ab eodem ſumma
Cum pietate Senas miſſus eſt
Vt eorum Rempublicam
Diſcordijs vexatam conſilio ſuo regeret,
A quibus ob egregia ipſius merita,
Et
Ciuitate donatus eſt,
Et Pater Patriæ appellatus

Poſtea

Poſteà Romam à Paulo III.
Pontifice Maximo
Euocatus in Germaniam
Paulò poſt miſſus eſt,
Ab eodemque in ampliſſimum Cardinalium
Ordinem cooptatus
Ad Carolum Imperatorem
Magnis de rebus legatus eſt:
Ornatus demum
A
Sapientiſſimo,accerrimique iudicij Sene
Omnibus honoribus
Quibus Summi Antiſtitis
Perſona decorari poteſt,mortem
Obijt Anno MDL.
Cremonæ Patriæ Epiſcopus.
Nicolaus & Paulus
Eximia pietate præditi filij
Hoc monumentum
Poſuerunt.
Vixit annos LVI. Menſes IX.
Dies 7.

Meminere Franciſci Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Panuinius in uita, Ludouicus Cacitallus in hiſt. Cremonæ, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra. Antonius Maria Campi in hiſt. Cremonenſi, Antonius Sanderus in Elogijs, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Io: Baptiſta Adriani in ſua hiſtoria; Franc. Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Felix Contelorius in Elencho, Antonius Verderus in ſupplemento Geſneri, & Philippus Picinellus in Atheneo Mediolanenſi.

Fran;

Franciſcus Soderinus natione Italus, patria Florentinus, Thomæ Oratoris Reipublicæ ad Paulum II. filius omnium literarum, humanarumque ſcientiarum genere peritiſſimus, Piſis peracto Philoſophiæ curſu ad Iuriſprudentiam ſe contulit; Iuris vtriuſque Doctor Cæſareum, ac Pontificium publicè profeſſus eſt; à Sixto IV. Epiſcopus Volaterranus. Senator Florentinorum, Orator legatur pluries ad Pontificem, ad Carolum VIII. Regem Galliarum nec non ad Ludouicum XII. Hunc Alexander VI. Canonicum, Baſilicæ Vaticanæ primùm, mox Presbyterum Cardinalem ſub Titulo S. Suſannæ ad duas domos dixit; ſub Leone X. vti conſcius coniurationis in ipſum Romanum Pontificem meritas pœnas ſubijſſet, ni ad ipſius pedes prouolutus veniam publicè petijſſet. Ab Hadriano VI. ſucceſſore vnicè dilectus, in fine eumdem iratum ſua culpa ſuſtinuit. Epiſcopus Oſtienſis anno ſalutis 1524. ætatis 70. die 17. Maij, vel Iunij ex hac mortali vita diſceſſit, & in S. Mariæ de Populo breui hac inſcriptione ſepulchrali ornatus ſepelitur.

FRANCISCI SODERINI
Epſcopi Oſtienſis,
Et
Volaterrani Depoſitum.

Scipſit vt auctor eſt Pocciantius, complura, decretorum diffi-cultates enodantia quæ M. SS. apud Heredes aſſeruabantur.

Orationes item plures quas dixit in ſuis legationibus.

De hoc agunt Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Auberyus, Panuinius, Scipio Ammiratus de Epiſcopis Volaterranis & in hiſt. Florentina. Henricus Spondanus in Annal. Franciſcus Guicciardinus, Iacobus Naldius in hiſt. Hieroymus Garimbertus, Auctor Nomenclatoris, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Franciſcus Todeſchinus Picolomineus Senenſis, Pij II. Romani Pontifici ex Sorore nepos, in familiam Picolomineam adſcitus, agnomen, & inſignia gentilitia accepit. Adoleſcens optimæ indolis, & ad pietatem non minus, quam ad literas perdiſcendas diſpoſitus, humanioribus primùm ſtudijs, deindè iuri ciuili apud Peruſium diligenter incubuit, Doctoriſque lauream conſecutus

cutus eſt. Ex Adminiſtratore Eccleſiæ Senenſis, atque expro-thonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Euſtachij ab ipſo Patruo renuntiatus, Piceni, Maſſæ, ac Præſidentatus Farfenſis legationem ſumma Prouincialium beneuolentia adminiſtrauit. quo munere etiam functus eſt in Vrbe, dum Pius Anconam profectus eſt, & ſub Paulo II. in Germania. Pij patrui veſtigia ſequutus Viros doctos vnicè dilexit, & literis incubuit. Extant tanti viri Epiſtolæ multæ, datæ ad Marſilium Ficinum, M. Antonium Sabellicum, Angelum Politianum, & Iacobum Siluerium Epiſcopum Cremonenſem. Eſt etiam typis editus libellus Dionis de Regno, ex græco in latinum à ſe, de mandato Nicolai V. Pontificis conuerſus; recognouit opus de rebus geſtis Pij II. auunculi. Cum autem poſt Alexandri VI. obitum Petri Cathedram aſcendiſſet Pij III. nomen accepit, non niſi 26. diebus ſedit, obijt enim die 18. Octobris anno 1503. ſepultus apud S. Petrum in ſepulchro marmoreo cum ſequenti Epitaphio.

PIVS III.
Pont. Max.
A Pio II. auunculo duos,
Et viginti annos natus
In Cardinalium Collegium adſcitus;
Vrbis, ac Piceni legatione
Integriſſimè functus,
A
Paulo II. ad Fridericum III. miſſus
Vt
Germanorum arma in Turcas concitaret,
Conuentum frequentiſſimum
Pontificis morte diſſolutum
Habuit.
Sub Innocentio VIII.
Vmbros diſſidentes pacauit,
Carolo Galliarum Rege

 Italiam

Italiam irrumpente,
Ab
Alexandro VI.
Serò admodum miſſus,
Eo mortuo duodequadraginta
Patrum ſuffragijs
Pontifex creatus, dum de reſtituenda
In priſtinam maieſtatem
Chriſtiana Republica,
Ac Vrbe agit,
6. & 20. die è tanta expectatione rerum, publico
Omnium luctu deceſſit,
Eloquio, prudentia,
Religione, innocentia, & grauitate domi,
Foriſque inſignis,
In dicendis in Senatu ſententijs liber,
Et grauiſſimus.
Vixit Annos LXXIV. Menſ. V.
Dies 10.
Obijt anno ſalutis
MCCCCCIII.
15. Kalendas Nouembris.
Iacobus & Andreas Fratri
Sanctiſſimo poſuere.

Noſtra hac ætate huiſce Pontificis corpus iacet in Eccleſia S. Andreæ Vallenſis.

Franciſcum laudant Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Felix Contelorius in Elencho, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Iſidorus Vgurgieri Azzolinus in Pomp. Senen. Lud. Iacobus à

Sancto

Sancto Carolo in Bibl. Pont. Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes qui de Romanis Pont. ſcripſerunt.

Franciſcus Toletus natione Hiſpanus patria Cordubenſis è Societate Ieſu, cuius in diuina, humanaque Philoſophia, atque in ſacrarum literarum libris explicandis præſtantiſſimum ingenium, ſummam eruditionem, aureum, ſacrumque, quale veterum Sanctorum Patrum in concionibus eloquentiæ flumen, ſingularem in rebus agendis prudentiam, incorruptos benè inſtitutæ vitæ mores, omnes ſunt admirati, quique ſub Clemente VIII. Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transpontem renuntiatus ſcripſit excultu eloquio, & perpolito quantum per argumeta ſcriptionis licuit

Introductionem in logicam

Commentaria in logicam Ariſtotelis, & in octo libros Phyſicorum, in librum de generatione, & corruptione, & in librum de anima.

In Euangelium Ioannis, ac in 12. capita Euangelij Lucæ Commentaria.

Annotationes in Epiſtolam Pauli ad Romanos.

Summam Caſuum conſcientiæ, qua, Confeſſiones excipientes in examinandis ſingulorum peccatorum ponderibus tamquam trutina quadam vtuntur.

Sermones 15. in Pſalmum 1. & 30.

Tractatum in duo Epiſtolæ ad Romanos loca.

Concionum Tomos aliquot

Explicationem Bullæ Cœnæ. Quæ eſt in Bibliotheca Ambroſiana Mediolani. Commentarios in vniuerſam Summam D. Thomæ qui M. SS. in Romani Collegij Bibliotheca aſſeruantur.

18. Kal. Octobris anno ſalutis 1596. Romæ extinctus eſt; iacet in Baſilica liberiana, quam hæredem in vltimis tabulis ſcripſerat, ſub hoc titulo.

D. O. M.

FRANCISCO TOLETO
Cordubenſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card.

Summo Theologo,
Verbi Dei Prædicatori eximio
In rebus magnis agendis conſilio,
Et
Prudentia ſingulari
Qui ob eccellentem virtutem,
Et merita præclaro
Clementis VIII.
Pont. Max.
Iudicio
Primus in Societatem Ieſu
Ampliſſimam dignitatem intulit;
Vixit Annos LXIII.
Menſes xi. dies 10.
Obijt anno MDXCVI.
Die 14. Septembris
S. Dei Genitrice hærede inſtituta,
Presbyteris qui ad eius Altare
Miſſas celebrent
Cenſum perpetuo attribui iuſſit.
Benedictus Iuſtinianus,
Et
Petrus Aldobrandinus Cardd.
Executores Teſtamentarij Collegæ optimo,
Et Capitulum, & Canonici
Huius Baſilicæ, Viro ampliſſimo,
Et
Optimè de ſe merito poſuerunt

In pa-

In pauimento eiuſdem Eccleſiæ

Oſſa Franciſci Cardinalis Toleti.

Huiuſce Cardinalis res geſtas explicant Philippus Alegambe in Biblioth. Soc. Ieſu, Hippolitus Marraccius in purpura & in Bib. Mariana. Hiſtoriarum Soc. Ieſu Auctor, Ciaconij Auctarij, Io: Euſebius Nierembergius in Vita, Antonius Sanderus in Elog. Henricus Lud. Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Aloyſius Beuia in Vita, Guido Cardinalis Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Ioſeph Scaliger in Elencho & in Caſtigat. Calendarij, Io: Rho in Exemplis virtutum, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Paulus de Angelis in deſcriptione Baſilicæ liberianæ, Henricus Albi in Elog. Ludouicus Donius Dattichy & alij plures.

Franciſcus Turnonius ſeu de Turnone Regibus Galliarũ affinis, S. Antonij Viennẽſis Alumnus, & Generalis, Præfectus fori Seguſianorum, Archiepiſcopus Ebredunenſis, Bituricenſis, exigentibuſque meritis S. R. E. Cardinalis renuntiatus à Clemente VII. Romano Pontifice, ſub Pio IV. Lugdunenſi, Veliternenſi, atque Oſtienſi Eccleſijs Epiſcopus, ſacroque Collegio Cardinalium Decanus præfuit, & Eccleſiam Romanam forti pectore ab Hæreticorum inſidijs tutatus ſemper eſt voce & calamo. Lutetiæ Pariſiorum in ſuo Roſilionenſi Palatio, ſeu apud S. Germanum in Laya, perfunctus multis laboribus, annis cumulatus, ac benefactis mortuus eſt 10. kal. Maij, annum agens tertium & ſeptuageſimum. Corpus translatum in Vrbem Turonenſem ad Rhodanum iacet in Templo Collegij Soc. Ieſu à ſe dotato, ædificatoque quod non tamquam Fundatori modò Collegij, ſed etiam veluti totius Ordinis Parenti ob ſingularem in ſe pietatem, meritos ſuffragiorum honores liberaliter ſoluit, hocque appendit Epitaphium.

D. O. M.

Æternæque memoriæ
FRANCISCI A TVRNONE
Epiſcopi Oſtienſis,

Sacri

Sacri Cardinalium Collegij Decani,
Eccleſiæ Lugdunenſis Antiſtitis,
Galliarum Primati,
Qui poſt impenſam Chriſtianiſſimis Regibus
Franciſco I. Henrico II.
Alteri quoque Franciſco,
Poſtremum Carolo IX.
Maximam in rebus annos L.
Felicem, ac memorabilem operam,
Poſt procuratas ſingulari fide,
Et
Non mediocriter auctas Regum,
Populique Gallici maximas vtilitates,
Poſt ſæpe compoſitos,
Pacificatoſque grauiſſimos,
Et
Periculoſiſſimos bellicorum
Diſſidiorum actus,
Poſt conciliatos quoties res tulit
Summorum Pontificum,
Et
Magnorum Principum animos,
Poſt aſſertam inuicta animi
Conſtantia aduerſus Hæreticorum tumultus
Catholicæ doctrinæ veritatem,
Denique poſt exibitum
In omni vitæ parte præclarum,
Integerrimum, ac pientiſſimum Pontificis
Specimen extructo

Hoc

Hoc lapide quadrato Gymnaſio ſapientiæ,
Pietatiſque Academia inſtituta,
Et
Societatis Ieſu curæ perpetuò tradita,
Deo Optimo Maximo
Tot bonorum auctori animam
Piè commendauit,
Ac
Reddidit anno MDLXII.
Decimo Kal. Maij, ætatis ſuæ
LXXIII.
Apud S. Germani in Laya.

Extant Franciſci acta Synodi Bituricenſis, & literæ eruditiſſimæ ad diuerſos; illæ ad Cardinalem Triuultiū cum alijs Virorum illuſtrium editæ Venetijs 1574.

Debitis laudibus Franciſcum hunc cumulant Auctores Galliæ purpuratæ & Chriſtianæ; Auberyus, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Panuinius, Fælix Contelorius in Elencho; Iac. Auguſtus Thuanus in hiſt. Michael Hoſpitalius, Aymarus Falco in hiſt. Antoniana; Petramellarius, Genebrardus, Marchiſius; Gaulterius, Muretus, Vitalis, Vicentius Laurus Card. in Vita, Petrus Caſtellanus, Matiſconenſis Epiſcopus in Orat. funebri, Ludouicus Donius Dattichy in hiſt. Cardinalium & alij plures.

Franciſcus Ximenius Ciſnerius natione Hiſpanus in baptiſmo Gonſaluus nuncupatus, iam Laureatus & ſacerdotio initiatus ſacro Minorum Ordini ſe dedit, ex quo ad Archiepiſcopatum Toletanum, ad ſupremam Quæſitoris dignitatem, & ad ſacram purpuram inuitus vocatus, non modo Toletanam Eccleſiam, ſed Hiſpaniam totam, nec non Rempublicam Chriſtianam vniuerſam; & Minorum familiam doctrina, pietate, liberalitateque in Pauperes illuſtrauit. Academiam Complutenſem excitauit, Oranum expugnauit, Bibliorum quatuor linguarum editionem ſummo ſtudio; & magnis impenſis curauit, in qua quinquaginta millium aureorum ſummam impendit. Literis enim mirè recreabatur, quarum ſemper fuit ſtudioſus. Solemne hoc

hoc illi fuit vt à prandio & cœna doctæ Quæſtiones de rebus præſertim ſacris proponerentur, de quibus viri eruditi, qui ſemper aderant, diſputarent. ſanctitate clarus animam efflauit 6. Idus Nouembris anno ſalutis 1517. ætatis circiter octogeſimo, Pontificatus Toletani 22. Corpus delatum ad Ædem Complutenſē Sācto Ildephonſo ſacratā, vt ſupremis tabulis iuſſerat ſepulchrum habet è lunenſi marmore candidiſſimo factum ſub hoc Epigrammate.

Condideram Muſis Franciſcus grande lycæum,
Condor in exiguo nunc ego ſarcophago.
Prætextam iunxi ſacco, galeamque galero
Frater, Dux, Præſul, Cardineuſque Pater.
Quin virtute mea iunctum eſt diadema cucullo
Cum mihi regnanti paruit Hiſpania.

Anno ab Academia Complutenſi condita 58. Alphonſus Mendozius Rector ferreris cancellis miro opere elaboratis monumentum cingendum curauit, ſexdecim quibus licuit ſpatijs totam Ximenij vitam cœlaturis præclaris oſtentantibus.

Auctor fuit Ximenius literarum ad Carolum Bouillum, & alios ſcriptarum. Extant eiuſdem Decreta, & Conſtitutiones ſaluberrimæ pro Clericis Toletanis.

Præter Bibliorum volumina, Toſtati quoque opera ſuis impenſis typis Venetis euulgauit.

Franciſci Ximenij acta explicarunt ſcriptis Aluarus Gomecius, Fr. Lucas Vadingus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Antonius Sanderus latino idiomate, hiſpanico vero Eugenius de Robles. Marcus Vlyſſiponenſis, Antonius Daza. Italico Bartholomæus Cimarelli, & Hieronymus Garimbertus, Gallico Auberyus, Michael Gaudier, Hilarion de Coſte & Henricus Albi; Petrus de Quintanilla Mendoza Ordinis Minorum in libro prænotato Oranum Ximenij virtute Catholicum, & Henricus Spondanus in Eccl. Annal. eiuſdem præclara facinora expreſſerunt, vti etiam alij plures.

Franciſcus Zabarella nobilis Patauinus Pontificio, ac Cæſareo iure, nec non dicendi facultate inſignis, vt meritò inter ſui æui Oratores, & Iuris peritos primæ notæ locum omnium votis ſit aſſecutus. Tantum virum Ioannes XXII. dictus XXIII. Romanus Pontifex ex Epiſcopo Florentino Diaconum Cardinalem SS. Coſmæ & Damiani nominauit, eoque vſus eſt ad

congre-

congregandum Concilium Conſtantienſe in quo dum Pontificis abſentis vices gereret annum octauum ſupra ſeptuageſimum, ſeu ex alijs octogéſimum ſuæ ætatis agens, 8. Idus Nouembris, vel 26. Septembris extinctus eſt. Synodi Patres eius inferias celebrarunt, cohoneſtante Sigiſmundo Imperatore funeris pompam. Poggius Florentinus funebri Oratione eum exornauit. Oſſa in Cathedrali Patauina, in Sacello ab ipſomet Diuæ Virgini Mariæ dicato ſublimiori in loco ſita, tali memoria decorantur.

FRANCISCO ZABARELLÆ
Florentiæ Archiepiſcopo
Viro optimo, Vrbi,
Atque Orbi gratiſſimo,
Diui, humanique Iuris Interpreti
In Cardinalium Collegium
Ob
Summam Sapientiam cooptato,
Ac
Eorundem animis Pontifici propè Maximo
Ioanne XXII.
Eius ſuaſu abdicato, ante
Martinum V.
Ob ſingularem probitatem
In Concilio Conſtantienſi deſtinato.
Ioannes Iacobi viri clariſſimi filius
Id monumenti ponendum
Curauit.
Vixit Annos LXXVIII.
Obijt Conſtantiæ
MCCCCXVII.

Scripſit dum vixit

Commentariorum Tomos ſex in Decretales & Clementinas.

Commentarios in naturalem & moralem Philoſophiam Ariſtotelis

De horis Canonicis Tractatum.

De Schiſmate alium.

Sui temporis hiſtoriam.

De felicitate libros tres

Conſiliorum Tomum vnum.

In Decretum Scholia

Varias legum Repetitiones.

In vetus, & nouum Teſtamentum Notas.

Opuſcula de artibus liberalibus.

Opuſcula alia varia.

De natura rerum diuerſarum librum.

Acta Conciliorum Piſani, & Conſtantienſis

Volumen Orationum & Epiſtolarum.

Eſt huius Cardinalis mentio apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Iacobum Cauaccium in hiſt. S. Iuſtinę, Antonium Riccobonum de Gymnaſio Patauino, Angelum Portinarium de felicitate Patauina, Antonium Sanderum in Elogijs Cardinalium, Hieronymum Garimbertum, Henricum Spondanum in Annal. Eccl. Felicem Contelorium in Elencho, Hippolytum Marraccium in Purpura Mariana, Laurentium Schraderum in monumentis Italiæ, Auberyum, Ciaconium cum Auctarijs, & alios plures,

Fridericus Gozzellonis Ducis Lotharingiæ filius à Victore II. Presbyter Cardinalis ex Diacono conſecratus in Titulo S. Chyſogoni, poſt obitum ipſius Victoris Cleri ſuffragijs renuntiatus Pontifex ſub nomine Stephani X. Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per Menſes ſeptem, & duodetriginta dies, ſcripſitque de veritate Corporis Chriſti cõtra Michaelem Patriarcham Opus, & de eadem re contra Monachum quemdam aliud.

Epiſtolas item multas ad diuerſos.

Cum eſſet S. R. E. Bibliothecarius & Cancellarius Priuilegia Caſinenſibus Monachis conceſſa collegit in vnum

Obijt Florentiæ 4. kal. Aprilis anno Dominicæ Natiuitatis 1058.

De hoc tractant Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Panuinius in Epitome, S. Antoninus,

toninus, Iacobus Gaulterius in Tabula Chrono. Ioannes Stella, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Fulnius Corneus Peruſinus Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Via ſub Iulio III. cuius erat ex Sorore nepos, iuſſu Romani Pontificis Eccleſiaſticas cæremonias antiquas in Aula Romana correxit, nouis ſuperadditis. Romæ die Lunæ 11. Martij anno ſuæ ætatis ſexto ſupra ſexageſimum, ſalutis humanæ 1583. Epiſcopus Portuenſis è vita migrauit; in S. Petri Eccleſia apud Minores Obſeruantes in Monte aureo ſepulchrum habuit ſub hoc Titulo.

D. O. M.

FVLVIVS CORNEVS
Epiſcopus Portuenſis
Card. Peruſinus Sacellum
Hoc
Ab Antonio de Monte,
Et
A Iulio III. Pont. Max.
Auunculo ſuo exornatum
In ſui Corporis ſepulturam
Eligens annuo perpetuo redditu
Pro ornamentis altaris ſubminiſtrandis
Duobuſque Anniuerſarijs pro ſua,
Et
Eiuſdem Antonij de Monte
Anima celebrandis.
Obijt
Die 11. Martij MDLXXXIII.
Ætatis ſuæ LXVI.

Fulnium Cardinalem celabrant Ciaconius cum Auctarijs,
Auberyus, Petramellarius, Io: Baptiſta Laurus in hiſt. Peruſiæ,
Hippolytus Marraccius in purpura Mariana.
Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra,
Nicolaus Orlandinus,
&
Franciſcus Sacchinus in Societatis Ieſu,
Hiſtorijs, Horatius Turſellinus in
lauretana hiſtoria, &
alij plures.

G

GAbriellis Epiſcopi Sabinenſis in Sicilia Legati Apoſtolici ſub Martino IV. Romano Pontifice Conſtitutiones ſunt in Bibliotheca Regia Gallica, vt refert Philippus Labbe in Bibliotheca M.SS.

Gabriel Condolmerius Venetus ex Presbytero Cardinali S. Clementis euulgatus Pontifex Maximus, Eugenius IV. nuncupatus, ſedit in Cathedra Petri annos quindecim menſes vndecim, dies viginti vnum non ſine contradictione multorum, qui confugerant ad Concilium Baſilienſe. vt autem Eccleſiæ prodeſſet etiam calamo ſcripſit libellum contra Concilium Baſilieenſe, quem publici iuris fecit Binius; compoſuit etiam librum contra Bohemos, & Huſſitias hæreticos, ac Decretum de vnione Græcorum cum latinis, nec non Epiſtolas varias, & Concilium Florentinum œcumenicum.

Rebus humanis excedens 7. kal. Martij anno ſalutis 1447. ætatis 64. ſepulchrum ſortitus eſt in Vaticano his verſibus exornatum.

Eugenius iacet hic Quartus, cor nobile cuius
Teſtantur vitæ ſplendida facta ſuæ.
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar vterque pedes.
Alter vt accipiat fidei documenta latinæ,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenij Græcorum exempla ſequuti
Romanam agnorunt, Æthiopeſque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mundique è finibus Indi,
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Turcos iam claſſe petebat
Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos mundi contempſit honores,
Atque hac impreſſa condite dixit humo.
Sed non quem rubro decorauerat ille galero
Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit.
Suſcepitque memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis tam præſtans ſurgere iuſſit opus.

De hoc agunt Platina, Ioannes Cochlæus in hiſt. Huſſitarum, Panuinius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Iac. Philippus Thomaſinus in Annal. Canonicorum ſecularium, Vadingus in Minorum, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Franciſcus Sanſouinus in hiſt. Veneta Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Acta Concilij Baſileenſis, Mutius Panſa in deſcrip. Biblioth. Vaticanæ. & alij quamplures.

Gabriel de Grandmont, ſeu de Acromonte nobilis Gallus ex Epiſcopo Conſeranenſi & Tarbenſi Presbyter Cardinalis S. Ioannis ante portam latinam renuntiatus à Clemente VII. dum Regis Gallici Oratoris munere in Vrbe fungeretur. Præfuit etiam diuerſis temporibus Pictauienſi, Burdegalenſi, ac Toloſanæ Eccleſijs. Supremum diem obijt in Gallia menſe Martij, vel Maij anno quarto ſupra trigeſimum ſeculi decimi ſexti à partu Virginis. Extat huiuſce Cardinalis Oratio habita coram Rege Anglo in Senatu, contra matrimonium quod Regi ſuadebant Senatorum plures cum Catharina Hiſpanica.

Eſt huiuſce mentio apud Auctores Chriſtianæ & Purpuratæ Galliæ, apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Ioannem Chenu de Epiſcopis Galliç, Panuinium, Felicem Contelorium, Sanderum de Schiſmate Anglicano, & alios multos.

Gabriel Paleottus Bononienſis genere quidem nobilis, ſed virtute, doctrina, & rebus geſtis nobilior, ex Rotæ Romanæ Auditore, patriæ primus Archiepiſcopus a Pio IV. Presbyteris Cardinalibus ſub titulo SS. Nerei & Achillei adſcriptus, præfuit Albanenſi, tum Sabinenſi Eccleſiæ, chriſtianæ Religionis propugnator indefeſſus, Ordinis Senatorij ſplendor, totiuſque Curiæ Romanæ ornamentum, ſcripſit.

Diatribam de Nothis & Spurijs.

De ſacris imaginibus, ac profanis libros duos. Ingolſtadij 1598.

De conſiſtorialibus conſultationibus librum. Romæ 1592

Opuſculum de bono ſenectutis, & aliud de Cœlibatu Sacerdotum.

Epiſcoporum Bononienſium Catalogum, Sermones plures, Epiſtolas varias.

Deciſiones Rotæ Romanæ, & Acta Concili Tridentini cui interfuit.

Archiepiſcopale Bononiẽſe, opus omnium caſuum ſummam conti-

continens, quæ ad rectam vniuſcuiuſque Diœceſis gubernationem deſiderari poſſunt. Romæ 1594.

De ratione & vtilitate conſultandi

Animam Deo reddidit Romæ anno reparatæ ſalutis 1547. ætatis quinto ſupra ſeptuageſimum 11. Kal. Auguſti. Corpus Bononiam translatum, iacet in Cathedrali ſub hoc titulo

Hic iacet Corpus
GABRIELLIS PALÆOTTI
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis
Archiepiſcopi Bononiæ
Primi
Cuius anima requieſcat in pace.

Meminere huiuſce Petramellarius, Ludouicus, Donius Dattichy, Iac. Auguſt. Thuanus in hiſt. Antonius Sanderus, Henricus Alby in Elog. Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Ferd. Vghellius in Ital. ſac. Iacobus Gaddius de ſcript. non Eccl. Hippolytus Marraccius in Biblioth. Mariana, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Trident. Concilij, Franciſcus Sacchinus in hiſt. Soc. Ieſu, Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi.

Galeottus Franciottus de Ruuere nobilis Lucenſis, Io: Franciſci, & Luchinæ Sororis Iulij II. filius, in Sacrum Collegium à Patruo cooptatus, Titulum S. Petri ad vincula, aliàs Eudoxiæ, quem ipſe Iulius habuerat, accepit, renuntiaturque S. R. E. Vicecancellarius, Epiſcopus Lucenſis, Patauinus, Vicentinus, Cremonenſis, Archiepiſcopus Beneuentanus, & Legatus Bononienſis, at in tantæ ſecundæ fortunæ proſperitate vix terris per quinquennium monſtratus incredibili Ioannis Medici Cardinalis & populi Romani dolore, febri correptus die 11. Septembris anno 1508. terram Galeottus reliquit, vt Cœlum aſcenderet in ipſo ætatis flore. Corpus in Vaticano ſepulchrum habuit ſub hac Epigraphe.

Depoſitum
GALEOTTI

Cardina-

S. Petri ad vincula.

Nunc ab anno 1625. Iacet in ſacello Sanctiſſimi Sacramenti in ipſo Sixti IV. ſepulchro.

Extant nonullæ Odæ etruſca lingua ſui ingenij indices

Celebrant Galeottū Ciaconius cū Auctarijs, Panuinius, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Marius Vipera de Archiep. Beneuentanis, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſt. Pedemontana, Michael Iuſtinianus in Syllabo Scrip. ligurum & alij plures.

Galeottus Tarlatus de Petra mala cognominatus, natione Italus, patria Aretinus ab Vrbano VI. renunciatus Diaconus Cardinalis S. Agathæ in Suburra, deinde ſub Clemente VII. Pſeudopontifice præfuit Diaconiæ S. Georgij in Velabro; vita exceſſit Aſſiſij, alijs Auenione in obedientia Benedicti *XIII.* anno *1396.* & ſepultus apud Aluerniam in ſummis Appennini iugis, apud Fratres Minores in ædicula quam ipſe ſibi viuens extruxerat.

Huius Cardinalis litteræ ad Iacobum de Campo Fregoſio cum alijs Principum latina lingua, typis Venetis euulgatæ anno 1574.

Meminere huius Cardinalis Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Panuinius, Auberyus, Contelorius, S. Antoninus, alijque plures.

Galfridus, ſeu Gualfridus cognomento Arthurius Anglus S. R. E. Diaconis Cardinalibus ſub Eugenio III. Romano Pontifice adſcriptus Britanici Regis intuitu, & Epiſcopus Eluenſis alijs Aſſaphenſis renuntiatus; Magnæ apud Robertum Henrici Regis filium auctoritatis ſcripſit

In fragmantum Gildæ Opus
Commentarium de corpore & ſanguine Domini
Vitam Merlini Caledonij
Chronicon, vel hiſtoriam Britonum.
Commentarios iu Merlinorum Prophetias
Arthuri Regis geſta libro vno.
Ad Gualterum Oxonienſem opus
Diuerſi generis carmina
De Exilio Eccleſiaſticorum opuſculum

Tranſtulit in latinum ſermonem Britannorum Hiſtoriarum libros octo, quos vſque ad annum Chriſti 1170. perduxit. Habentur M. S. Cantabrigiæ, in Collegio S. Benedicti.

Præ-

Prædictiones Ambroſij Merlini

Obijt ſub Alexandro III. eſt huiuſce mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Auctorem Nomenclatoris Cardinalium, Ioannem Pitſæum de ſcrip. Angliæ, & alios.

Gallo, ſeu Gualus natione Gallus ex Canonico Regulari S. Auguſtini Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu à Paſchali II. Romano Pontifice electus, Bellouacenſem primò, tum Pariſienſem adminiſtrauit ex aliquibus Eccleſias, ſcripſitque ſtatuta Synodalia Pariſienſia, quæ in Bibliotheca Patrum reperiuntur cum aliquibus Conſtitutionibus quæ leguntur Tomo 26. Conciliorum. Gallionem hunc Cardinalem à Pariſienſi Epiſcopo diſtingunt Sammarthani Tomo 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 429. vnum, eundemque faciunt Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ciaconius, cum ſuis Auctarijs, & alij plures.

Gaſpar de Aulos natione Hiſpanus, patria Muricenſis à Paulo III. Pontifice Maximo die 19. Decembris anni 1544. Præsbyteris Cardinalibus abſens adſcriptus, Granatenſis Academiæ, quam fundauerat, & pro illius ædificio ſcuta quadraginta millia effuderat, Conſtitutiones, iubente Clemente VII. ſcripſit. Regulas etiam edidit pro Collegio S. Catherinæ, & Cœnobio S. Franciſci in eadem Vrbe à ſe erectis.

Obijt in Hiſpania die 2. Nouembris menſis, anno 1545. iacet Compoſtellæ in Æde S. Iacobi cum hoc Epitaphio.

Illuſtriſs. Dom.
GASPAR DE AVOLOS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis
Compoſtellanæ verò Archiepiſcopus,
Eccleſiis Gerundenſi,
Et
Granatenſi præfuit
Qui
Cum illas ſanctiſſimè gubernaſſet
Ad Compoſtellanam translatus

L l Ibique

Ibique Cardinalis dignitate ſubſcriptus,
Orationi & Sacrarum literarum
Prædicationi aſſiduè vacans,
Suoque probatiſſimo
Vitæ exemplo confirmans
Feliciter migrauit ad Dominum
Anno ſalutis MDXLV.

De hoc Cardinali agunt Panuinius in Epitome, Auberyus, Gaſpar de Porregnas in Elogio, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Gaſpar Carpineus Romanus, ex Auditore Rotæ Romanæ, à Clemente X. Pontifice Romano primò Datarius, deindè S.R.E. Presbyter Cardinalis S. Silueſtri in Campo Martio die 22. Decembris anno 1670. renuntiatus, ſcripſit dum Iudex fuit in Rota Romana Deciſiones plures. Viuit hoc anno 1675. in Vrbe eiuſdem Clementis Datarius, & Vicarius, Auunculus Lauræ Catharinæ Principis Alteriæ.

Gaſpar Contarenus natione Italus, patria Venetus à Paulo III. Pontifice verè Maximo Diaconus primùm, S. Mariæ in Aquiro, tum Presbyter S. Balbinæ, S. Apollinaris, S. Vitalis, ac Praxedis, generis nobilitate, morum integritate, doctrinæque præſtantia clariſſimus migrauit è vita Bononiæ Kal. Septembris anno 1542. Corpus in D. Petronij lateritio in tumulo depoſitum, eo conſilio vt Venetias ad Diuæ Mariæ de Horto apud Maiores exportaretur, quod factum eſt, ibidemque collocatum ſub hoc Titulo.

GASPARIS CONTARENI
S. R. E.
Cardinalis oſſa
Cuius admirandam integritatem, doctrinam,
Ac
Eloquentiam in vtraque Repub.
Et apud ſummos

Reges

Reges geſta & ſcripta teſtantur.
Bononiæ Legatus
Pontificius naturæ ceſſit
MDXLII.
Vixit Annos LIX.
Aloyſius Eques,
Et
Gaſpar ex fratre Nepotes
Tanto Viro P.

Scripſit Gaſpar libros duos contra iudicium Pomponatij de immortalitate animæ.

De Elementis libros quinque
De officio Epiſcopi duos
De poteſtate Pontificum libros duos, vnum in vſu clauium, alterum de poteſtate Rom. Pont.
De Magiſtratibus, reque pub'ica Veneta libros quinque.
Synodorum omnium compendium
De ritibus, cœremonijſque noſtræ religionis, ac de Sacramentis Eccleſiæ libros 5.
Inſtitutionem Chriſtiani hominis.
Illuſtrationes in D. Pauli Epiſtolas.
Epiſtolarum ad diuerſos volumina plura, vtraque lingua, italica videlicet & latina.
Libellos pios plures.
Interpretationem cantus Hæbreorum, Ad te leuaui.
Libellum de æſtu maris
Tractatum quo probat non dari quartam figuram Syllogiſmi quæ dicitur Galeni.
Tractatum de Homocentricis
Tractatum de ratione anni
Confutationem articulorum Lutheri
De libero arbitrio
De Prædeſtinatione opuſcula
Orationem ad Epiſcopos Germaniæ de corrigendis moribus Eccleſiaſticorum
Relationes legationum, quas geſſit ante purpuram

Contareno literas dedere Iacobus Sadoletus, Petrus, Bembus, Ioannes Matteius, & Nicolaus Ardinghellus. Meminere eiuſdem Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Garimbertus, Petrus Iuſtinianus in hiſt. Veneta, Balthaſſar Bonifatius de familia Contarena, Horatius Turſellinus in hiſt. Lauretana, Petrus Maffeius in Vita S. Ignatij, Nicolaus Orlandinus in hiſt. Soc. Ieſu, Iouius in Elogijs, Miræus in Chronico, Contelorius in Elencho, Sanſouinus in deſcrip. Venetiarum, Ferd. Vghellius In Ital. ſacra, Iacobus Gaddius de Script. non Eccl. Nicolaus Barbadicus in vita, Antonius Sanderus in Elogijs, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Ludouicus Donius Dattichy in hiſt. Card. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium & alij plures.

Gaſpar de Quiroga Hiſpanus Archiepiſcopus Toletanus & Presbyter Cardinalis S. Balbinæ à Gregorio XIII. Pont. Max. renuntiatus literas dedit Clero Toletanæ Eccleſiæ pro Officijs Sanctorum ſuæ Diœceſis à Gregorio approbatis, quæ literæ ſunt cum ipſis Officijs, ac Synodo Toletana typis euulgatæ. Naturæ debitum ſoluit 12. Kal. Decembris anno 1594 iam grandæuus, nonageſimum enim iam attigerat ſuæ ætatis annum. Matriti multis millibus aureis in Pauperes erogandis relictis. Corpus in Oppidum Madrigalium, patrium familiæ ſolum translatum, iacet in Eccleſia S. Auguſtini à ſe cum Monaſterij proximi ædibus constructa, duobuſque aureorum millibuſque in ſingulos annos ditata, ſub hac Epigraphe.

Hic iacet

GASPAR DE QVIROGA

Cardinalis,

Et

Archiepiſcopus Toletanus,

Hiſpaniarum primas,

Supremus Caſtellæ Cancellarius

Et

Et aduerſus hæreticam prauitatem
Inquiſitor Generalis,
Italiæ Præſes,
Philippi II. Catholici Regis
Status Conſiliarius.
Obijt nonageſimum ætatis annum agens
12. Kal. Decemb.
Anno Natiuitatis Domini
MDXCIV.
Supra dicto Rege regnante
In Hiſpania.

Huius Cardinalis laudes referunt Auctarij Ciaconij, Petramellarius, Antonius Sanderus in Elogijs, Franciſcus de Piſa in hiſt. Toletana, Gaſpar Porregnus in Elogijs Card. Hiſpanorum, Michael de Aninyon in Tractatu de Vnitate Ouilis & Paſtoris, Vincentius Ricbardus & alij.

Gelaſius Africanus ex S. R. E. Cardinali euulgatus ſub eodem nomine Pontifex Maximus præfuit Eccleſiæ vniuerſali annis 4. Menſibus 8. diebus vndeuiginti, ſcripſitque Epiſtolas varias, quarum tredecim ſunt in Tomo 3. Conciliorum cum Notis Binij, quarum prima eſt ad Euphemianum, ſiue Euphemium Epiſcopum. II. ad Laurentium de Ligerido Epiſcopum. III. ad Epiſcopos Dardaniæ. IV. ad Fauſtum Magiſtrum fungentem legationis officio. V. & VI. ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum. VII. ad omnes Epiſcopos per Picenū. VIII. ad Anaſtaſium Imperatorem. IX. ad Epiſcopos Lucaniæ. X. ad Epiſcopos Siciliæ. XI. ad Epiſcopos Dardaniæ, & Illyrici. XII. ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum. XIII. ad Epiſcopos Dardaniæ.

Scripſit etiam exemplar geſtorum de abſolutione Miſeni Epiſcopi in Concilio 55. Epiſcoporum anno Domini 495. tertio Idus Maij.

Præterea de anathematis vinculo librum.

Notitias de Sacra Scriptura, & de libris Apocryphis.

Apologiam aduerſus Andromacum Senatorem, cæteroſque Romanos Lupercalia conſtituentes.

Tracta-

Tractatum aduerſus Græcos

Dicta aduerſus Pelagianam hæreſim

Hymnos Eccleſiaſticos plures

Aduerſus Arium hæreticum libros duos

Orationes multas quas per annum in Miſſæ ſacrificio recitamus.

Perierunt in Sancti Pauli Epiſtolas annotationes, quas viri doctiſſimi dicebant à Gelaſio Papa Vrbis Romæ fuiſſe conſcriptas; quæ teſte Caſſidoro cap. 8. de inſtitutione diuinarum Scripturarum, Pelagiani erroris veneno fuerunt reſperſæ ab ijs, qui res vitioſas ſolent glorioſi nominis auctoritate defendere.

Auctor etiam fuit decem ſacrarum Præfationũ quas Romana Eccleſia diebus ferialibus, ac feſtis Natiuitatis, Epiphaniæ, Quadrageſimæ, Crucis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, & Apoſtolorum in ſacris Liturgijs recitandas exhibet. Dicitur etiam Auctor Ordinis Romani

Item Epiſtolarum ad diuerſos.

Et librorum quinque aduerſus Neſtorium & Eutychetem.

Annus Chriſti 496. nec non xi. Kal. Decembris nouiſſimæ fuere huic Pontifici, qui poſt obitum ſepultus in Vaticano.

Eſt Gelaſij inter Sanctos relati mentio in Martyrologio Romano ſub die indicata, in illo Bedæ & Vſuardi 13. Kal. Decembris, apud Baronium in Annal. & in Notis, apud Ciaconium, Platinam, Panuinium, Bellarminum & alios plures.

Fr. Gentilis de Monte Flore natione Italus, Picenus, Ordinis Minorum Theologus primæ notæ, ex Lectore Sacri Palatij inter Presbyteros Cardinales à Bonifacio VIII. cum Titulo SS. Silueſtri & Martini in Montibus cooptatus, ſcripſit Homilias ad Populum habitas, vt refert Eiſengrenius

Et Opuſcula plura teſte Toſſignano.

E vita migrauit Auenione die 27. Octobris anno 1312. Corpus in Italiam translatum Aſſiſij in Eccleſia S. Franciſci in Sacello Sanctis Ludouico & Martino erecto à ſe, ſepulchrum habuit.

De Gentili Cardinali tractant Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Gaſpar Iongellinus de Cardinalibus Minoritis, Antonius Sanderus in Elogijs, Odericus in Annal. Eccl. Spondanus, Vadingus, Bzouius, Auctor Nomenclatoris & alij plures.

Georgius de Amboſia Gallus, Petri Amboſiani Principis filius natu maior in iure Pontificio egregiè exercitatus, vir acris ingenij & prudentiæ incomparabilis, Epiſcopus primò Narbonenſis,

nenſis, deindè Rotomagenſis, tum S. R. E. Cardinalis ab Alexandro VI. renuntiatus Galliam Legatus Apoſtolicus viſitauit, Caſtellæ regnum luſtrauit, Prorex Mediolanenſem Ducatum rexit; Lugduni mortem ſubijt die 25. Maij anno 1510. ſeu 1511. ætatis 50. vel 51. quem morti proximum decumbentem Ludouicus Rex Galliæ ſua cohoneſtauit præſentia, exequijſque interfuit, & omnia ab eo geſta laudauit. Cadauer Rotomagũ delatum iacet in Templo Metropolitano penè aram principem tumulo magnificentiſſimo ſub hoc Epitaphio.

Paſtor eram Cleri, Populi Pater, aurea ſeſe
Lilia ſubdebant, Quercus & ipſa mihi.
Mortuus en iaceo, morte extinguntur honores,
At virtus mortis neſcia, morte viget.

Extant huiuſce Cardinalis literæ plures, quæ vnico volumine compactæ aſſeruantur M. SS. apud ſuos, quarum aliquæ publici iuris ſunt Amicorum opera.

Georgij acta referunt Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpureæ. Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Auberyus, Panuinius, Iacobus Baudier in Vita, Henricus Alby, Hieronymus Garimbertus, Felix Contelorius in Elencho, Io: Mariana in hiſt. hiſpanica & alij plures.

Gerardus Allobrox cognomento Burgundio, Epiſcopus Florentinus S. R. E. Archidiaconus primò, tum Pontifex Maximus renuntiatus Nicolai II. nomen aſſumens Apoſtolicam ſedem per annos duos, Menſes ſex, & diem vnum moderatus eſt, ſcripſitque Epiſtolas varias, quarum tantum quinque inter Decretales numerantur; Deceſſit Romæ 5. Nonas Iulij anno ſalutis 1061. & ſepultus in Vaticano iuxta portam Iudicij cum ſequenti Epitaphio.

Conditur hoc antro ſacræ ſubſtantia carnis
Præſulis egregij Nicolai dogmate ſancto,
Qui fulſit cunctis, Mundum repleuit, & Orbem
Intactis nituit membris, caſtoque pudore
Quæ docuit verbis, actuque peregit opimo
Sydereæ plenus marſit ſplendore Sophiæ.
Cælorum claris quem ſeruant regna triumphis,
Vt veneret ſolijs procerum per ſecula natum.

De

De Nicolao tractant Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Leo Oſtienſis in Chronico, Paulus de Angelis in diſcriptione Baſilicæ Vaticanæ, Panuinius, Io: Stella, Pandulphus Piſanus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Gerardus Blancus natione Italus, ex Villa Gainaco Diœceſis Parmenſis, filius honeſti, ſed pauperis Viri, ex Canonico Parmenſi Prothonotarius Apoſtolicus primò, mox Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum, demum Epiſcopus Sabinenſis renuntiatus legationes geſſit in Hiſpania pro pace, in Anglia, & Gallia, atque ad Regem Siciliæ. Huius Conſtitutiones pro Siculis in hac legatione ſcriptæ habentur in Bibliotheca Regia Gallica.

Obijt Romæ Calendis Martij anno poſt Chriſtum natum 1302. & ſepultus in Laterano cum ſequenti prolixo, & barbaro Epitaphio.

Quiſquis ad Altare venis hoc ſacrificare,
Qui vel adorare mis Gerardi memorare,
Ortu Parmenſis, & Pontificis Sabinenſis.
Hoc attendas homo, per funus quid tibi promo.
Eſt fumus vnde ſumus, & tranſimus quaſi fumus.
Martius intrabat, annos Domini numerabant
M. ſemel, & C. ter, bis I. cum fine beato
Parmenſis natu, Sabinenſis Pontificatu,
Cardineo migrauit homo Gerardus honore
Miſſus ab arce Sion ſanans animas redijt,
De Hiſpanis, Francis, Apulis, Siciliaque
Mira viri virtus, parendi victima, qui ſe
Talibus expoſuit maribus, terris inimicis.
Huius morte nitens ſpeculum deperdit honeſtas,
Pontificum vita, Cleri modus, & via veri,
Virtutum grauitas, & mens, & practica iuris,
Sermo breuis, peſtem prodit prolixus, & hoſtem.
O mors impauida, crudelis mors homicida,
Febris & ô triſtis, quæ Gerardum rapuiſtis.
Iſte bonis bonus, & reprobis onus, iſte colonus
Pacis, Gaudentes hilarans, reparans pœnitentes.
Quot dilatare loca Sanctorum, reparare,
Quot proponebat, & quot bona mente gerebat,
Quot pia donauit, reparauit, ædificauit.

Si quiſ-

Si quiſquam noſſet, profectò dicere poſſet.
Per fragiles pontes mundanos prætereuntes
Ad Cæli montes, ſic mundi prætereuntes
Huius ab hac ara ſedis diſtantia rara
Pontificis ſculptam glebam tenet, atque ſepultam.
Quod patet impletum, præſens remouendo tapetum,
Actis exequijs quæ Pontificem decuerunt.
Delatum proprijs humeris, in humo poſuerunt.
Hunc ibi Siciliæ Rex, Rex Regum duo nati
Turba militiæ Comitum diuitum ſociati.
Per te concreſcat lector deuotè precamen.
Hic quoque Preſul Amen, iniugi pace quieſcat.

Celebrant Gerardum Ranuccius Picus in Appendice ad Sanctos Parmenſes, Camillus Tutinus in hiſt. familiæ Blanch, Hieronymus Garimbertus, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alijs.

Gerardus Caccianimicus natione Italus patria Bononienſis, Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem, & S. R. E. Cancellarius, & Bibliothecarius, mox Romanus Pontifex, ſub Lucij II. nuncupatione Petri nauim rexit per menſes XI. dies 14. ſcripſitque Epiſtolas plures, quarum tres leguntur Tomo 7. Conciliorum, & Tomo 12. Annalium Baronij; quatuor in in Chronico M. S. Vezalienſi, duæ in Bibliotheca Cluniacenſi, & nonnullæ apud Vghellium. Supremum diem obijt Romæ in Cliuo Scauri V. kal. Martij anno ſalutis 1145. ſepultus in Laterano.

De hoc agunt Panuinius, Pennottus, Sigonius, Ghirardaccius, Io: Nicolaus Alidoſſius, Gerardus, Vaſſæus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Iohnes Stella & alij omnes qui hiſtoriam Pontificiam deſcripſerunt.

Gerardus è Sancto Domaro natione Gallus, patria Lemouicenſis Clementis VI. Romani Pontificis ex Sorore nepos, Ordinis Prædicatorum ſupremus Magiſter ſub Clemente Patruo Presbyter Cardinalis S. Sabinæ ſcripſit, vt refert Corteſius quædam in Theologia, & Sermonum Volumen quod euulgauit. Animam efflauit anno ſalutis 1343. ſenex, alijs 1345. ſepultus apud Dominicanos Toloſanos, ſeu Auenionenſes.

Celebrant Gerardum Andreas Quercetanus in Clemente VI. Petrus Frizonius in Gallia purpuata, Antonius Senenſis in Chronico Ordinis Prædicatorum, Auberyus, Ciaconius cum

 Aucta-

Auctarijs, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho, & alij plures.

Gerardus Landrianus de Capitaneis natione, Italus, patria Mediolanenſis, ex laudenſi Comenſis Epiſcopus & Presbyter Cardinalis ab Eugenio IV. Romano Pontifice renuntiatus ſub Titulo S. Mariæ Tranſtiberim dictus eſt Cardinalis Comenſis. Interfuit Concilio Baſileenſi, à cuius Patribus legatus miſſus ad Britaniæ Regem, Orationem ad Regem, & regni Proceres habuit, quæ eiuſdem Concilij actis inſerta eſt. Viterbij è vita ſublatus eſt 8. Idus Octobris anno 1445. conditus ad Minores eiuſdem Vrbis cum ſequenti Epigraphe.

GERARDVS LANDRIANVS
Mediolanenſis
S. R. E.
Cardinalis ampliſſimus
Aliquot ſub Eugenio IV.
Legationibus functus
Viterbij VIII. Idus Octobris
MCDXLV.
Hic ſumma pietate conditur.

Huius acta referunt Panuinius, Auberyus, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, aliique quamplures.

Geruaſius Giancolettus de Clinchamp Gallus, Presbyter Cardinalis SS. Silueſtri, & Martini in Montibus ſub Martino II. dicto IV. in Theologia apprimè verſatus, ſcripſit quædam in ea materia, quorum ſolum fama ad nos peruenit. Lue peſtifera Romę ſublatus anno ſalutis 1287. ſepulchrum habuit in ſuo Titulo Equitij, in quo Epitaphij ſolum reliquiæ extant.

Hic iacet Dominus
GERVASIVS
Cardinalis

Ceno-

Cenomen . . . . amare ſta . . . .
LXIX. Conſtans
Et ment. . . . . . XL que
Miſce . . . . O in fine.

Huius meminere Paulus Corteſius, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Ciaconius, Io: Antonius Philippinus de Baſilica SS. Silueſtri & Martini, & alij plures.

Gibertus Borromæus nobilis Mediolanenſis ab Innocentio X. Cardinalium Senatui adſcriptus cum Titulo Pammachij, alijs SS. Io: & Pauli, cum iam ter Comitijs Vaticanis interfuiſſet ſcientijs plurimis ornatus è vita exceſſit anno 1670.

Extat huiuſce Cardinalis typis euulgata Epiſtola ad Vrbanum VIII. data, quando ſtudiorum curſu peracto lauream expetebat.

Celebrant Gibertum Auctarij Ciaconij, ac Nicolaus Angelus Caferrus in Synthemate vetuſtatis, & alij.

Gluſianus de Caſate natione Italus, Ciuis, & Archidiaconus Mediolanenſis ex Auditore ſacri Palatij à Nicolao III. conſtituto, Presbyter Cardinalis SS. Petri & Marcellini à Martino II. alijs IV. ſucceſſore renunciatus Eccleſiam ſui Tituli reparauit.

Nicolai III. Pontificis iuſſu declarationem Regulæ Minorum diſcuſſit, correxit, melioremque fecit.

Exceſſit Romæ è peſte VI. Idus Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1287. ſede vacante poſt obitum Honorij IV. ſepultus in Baſilica Lateranenſi ſub hoc epigrammate.

Anno Domini
MCCLXXXVII.
Menſis Aprilis
Die 8.

De Mediolano Comes hoc requieſcit in antro
Presbyter, & Cardo, veniat tibi ſplendore ab alto,
Lombardis charus, ipſorum gente creatus,
De patria clarus, de magno ſanguine natus.
Tu ſapiens pectus iuris vexilla ferebas!

Pauperibus largus ad praua per omnia tardus ,
Conſilio magnus , mitis , deuotus , vt agnus ,
Muneris acceptor rarus , tu iuſtus obiſti
Nominis illector , cur ſic citò morte ruiſti?
Hinc Mediolanum , Romanaque Curia plorat ,
Ne fleat in vanum pro te rogo , quilibet oret .

De hoc tractant Ciaconius cum Auctarijs , Auberyus in Vita , Vadingus in Annal. Minorum , alijque quamplures .

Goffridus , alijs Godefridus in Andegauis genere in primis claro , & nobili natus , Romæ ab Vrbano II. Romano Pontifice, cuius partes ſuſtinuerat , omniumque primus pedem in Laterano exoſculatus fuerat ; ex Abbate Vindocinenſi Ordinis S. Benedicti inter Presbyteros Cardinales cooptatus , cum Titulo S. Priſcę reuerſus in Gallias interfuit Concilijs Salmurienſi, & Aruernenſi Vrbanum , & Paſchalem hoſpitio excepit , ingenio fuit acri , & viuido in ſacris præcipuè literis , Canonibuſque exercitatus . Alpes pro Eccleſiæ Romanæ vtilitate duodecies traſcendit , ter etiam ab hoſtibus captus captiuitatem ſuſtinuit , ac vixit vſque ad extrema Honorij II. tempora , ſcripſitque Epiſtolarum libros quinque .

Opuſcula quindecim .

Sermones duodecim , inter quos ſex de B. Virgine Maria quæ omnia extant excuſa Lutetiæ Pariſiorum anno 1610 . opera Iacobj Sirmundi Soc. Ieſu .

Eſt huiuſce mentio apud Frizonium in Gallia purpurata, Ciaconium, Chronicon Vindocinenſe , Sammarthanos in Gallia Christiana , Marracium in Bib. Mariana , & alios .

Gregorius Anicius nobilis Romanus , Gordiani Senatoris , & Syluiæ ſanctiſſimæ matronæ filius ex S. R. E. Archidiacono renuntiatus Pontifex Maximus , Magni agnomen ob Anglos ad Chriſti fidem deductos , alijſque glorioſis actionibus ſortitus eſt. præfuit Eccleſiæ annis tredecim , menſibus ſex , diebus octo, aut decem , & ſcripſit

Moralis expoſitionis in Iob libros 38.

De cura paſtorali partes tres vnico libro .

Dialogorum libros 4.

Expoſitionis in Cantica librum vnum .

Expoſitionis in Ezechielem homilias 22.

In Euangelia homilias 40.

Expoſitionem in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

In

In primum librum Regum libros ſex
Epiſtolarum libros 12.
Reſponſiones ad vndecim interrogationes Auguſtini Anglorum Epiſcopi
Meditationes de Paſſione Domini
Salutationes ad quinque vulnera Chriſti
Sermones plures.
Exortationem ad Monachos
Concordiam quorumdam locorum Sacræ Scripturæ
Sacramentarium; ſeu Sacramentorum librum
De concordia teſtimoniorum libellum, ex labbè in Bibliotheca M. SS. Antiphonarium.
Librum prænotatum Speculum, eſt M. S. in Tabulario S. Petri in Vaticano, ex dono Iordani Cardinalis Vrſini.
Orationes pias
Vitam S. Benedicti, cuius Regulam olim profeſſus fuerat, & Pontifex confirmauit
De conflictu Virtutum, & Vitiorum librum vnum.
Hymnos plures quos Eccleſia in ſacris precibus tum feriarum, cum feſtorum dierum exibet Fidelibus recitandos, inter quos Stabat Mater doloroſa, &c. Quem terra, Pontus, ætera &c.
Præter iſta in Auctarij Græco-latini Tomo ſecundo & Tomo 12. magnæ Bibliothecæ veterum Patrum Pariſienſis, extat S. Gregorij liturgia, ſeu formula Miſſæ, diuinique Officij, cum interpretatione Græca Gregorij Codini, ex editione Pariſienſi Federici Morelli anno 1575. ad Ioannem à S. Andrea Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis Canonicum.
Hugo Menardus Ordinis Benedictini, Congregationis S. Mauri librum Sacramentorum S. Gregorij correctiorem, & locupletiorem edidit ex Miſſali M. S. S. Eligij Bibliothecæ Corbienſis, notiſque & obſeruationibus illuſtrauit Pariſijs in 4. anno 1642.
Vitam omnium planctu reliquit 4. Idus Martias, anno Dominicæ Natiuitatis 604. conditusque in Vaticano ſub his carminibus.

Suſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus aſtra petit, lethi nil iura nocebunt;
Cui vita alterius mors magis illa via eſt.

Pon-

Pontificis Summi hoc clauduntur membra ſepulchro
Qui innumeris vixit ſemper vbique bonis.
Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora veſte
Atque animas monitis texit ab hoſte ſacris.
Implebatque actu quidquid ſermone docebat
Eſſet vt exemplum myſtica verba loquens.
Ad Chriſtum Anglos conuertit pietate magiſtra,
Acquirens fidei agmina gente noua.
Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc paſtor agebat
Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hiſque Dei Conſul factus lætare triumphis.
Nam mercedem operum iam ſine fine tenes.

De hoc Pontifice tractant Martirologia omnia, Græcorum Menologia, Authores qui Vitas Romanorum Pontificum, & Sanctorum deſcripſerunt; Omnium primi Gregorij acta eulgarũt Paulus Monachus Caſſinenſis, tempore Caroli Imp. Ioannes Diaconus, Gregorius Turonenſis, Iſidorus de Viris illuſt. S. Ildefonſus, Beda in hiſt. Anglica, Paulus Diaconus de geſtis longobardorum, Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi, Lucas Tudenſis, & alij.

Gregorius patria Romanus Diaconus Cardinalis à Conſtantino Papa renuntiatus, poſt cuius obitum in Petri Cathedra ſedens per annos 14. Menſes 10. dieſque 21. dictus eſt Gregorius huius nominis ſecundus, vir optimus atque ſanctiſſimus, tantæque eruditionis ac facundiæ, vt facilè conuinceret omnes malè de Catholica fide ſentientes; ſcripſit Epiſtolas varias, quarum ſexdecim annotarunt Nicolaus Serarius, & Seuerinus Binius. Legitur etiam in Tomo 5. Conciliorum ex Codice M. S. vetuſtiſſimo Monaſterij Veingarcenſis Capitulare Gregorij iunioris datum Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero, aliiſque in Bauariam ablegatis. Liturgiam compoſuiſſe fertur, quæ extabat olim græcè Conſtantinopoli in Bibliotheca Patriarchali, teſte Antonio Verdero, quam ex Arabico in latinum vertit Victorius Scialac Arculenſis Maronita. dubitant tamen aliqui an hæc huius, vel alterius Gregorij ſit. Scripſit inſuper, affirmãte Petro Ricordato in hiſtoria Monaſtica librum Reſponſionum ad Iuſtinianum, alium contra Leonem Auguſtum & tertium ad Ioannem Conſtantinopolitanum. Eiuſdem literæ ad Leonem III. Imperatorum pro culutu ſacrarum

ima-

imaginum excuſæ ſunt Venetijs anno ſalutis 1574. cum alijs Principum diuerſorum.

Idem ſ mu tis perhibetur auctor Epiſtolarum, quæ præfixæ ſunt Concilio Nicœno II. at ex indictionibus adſcriptis, alijſque indicijs à Gregorio III. ſucceſſore ſcriptas fuiſſe alij dicunt.

E vita deceſſit Romæ die 11. Februarij, anno redemptionis humanæ 731.

De hoc agunt Martyrologium Romanum, Beda, Ado, Baronius in Notis, & in Annal. Hadrianus Papa Epiſt. ad Carolum Magnum, Acta Concilij Niceni ſecundi, acta S. Bonifacij apud Surium Tomo 3. Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Anaſtaſius & alij plures.

Gregorius Ioannis filius, natione Syrus, Presbyter primò Cardinalis, deindè Romanus Pontifex, vir planè ſingularis doctrinæ & eloquentiæ, ac in lingua græca ſufficienter inſtructus, vocatus Gregorius III. ſcripſit libros tres commonitorios ad Leonem & Conſtantinum Auguſtos.

Excerptum ex Patrum dictis de diuerſis criminibus, & eorum remedijs.

Literas plures, quarum ſeptem leguntur in Tomo 5. Conciliorum.

Elaborauit etiam Sermones, & Orationes aliquot excuſas olim in Italia. huius literas ad Carolum Galliæ Regem contra Leonē III. & illas ad Conſtantinū Orientis Imperatorem pro Eccleſia Romana contra Naiſtulphum Longobardum Regem violatæ pacis reum, euulgatas vidi Venetijs anno ſalutis 1574. cum illis Principum diuerſorum. Ibidem alias leges ad Pipinum Francorum Regem.

In Conciliorum Tomis habetur eiuſdem Decretum de gradibus prohibitis circa matrimonium, quod quidem malè ad Gregorij I. tempora nonnulli reuocarunt. ſancto demum fine quieuit die 18. Nouembris, anno ſalutis 741. cum adminiſtraſſet Rempublicam Chriſtianam Menſes nouem, dieſque duodecim ſupra decennium.

Meminere Gregorij Baronius in Annalibus, Seuerinus Binius in Notis ad Concilia, Annales Francorum, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Gregorius alius, Ioannis filius patria Romanus, Presbyter Cardinalis S. Marci à Paſchali I. renuntiatus, deindè Pontifex maximus ſub nomine Gregorij IV. ſcripſit Epiſtolas varias, quarum vnam profert Gratianus in Decretalibus, datam ad Reipu-

blicæ Chriſtianæ Epiſcopos. Obijt Romæ poſt decimum ſextum ſuæ ſedis annum, ſalutis 843. 8. Kal. Februarij ſepultus in Vaticano, cuius Bonifacius VIII. commune cum Bonifacio IV. poſuit Epitaphium tale.

Gregorius quartus iacet hic, Bonifacius almus
Huius qui ſedit, fuit æquus Rector, & ædis
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ
Delubra cunctorum fuerunt quæ Demoniorum
Hoc expurgauit, Sanctis cunctiſque dicauit.
Eius natalia ſolemnia qui celebratis
Primis Septembris fert hæc lux quarta kalendis
Octauus titulo hoc Bonifacius oſſa reperta
Hac locat erecta Bonifacij nominis arca.

Laudant noſtrum Gregorium Theganus de geſtis Ludouici Pij, Nithardus in hiſtoria, Rabanus, Anaſtaſius Bibliothecarius, Adamus Bremenſis, Albertus Crantzius, Binius, Baronius in Annal. Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pont. Gaultetius in Tabul. Cronol. & alij plures.

Gregorius ex Comitibus Signiæ Cardinalis Oſtienſis, ac Pontifex Maximus renuntiatus ſub eodem nomine dictus eſt Gregorius IX. rexitque Eccleſiam Menſes quinque, ac dies decem ſupra annos quatuordecim, quo tempore Epiſtolas plures ſcripſit, quarum ſeptem volumina M. SS. aſſeruantur in Vaticano quarum aliquæ prodierunt cum Gloſſis Baſileæ anno 1511. Pariſijs 1541. & 1561. ac Venetijs 1591.

Ex Nomenclatoris Cardinalium Auctore ſcimus Gregorium Epiſtolas ſuas Decretales adunaſſe, & quinque libris digeſſiſſe per S. Raymundum de Pennaforti Barcinonenſem, Priorem Generalem Ordinis Prædicatorum, quarum quædam prodierunt ſeparatim grecè & latinè ſcholijs illuſtratæ à Gerardo Voſſio, quæ etiam euulgatæ in Tomo 7. Conciliorum cum Notis Seuerini Binij; quadraginta ſex illarum reſcripſit ex Vaticana Bibliotheca in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius, alias Ioannes Lepaige in Bibliotheca Præmonſtratenſi.

Ad meliorem vitam felix euolauit 11. Kal. Septembris anno à partu Virginis 1241. Gregorium laudant Incertus Auctor in Bibl. Vatic. Abbas Vſpergenſis, Matthæus Pariſius, in Angliæ, Lucas Vadingus in Minorum, Bzouius in Eccl. Annalibus,

Coirus

Coirus in Mediolanenſi, Bonfilius in Sicula, Bizarus in Genuenſi, Mariana & Gomeſius in Hiſpanica, Ghirardaccius in Bononienſi hiſtoria, Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes qui ſcripſerunt de Rom. Pontifice.

Gregorius Corteſius natione Italus, patria Mutinenſis, profeſſione Monachus S. Benedicti Congregationis S. Iuſtinæ à Paulo III. Pont. Max. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo Sancti Cyriaci in Thermis adſcriptus, poſteritati reliquit

De peccato originali Commentarium

Lerinenſis Cœnobij & Inſulæ laudes

De Theologica inſtitutione opus. Aliud de Philoſophia.

In quatuor libros Sententiarum volumen

Opuſculum quod S. Petrus fuerit Romæ.

De poteſtate eccleſiaſtica aliud

Epiſtolarum latinarum librum vnum, & alterum Epiſtolarum etruſco ſermone.

Hymnorum diuerſo metro librum.

De Annuntiatione B. Mariæ Carmen.

De Viris illuſtribus Ordinis Monaſtici opus.

Poemata quædam ad imitationem Catulli

De direptione Vrbis Genuenſis lucubrationem.

Ex latino italum fecit Tractatum de Virginitate D. Cypriani. E viuis exceſſit Romæ 11. kal. Octobris anno ſalutis humanæ 1548. iacet eadem in Vrbe ad Sanctos Apoſtolos.

Huius laudes explicarunt Panuinius, Ciaconius, Antonius Sanderus in Elogijs, Henricus Spondanus in Annal. Felix Contelorius in Elencho, Nomenclator Cardinalium, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Iacobus Gaddius de ſcript. non Eccl. Io: Matthæus Toſcanus, Iacobus Sadolettus, Robertus Geronda, Ioannes Medices in Epiſtolis, & alij multi.

Gregorius de Creſcentio nobilis Romanus ſub Innocentio III. Diaconus Cardinalis S. Theodori, legationibus clarus, pietatis, doctrinæque gloria illuſtris nonnullas edidit Conſtitutiones pro Clericis Polonis & Synodum Danicam anno 1222. celebrauit, dum illis in Prouincijs Legati Apoſtolici munere fungeretur. Obdormiuit in Domino ſalutis humanæ anno 1225.

Meminere Gregorij Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Odericus in Annalibus Eccl. Gabriel Pennottus in hiſt. Canonicorum Regul. Kalendarium, & Annales Rhenani, & alij plures cum Pontano in hiſtoria Danica.

Gregorius de Papa, ſeu Papareſchis noſtra ætate de Matthæis, ſenior, patria Romanus, diaconus primò Cardinalis, tum Summus Pontifex Eccleſiam Catholicam ſub nomine Innocentij II. rexit per menſes ſeptem & dies octo ſupra annos tredecim, ſcriptiſque conſignauit in Cantica Canticorum Commentaria, quæ teſte Poſſeuino aſſeruantur M. SS. in Bibliotheca Monaſterij S. Galli apud Heluetios; Epiſtolas item plures, quarum duodecim leguntur Tomo 7. Conciliorum, & Tomo 12. Annalium Eccleſiaſticorum. Baronij; alias idem Baronius profert in Notis ad Martyrologium Romanum, quibus Calliſti II. Pontificis Commentaria de S. Iacobo Apoſtolo, eiuſdemque miraculis comprobantur.

Romæ in Patriarchio Lateranenſi optimè de Eccleſia meritus ſeptuagenario maior, 8. Kal. Octobris anno Dominicæ natiuitatis 1145. obijt. Corpus ſepultum in S. Mariæ Tranſtyberim Baſilica ſub hac Epigraphe.

Hic requieſcunt venerabilia oſſa
Sanctiſſimæ memoriæ
Domini
I N N O C E N T I I
Papæ II.
De domo Papareſcorum,
Qui
Præſentem Eccleſiam ad honorem Dei
Genitricis Mariæ,
Sicuti eſt, à fundamentis
Sumptibus proprijs
Renouauit
SAD. M C L I I.
Et
Anno D. MCXLVIII.

De Innocentio tractant S. Bernardus Abbas Clareuallenſis in Epiſt. Bernardus Bonæuallis in Vita S. Bernardi, Otho Friſigenſis,

ſis, Pandulphus Piſanus in Vita Gelaſij II. Baronius in Annal. Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi, Romanus Canonicus in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Panuinius, Platina, alijque plures apud eoſdem.

Gregorius Monachus Benedictinus S. R. E. Cardinalis ſcripſit S. Leonis Papę Vitam, vti referunt Calzeolarius in hiſtoria Monaſtica, & Turrigius de Scriptoribus Cardinalibus. Floruit ſub Lucio II. Romano Pontifice circa annum Chriſti 1144.

Mag. Fr. Gualterus Vuinkterbrunus Anglus, patria Sarisburienſis, Ordinis Prædicatorum; Orator, ac Poeta inſignis, nec non Philoſophus, ac Theologus magni nominis, Odoardi primi Anglorum Regis Confeſſarius, à Benedicto huius nominis 10. alijs 11. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ re nuntiatus, ſcripſit.

Libros tres Summæ Theologicæ

Librum vnum de peccato originali.

Librum alium Quæſtionum Theologicarum

Sermonum quos habuerat coram Odoardo Anglorum Rege volumen

Exortationum ad Clerum Angliæ librum vnum.

Commentaria in libros ſententiarum.

Mortem ſubijt Genuæ die 14. Septembris anno ſalutis 1305. octogenario maior, ibidem ſepultus apud Prædicatores.

Huius acta referunt Auberyus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Henricus Lud. Caſtaneus in Nomenclatore Cardinalium, Panuinius, Io: Pitſæus de Scriptoribus Anglicis, & alij plures.

Guido Aſcanius Sfortia nobilis Romanus à Paulo III. Romano Pontifice patruo Diaconis Cardinalibus adſcriptus, dictus eſt Cardinalis S. Florę, præfuit Diaconijs S. Mariæ in Coſmedin, ac S. Euſtachij, Quæſitoris munere functus obijt in Territorio Cremonenſi Nonis Octobris anno à partu Virginis 1564. Corpus iacet Romæ in Baſilica liberiana ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

GVIDO ASCANIO SFORTIÆ
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Camerario,
Bononiæ & Flaminiæ Legato

Atque huius Baſilicæ Archiepresbytero
Alexandro Card. Sfortia
Fratri deſideratiſſ.
Vixit Annos XLV. Menſes x.
Dies 12.
Obijt an. ſal. MDLXIV.
Non. Octobris.

Sunt publici iuris huiuſce Cardinalis literæ Cardinali Corteſio datæ; aliæ vero negotiales ad Cardinalem Farneſium legatum, ad Nunicos Apoſtolicos in Germania, Gallia, & Hiſpania, nec non ad Patres Concilij Tridentini aſſeruantur M. SS. in Vaticano.

Huiuſce Cardinalis meminere cum laude Panuinius, Auberyus, Ciaconius, cum Auctarijs, Paulus de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ liberianæ, Sfortia Cardinalis Palauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, & alij quamplures.

Guido Bentiuolus Ferrarienſis Presbyter Cardinalis à Paulo V. renuntiatus in titulum à Succeſſoribus obtinuit Eccleſias S. Ioannis ante Portam latinam, S. Mariæ de Populo, S. Praxedis, & S. Mariæ Tranſtiberim, Abbas Cœnobium Vimacenſe S. Valerico ſacrum ad Ripam Somonæ, & Epiſcopus Eccleſiam Præneſtinam rexit, ac ſcripſit Belgicam hiſtoriam etruſco ſermone triplici volumine, opus vndique perfectum; ſed cum nimis depreſsè de Batauis in illa loquatur, illi offenſi calamum in Cardinalem ſtrinxerunt ſatis mordacem.

Edidit etiam Epiſtolarum volumen & Commentaria rerum Eccleſiaſticarum, ab alijs Memorias hiſtoricas nuncupatas, quam à Clemente 8. inchoata ad noſtra vſque tempora perduxit.

Publici iutis quoque eſt eius legatio Belgica, non obſcuro calamo deſcripta.

Euulgauit opuſculum ſub Titulo Deſcriptio Troiæ, in ludis agonalibus Romæ peractis a Cardinali Antonio Barberino coram Alexandro Carolo Principe Poloniæ. & Elogium S. Andreæ Corſini in eius conſecratione.

Deceſſit Guido in Vrbe die 7. Septembris anno ſalutis 1644. ætatis 64. dum celebrarētur Comitia poſt Vrbani VIII. obitum. Corpus iacet in Quirinali ad S. Siluestrum ſolo nomine clarum, à veri-

à veritate certè aberrant illi qui ſcripſerunt Guidonem obiiſſe, die 2. Iunij.

Eſt tanti viri mentio apud Sammarthanos in Gallia Chriſt. Ferd. Vghellium in Italia ſacra, Ioſephum Mariam Suareſium in Præneſtina hiſtoria, Iacobum Gaddium de Scrip. non Eccl. Ianum Nicium Frittæum in Pinacotheca, Erycium Puteanum in Epiſt. Annales Capuccinorum, Ioſeph Silos in hiſt. Clericorum Regul. Theodorum Amydenum in Vita, Vincentium Armanum in literis & alios plures.

Guido de Caſtello Tiphernas Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via lata, tum Presbyter S. Marci, demùm Romanus Pontifex Cœleſtinus II. nuncupatus, contra Anacleti ſchiſma Opus elucubrauit, & Epiſtolas quaſdam, quarum vna ad Petrum Mauritium Abbatem Cluniacenſem extat in Bibliotheca Cluniacenſi ab Andrea Ducheſnio edita. Cum ſediſſet in Petri Cathedra Menſes quinque dies 13. mortuus eſt Romæ die 9. Menſis Martij anno ſalutis 1144. ſepultuſque in Baſilica Lateranenſi.

De hoc Pontifice tractant Baronius in Annal. Eccl. Pandulphus Piſanus, Martinus Polonus, Io: de Columna, Ptolomæus Lucenſis, Franciſcus Petrarcha, Niemus, Platina, Simoneta, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Benedictus Canonicus Baſilicæ Vaticanæ in Vita, & alij plures.

Guido Cremenſis Diaconus primò, mox Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtyberim ſub Eugenio III. Pontifice Maximo ſcripſit Epiſtolam ad Fideles omnes de legitima Octauiani in Pſeudopontificem electione, adherebat enim illi, quo defuncto ipſe in Antipapam ſub nomine Paſchalis electus, Sedem per quinquennium occupauit. in ſchiſmate fiſtuloſo cancro percuſſus ſpiritum exhalauit.

Meminere huius Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, ac reliqui omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Guido, alijs Vido Ferrerius Ciuis Vercellenſis, Sebaſtiani Domini Vallate laco Vallonis, atque Ponzanæ, Magdalenæ Borromeæ filius natus anno ſalutis 1537. vir doctus, virtutumque ſectator eximius, à Pio IV. Pontifice Maximo primùm Vtriuſque Signaturæ referendarius, deindè Epiſcopus Vercellenſis, demùm Presbyter Cardinalis cum Titulo S. Euphemiæ renuntiatus eſt, quem progreſſu temporis cum illo SS. Viti & Modeſti commutauit. Tantus hic vir edidit Synodum Vercellenſem, in quo plura ad Cleri, Populique vitam reparandam prudentiſ-

dentiſſimè decreuit. Deceſſit Romæ, iacet in Baſilica liberiana ſub hac Epigraphe.

D. O. M.
GVIDO FERRERIVS
Tit. SS. Viti, & Modeſti
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card.
Vt viuens viuenti Patruo
Petro Franciſco Card.
Et dignitate, & voluntate coniunctiſſ. fuit
Ita moriens corpore
Ab illo abeſſe noluit.
Cum quo etiam ſumma Dei benignitate
Fretus, cæleſti
Ac
Sempiterna felicitate
Se fruiturum ſperat
Obijt die 26. Maij
MDLXXXV.

Meminere huius Ciaconius cum Auctarijs, Petramellarius, Ferdinandus Vgbellius, Io: Franciſcus Ferrerius Vercellenſis Epiſcopus in Catalogo Epiſcoporum Vercellenſium, Andreas Roſſottus in Syllabo Scriptorum Pedemontij, & alij

Guido Gallus patria Burgundus Monachus & Abbas Ciſtercij, dum in Vrbe pro negotijs ſui Ordinis degeret, ab Vrbano huius nominis IV. in Cardinalium Presbyterorum numerum cum Titulo S. Laurentij in Lucina aſcitus, legationem in Dania, Polonia, Suecia, Saxonia, Germania, Galliaque omnium plauſu geſſit. Viennæ legatus Concilium celebrauit, in quo leges & ſanctiones ſcripſit, quas habes apud Henricum Caniſium Tomo 1. anti-

antiquarum lectionum. è viuis poſt hæc abiuit anno ſalutis 1272.

Celebrant Guidonem, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Onuphrius, Panuinius, Auberyus, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Odericus in Annalibus Eccleſiaſticis, Gaſpar Iongellinus in Purpura D. Bernardi, Matthæus de Micotia de rebus Poloniæ, alijque quamplures.

Guido Groſſus natione Gallus ex Epiſcopo Cardinali Sabino renuntiatus Pontifex Maximus, & coronatus in Vrbe Viterbij per manus Riccardi de Annibalis Diaconi Cardinalis S. Angeli, & S. R. E. Archidiaconi, Summum Principatum in Eccleſia ſub nomine Clementis IV. per annos tres, menſes 9. dies 25, adminiſtrauit, doctrina, prudentia, moribus, & vitæ ſanctitate præſtantiſſimus. Tantus hic vir ſcripto reliquit Vitam D. Heduuigæ Poloniæ Duciſſæ.

Sermones contra Ludouicum Bauarum

De recipiendarum cauſarum ratione opus.

Quęſtiones Iuris

Et Epiſtolas quamplurimas.

Ipſum autem è viuis ereptum anno ſalutis 1268. Auctores omnes affirmant 3. Kal. Decembris Viterbij & ſepultum apud Prædicatores in Eccleſia S. Mariæ ad Gradus, cum huiuſmodi Elogio.

Lector fige pedes admirans quam breuis ædes
Pontificem quartum Clementem contexit arctum,
En datur in cineres Petri ſucceſſor & hæres.
Cuius ſi memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic Iudex primum, quem ſic ſucceſſus opimum
Reddidit, vt fertur, miles probus efficeretur.
Taleque ſortitus nomen, Iuriſque peritus,
Virginis vnius fuit vnicus ipſe maritus.
Qui viduatus ea, mox Chriſti ſorte potitus.
Anicienſis ita dignus fuit Archileuita.
Præſul ibi factus, poſt Archiepiſcopus actus.
Paſtor vt egregius Narbonæ præfuit auctus.
Vtque Deo gratus, vir Cardinalibus ſociatus,
Papatus nomen clarum ſuſcepit, & omen.
Sic ſublimatus, ſic denique clarificatus
Perficiendo gradus cenſetur ad aſtra leuatus,
Annis ſex denis octo cum mille ducenis

Tranſ

Tranſactis Chriſti Clementis tumulo datur iſti,
Vt finalis ei det gaudia ſumma diei
Amen.

Eſt huiuſce mentio apud Bzouium, Odericum in Annal. Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Theodorum Valliſcoloris, Matthæum Vueſtmonaſterienſem, Ciaconium & alios.

Guido de Pore ſeu Parè Ordinis Ciſtercienſis Abbas Generalis, natione Gallus, eruditionis, ac pietatis fama celeberrimus S. R. E Presbyter Cardinalis euulgatus, edidit Conſtitutionem de Officio B. Mariæ Virginis à Ciſtercienſibus in Choro recitando, multiſque legationibus, ac ſcriptis floruit.

Ex hac mortali ad immortalem migrauit vitam anno ſexto Seculi decimi tertij.

De illo Angelus Manrique, Ferd. Vghellius in Ital. ſacra, Sammarthani Tomo 3. Galliæ Chriſtianæ. pag. 246. Auberyus, Ciaconius, cum Auctarijs, & alij multi.

Guillelmus de Agrifolio iunior natione Gallus Iuris Pontificij Doctor, Vrbanique Pontificis Romani huius nominis II. à notis, & ab Epiſtolis, ac Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio Monte, genere & virtute nobilis, famæ, honeſtæque conuerſationis illuſtris, ſcripſit Sermones in laudem B. Mariæ ſemper Virginis. Extant eiuſdem literæ ad Abbatem & Monachos, leſatenenſes Ordinis CluniacenſisRiuenſis, diœceſis apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana.

Iura naturæ perſoluit anno Orbis redempti 1401. Idibus Ianuarij, ſeu alijs 19. Kal. Februarij. Cadauer tumulatum in Templo Auenionenſi S. Martiali ſacro, ad Sacellum quod proprijs impenſis ibidem excitauerat, & dotauerat ſub hac Epigraphe.

Hic iacet
Reuerendiſſimus in Chriſto Pater
Dominus
GVILLELMVS DE AGRIFOLIO
Decretorum Doctor
Tit. S. Stephani in Cœliomonte
S. R. E.
Presbyter Cardinalis,

Qui

Qui obijt die 13. Menſis Ianuarij
Anno à Natiuitate Domini
MCCCCI.
Anima eius requieſcat in pace.
Amen.

Præter Sammarthanos & Claudium Robertum celebrant Guillelmum Auberyus, Frizonius, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Guillelmus Alanus natione Anglus vir nobilis, doctus, & pius, Catholicæ Religionis propugnator accerrimus à Sixto V. Presbyter Cardinalis SS. Silueſtri, & Martini in Montibus renuntiatus, ſcripſit patrio idiomate in Catholicorum commodum libros plures, qui tamen ob ſummam illorum vtilitatem & eruditionem in eis contentam latinitate à diuerſis ſunt donati. hi autem ſunt.

De Sacramentis Eccleſiæ in genere
De Sacramento Euchariſtiæ
De auctoritate Sacerdotum per Sacramentum Pœnitentiæ
De ſacrificio Miſſæ
De Purgatorio, & Oratione pro Defunctis Anglicè librum vnum
De Indulgentijs Anglicè
De Prædeſtinatione
De imaginibus
De intentione Papæ in erigendis Seminarijs.
De inuocatione Sanctorum, & reliquijs librum vnum.
Contra librum ab Hæreticis in lucem emiſſum ſub nomine Iuſtitiæ Britanicæ.
Bibliorum libri in Anglicanum idioma tranſlati.

Extat eiuſdem Epiſtola ad Erneſtum Bauarum, Leodienſem Præſulem de miſerabili ſtatu & calamitate Regni Anglici feruente ſchiſmate, quam refert Chappeauillus in libro de Epiſcopis Leodienſibus.

Scripſit etiam Admonitionem ad Catholicos Angliæ.
Apologiam Seminariorum contra edictum Elizabettæ Reginæ
Epiſtolam Anglicè de legitima deditione Deuentriæ facta per Guilelmum Standleum

Iuſtitiæ Anglicanæ confutationem libro vno.
Et alia opuſcula.
Migrauit ad Dominum Romæ 18. kal. Nouembris anno ſalutis 1594. ætatis 63. ibique in Eccleſia ſuæ gentis Sanctiſſimæ Triadi ſacra ſepulchrum habuit, cum ſequenti Epitaphio.

Deo Trino & vni
GVILLELMO ALANO
Lancaſtrienſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presb.
Card. Angliæ
Qui extorris à Patria perfunctus
Laboribus diuturnis
In Ortodoxa Religione tuenda
Sudoribus multis
In Seminarijs ad ſalutem Patriæ inſtituendis,
Fouendis;
Periculis plurimis.
Ob
Eccl. Romanam opere, ſcriptis,
Omni corporis,
Et animi contentione defenſam,
Hic
In eius gremio,
Scientiæ, pietatis, modeſtiæ,
Integritatis, fama, & exemplo clarus,
Ac
Pijs omnibus charus occubuit
18. Kal. Nouemb.
Anno ætatis LXIII. exilij xxxiij.

Sal.

Sal. hum. MDXCIV.
Inter lacrymas exulum pro religione
Ciuium, perpetuum illorum
Effugium.
Gabriel Alanus Frater,
Thomas Heſchetus Sororis filius Fratri,
Auunculo clariſſ. optimo,
Optimèque merito mœrentes
Poſuerunt.

Tanti Cardinales laudes explicant Ludouicus Donius Dattichy in hiſt. Cardinalium, Petramellarius, Henricus lud. Caſtaneus Rupipozæus in Nomencl. Cardin. Ianus Nicius Erith. in Pinacotheca, Vincentius Robardus de geſtis Xiſti V. Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibl. Pontificia, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures cum Pitſæo.

Guillelmus Bragioſe, ſeu Bragoſe natione Gallus, patria Gabalitanus Diœceſis Mimatenſis Iuris Canonici in Academia Toloſana publicus Doctor, Vabrenſis primò Præſul, deindè Diaconus Cardinalis ab Innocentio VI. & ab Vrbano V Presbyter ſub Titulo S. Laurentij in lucina, & Maior Pœnitentiarius renuntiatus, ſuis literis poteſtatem fecit Abbati de Albiſpetris abſoluendi Guillelmum Abbatem Varenæ, qui in Cœmeterio Cœnobij quoſdam laicos ſepulturæ mandauerat. Romæ è vita deceſſit die 11. Nouembris anno ſalutis 1367.

De hoc Cardinali agunt Auctores Galliæ Chriſtianæ & purpuratæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, alijque quamplures.

Guillelmus Briſſoneta, ſeu Briſſonet natione Gallus, demortua vxore, ex qua filios & filias plures ſuſceperat ſe Eccleſiæ conſecrans Nemauſenſis primò, mox Maclouienſis Epiſcopus inauguratur, demùm ab Alexandro VI. Presbyter Cardinalis cum Titulo S. Pudentianæ inſtante toto Cardinalium Collegio, & expoſcente Carolo VIII. Galliarum Rege renuntiatur. Auctor hic fuit Conciliabuli Piſani, quare à Iulio II. purpura priuatur, quam à Leone X. eiurato ſchiſmate, iterum recepit. Remen-

ſem & Narbonenſem Eccleſias adminiſtrauit. Narbonæ in Gallia anno 1514. ſeu 1515. viuendi finem fecit. Extat huiuſce Cardinalis Opus prænotatum Enchiridion precum chriſtianarum latinè Carolo VIII. Regi oblatum. ſcripſit etiam acta Synodi Maclouij habitæ anno 1501.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Auctores Galliæ chriſtianæ & purpuratæ, alioſque plures.

Mag. Guillelmus Farinerius de Gordonio natione Gallus, Minorum S. Franciſci vigeſimus Generalis ab Innocentio VI. Presbyterorum Cardinalium Collegio cum Titulo SS. Petri & Marcellini adſcriptus elucubrauit Commentaria in libros ſacros, profanoſque varios.

Inſuper Sermones varios

Tractatum de Cambijs, ſiue vt Pauli Corteſij vtar verbis de mutuantia negotiatione, ex quo facilè poſſit intelligi, quot ex nundinarum pretijs nummi in ſingula centena permutationis nomine exigi, & quandò liceat.

Mortalitatem exuit die 27. Iunij anno Chriſti 1361. & ſepultus apud Minores Auenionenſes.

De hoc tractant Lucas Vadingus in Syllabo Scriptorum Ordinis Minorum, Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Henricus Lud. Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Ciaconius cum Auctarijs & alij multi.

Guillelmus Gallus Comitis Campaniæ & Bleſenſium filius Presbiter Cardinalis S. Sabinæ ab Alexandro III. renuntiatus, ſcripſit plures Epiſtolas, quarum duæ ſunt ad ipſum Alexandrum Pontificem de Thomæ Cantauarienſis Archiepiſcopi morte.

Deceſſit 7. Idus Octobris anno 1202. conditus in Maiori Baſilica Remenſi cum hac Epigraphe.

Moribus excelſus, prudens & pacis amator
Annis bis denis & ſex cum ſimplice menſe
Præſuit Archiepiſcopus Vuilelmus in Vrbe Remenſi
Septima Septembris Idus fuit finis vitæ meæ.

Meminere Guillelmi huius Baronius in Annalibus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ciaconius cum Auctarijs, Auctores Galliæ Chriſtianæ & alij.

Mag. Fr. Guillelmus Godinus, ſeu Godin, vel Godinus Gallus Ordinis

Ordinis Prædicatorum ex lectore Palatij Apoſtolici Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ ſub Clemente V. & ſub Ioanne XXI. dicto XXII. ſucceſſore Epiſcopus Sabinenſis electus ſcripſit de nuptijs Chriſti cum Eccleſia.

Inſigne aliud volumen quo iura omnia, conceſſiones, & priuilegia Romanæ Eccleſiæ conceſſa, & ab eadem alijs collata continentur.

Sermones etiam plures, quos poſteritati tradidit.

Iura naturæ perſoluit Auenione pridiè Idus Iunij anno ſalutis 1336. alijs 1306. Corpus iacet Toloſæ apud Patres Dominicanos ſub hac memoria

Dominus
FR. VILLERMVS GODIVVS
Epiſcopus Sabinenſis
Cardinalis.

Celebrant hunc Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes qui de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum ſcripſerunt.

Guillelmus Goldeus Hybernus, Doctor Oxonienſis in ſacra Theologia, Ordinis Sanctiſſimæ Trnitatis Redemptionis Captiuorum, ab Innocentio IV anno Domini in Concilio lugdunenſi euulgatus Presbyter Cardinalis S. Clementis, & à Gregorio X. Archiepiſcopus Dublini, multa ſcripſit de ſacra Theologia.

Defunctus anno 1275. 9. Calendas Martij, & ſepultus in Cathedrali. pro Eccleſia ſua litigia multa ſuſtinuit contra Regem Hyberniæ, & Canonicos Eccleſiæ matricis.

Eſt huius mentio apud aliàs laudatos Figueram, & Iacobum à S. Marco.

Guillelmus Iacobus, ſeu ex alijs Gillelmus Ioannes, vel Iacobus Groy, aut Croia, familia nobiliſſima in Belgio natus, ex electo Cameracenſi Caroli V. precibus iuuenis, ac penè puer galerum Cardinalitium adeptus inter Diaconos Cardinales ſedit, præfuitque Diaconiæ S. Mariæ in Aquiro. Leonis X. iuſſu Toletanam Eccleſiam adminiſtrauit non diù vixit in purpura, nam iuuenis venatum profectus equo generoſo delapſus venam

diſrupit,

diſrupit, & mortem ſubijt anno ætatis 23. ſalutis 1521. iacet in Cœnobio Cœleſtinorum cum hoc Epitaphio.

GVILLELMO CROIO
Cardinali
Tituli S. Mariæ in Aquiro
Archiepiſcopo Toletano
Hiſpaniæ Primati,
Et
Caſtellæ Regni Cancell.
Epiſcopo Cameracenſi
Cambreſij Comiti
Abbati Affigmenſi.
Obijt Vormaicæ
Carolo V. imperante
Poſtridiè Nonas Ianuarij
MDXXI.

Extant typis euulgatæ huiuſce Cardinalis literæ ad Ludouicum Viuem Valentinum, quem habuit in famulitio

Huiuſce Cardinalis laudes enumerant Panuinius, Auberyus, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Antonius Sanderus in Elogijs, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Guillelmus Longus, ſeu de Longaſpata, vel de Alexandris dictus, natione Italus, patria Bergomenſis, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano ſub Cœleſtino V. ſcripſit pro Bonifacio VIII. Apologiam. ex veritate omninò aberrant qui affirmant Guillelmum hunc ſextum Decretalium librum cum duobus alijs confeciſſe, nam ex ipſo Bonifacio in proemio libri ſexti Decretalium habemus per venerabiles fratres noſtros, profero ipſius verba, Guillelmum Archiepiſcopum Ebredunenſem, & Berengarium Epiſcopum Biterrenſem, & dilectum filium Magiſtrum Richardum de Senis S. R. E. Vincecancellarium IVD. decretales huiuſmodi fecimus recenſeri. non igitur Guillelmus noſter,

noſter, qui numquam rexit Epiſcopatum Ebredunenſem ad Decretalium librum manus admouit. Noſter Guillelmus Scripſit etiam, teſte Fanutio Campano, qui pro ſe profert Auctorem Bibliothecæ Mundi, Tractatum de nobilitate, quo veram nobilitatem ex ſola virtute oriri probat; ac Concordantias vtriuſque Iuris. Huic Fanutio nullam præſtant fidem quamplures, & benè, nam eſt illorum vnus, quos Alphonſus Ceccarellus in medium protulit ad firmandas fabulas, quas ſomniauerat.

Obiit Guillelmus hic Auenione quinto Idus Aprilis anno ſalutis 1319. Corpus Bergomum relatum iacet in Eccleſia Minorum S. Nicolao ſacra ſub hoc titulo.

Hic quieſcit Corpus
Piæ memoriæ
GVILLELMI DE LONGIS
De Adraria
S. Nicolai in carcere Tulliano
Diaconi Cardinalis
Viri vtique in Theologicis docti,
In vtroque iure prouecti,
In moralibus, & Chronicis peritiſſ.
In conſilijs maturi,
In moribus grauis,
Et
In agibilibus circumſpecti,
Cuius vitæ nitorem,
Aliaque dona virtutum attendens
B. Petrus Confeſſor
Tunc Cœleſtinus V. Papa
Ipſum ad Cardinalatus honorem aſſumpſit,
In quo
Viginti quinque annis

Deo

Deo & Eccleſiæ commendabiliter
Militauit.
Fabricauit miri operis
Eccleſiam S. Iacobi de Pontita;
Eiuſdemque Apoſtoli brachio decorauit.
Hanc Capellam
Et aliam ſub vocabulo dicti Confeſſoris
In Eccleſia noua Prædicatorum
Fundauit.
Monaſterium S. Nicolai
De Rorzano,
Et
Hoſpitale S. Spiritus erexit,
Atque dotauit,
Et demum præſentis ſeculi
Agone percuſſo
Cum brachio properans
Ad triumphum
Dum Auenione degeret feliciter migrauit
Ad Chriſtum in craſtino
Natiuit. B. Mariæ Virginis glorioſæ
Sub Anno MCCCXIX.

Huiuſce Cardinalis laudes referũt Panuinius, Auberyus Ciaconius cũ ſuis Auctarijs in Vita, Donatus Calui in Theatro Bergomenſi & alij plures.

Guillelmus de Mandagato, ſeu de Mandagoſo natione Gallus Ordinis S. Auguſtini ex Epiſcopo Auenionenſi, ſeu Archiepiſcopo Ebredunenſi Epiſcopus Cardinalis Prænestinus à Clemente V. Pontifice Maximo renunciatus, ſcripſit librum de Prælatorum electione, quem librum aſſeruari M. S. in Bibliotheca Sancti

ᶀti Geminiani in Etruria fatentur Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis, & Petrus Frizonius in Gallia purpurata ſub hoc Titulo prænotatum Mag. Guillmi de Mandato Archidiaconi Nemauſenſis, Domini Papæ Cappellani liber de Electionibus Prælatorum ad Magiſtrum ſuum Dominum Berengarium Fredole ſucceſſorem Eccleſiæ Biterrenſis Domini Papæ Cappellanum, & Doctorem Decretorum.

Elucubrauit etiam plura opuſcula ſuper legum diſciplina, & operam ſuam nauauit in compilando Sextum Decretalium.

Deceſſit Auenione Menſe Nouembri anno ſalutis 1321. ſeu 1323 & in Templo S. Catharinæ Virgini, & Martyri ſacro ſepulchrum habuit.

De hoc Guillelmo præter laudatos tractant Auctores Galliæ Christianæ, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque multi.

Mag. Fr. Guillelmus Marlesfeldius Anglus, patria Cantuarienſis Ordinis Prædicatorum, quem Benedictus X. alijs XI. Romanus Pontifex Presbyteris Cardinalibus ſub Titulo S. Sabinæ adiunxit, ſcripſit.

Problemata quædam

Concluſionum ordinariarum volumen.

Sermones de Sanctis.

Orationes ad Clerum, & alia quæ indicantur, ſed non explicantur à Pitſeo in ſuo Catalogo Scriptorum Angliæ.

Ego aliud Auctoris opus de laudibus B. Mariæ ſemper Virginis indicatum inuenio apud Hiſtoricos Anglicos, contra Hæreticos ſui æui.

E vita euolauit Menſe Auguſti anno noſtræ ſalutis 1307. Corpus iacet Londini.

Meminere Cardinalis Marlesfeldij Auberyus, Petrus Frizonius, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, & alij, cum Pitſæo qui eum nominat Guilelmum Anglicum.

Guillelmus Philaſterius, alijs Filaſtrus, natione Gallus, ſummo à natura dotatus ingenio, iuris Pontificij & Cæſarei Doctor inſignis, Remorum decanus interfuit Concilio Conſtantienſi, atq; ex Archiepiſcopo Aquarum inter Diaconos primùm, mox inter Presbyteros Cardinales ſub Ioanne XXIII. cooptatus, Romæ octogenarius, ſeu ex alijs nonagenarius animam exalauit. ſepulchrum habuit in Titulo S. Chriſogoni cum ſequenti Epigraphe.

Sepulchrum
G V I L L E L M I
Tituli S. Marci
Presbyteri Cardinalis,
Cœnomanenſis Diœceſis
Miniſtri Eccleſiæ Sancti Chriſogoni,
Olim Decani Rhemenſis,
Iuris vtriuſque Doctoris.
Habeat Deus quam creauit animam
Habet natura quod ſuum eſt.
Expectans reſurrectionem,
Et Vtriuſque vitam æternam
Oportet enim corruptibile
Hoc induere corruptionem,
Et
Mortale hoc induere mortalitatem.
Obijt Anno Domini
MCCCCXXVIII.
Menſe Nouembri, die verò ſexta
Ætatis ſuæ octogeſimo.

In Mathematicis fuit verſatiſſimus, nec non linguæ græcæ peritiſſimus; Platonis igitur libros è greco idiomate latinos reddidit.

Pomponium inſuper Melam notis illuſtrauit, & Præfationem eidem adiecit.

Extat eiuſdem Concio quam habuit Seſſione 34 in Concilio Conſtantienſi & Oratio ad Carolum VI. Regem Chriſtianiſſimum pro priuilegijs & immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

De hoc Cardinali plura Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij apud eoſdem.

Guillel-

Guillelmus Sirlettus Calaber in Oppido Stili natus, hebraicæ, græcæ, latinæque linguæ peritiſſimus, quē Pius IV. in Ordinem Purpuratorum adſcripſit, præfuit tum Diaconus, tum Presbyter Eccleſiæ S. Laurentij in pane & perna, & elucubrauit

Annotationes in Pſalterium

Biblicum Apparatum

Correctiones & Additiones ad ius ciuile.

Epiſtolas multas

De Monarchia Eccleſiaſtica Tractatum

Lectiones variantes in Biblijs regijs Antuerpiæ excuſſis.

De Baſilica S. Mariæ Maioris Tractatum.

De Baſilicæ Vaticanæ præſtantia librum vnum.

Latinitate donauit peruetuſtum Menologium græcum, propriaque manu maiori ex parte illud conſcripſit vt refert Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ſub die 3. Ianuarij.

Latinas quoque fecit nonullas Sanctorum Vitas græcè à Metaphraſte deſcriptas, inter quas illa eſt S. Ioannis Calybitæ. Scholia ſcripſit & correctiones in nouum Teſtamentum, in SS. Ambroſium, Bernardum, Caietanum, Concilium Nicænum, atque in Nicolai I. Pontificis Epiſtolas.

Illuſtrauit etiam notis S. Auguſtinum, Gregorium Nazianzenum, Georgium Pachimerium, Petrum Alexandrinum, Gregorium Neocæſarienſem, Gennadium, Nicephori Epiſtolas, Martyrologium Romanum, S. Gregorij Papæ Epiſtolas, Reginaldum Polum de Concilio, Lactantium Firmianum, Dionyſium Areopagitam, Ioannem Climacum.

Eumdem aliqui Auctorem faciunt Catalogi Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quem ad finem Galliæ Chriſtianæ Claudius Robertus attexuit.

Guillelmi Cardinalis Sirletti opera vſus eſt Marianus Victorius Epiſcopus in reſtituendis S. Hieronymi ſcriptis.

Romæ die Iouis 8 Idus Octobris anno ſalutis 1585. ætatis 71. migrauit, poſt obitum ſepulchrum habuit in Titulo ſub hoc Elogio.

GVILLELMO SIRLETTO
Cardinali
Stili in Calabria nato

 Huius

Huius Eccleſiæ Presb. S. Sedis
Bibliothecario
Hebraicæ, Græcæ, Latinæque
Peritiſſimo,
Humanarum, diuinarumque diſciplinarum
Scientia claro, Eruditorum,
Et
Pauperum Patrono,
Ac
Parenti beneficientiſſimo
Ob probitatem eius
Pietatemque ſingularem
A Pio IV. Pont. Max.
Sacro inſtante Collegio Cardinali
Creato.
Vixit Annos LXXI. obijt anno
MDLXXXV.

Vltimis tabulis præcepit, vt ſcripta quæcumque ſua, quæ defenſioni, aut ornamento Apoſtolicæ Sedi eſſe poterant Vaticanæ Bibliothecæ adiungerentur. Tantum virum purpuræ ſacræ ornamentum celebrant Antonius Sanderus, Io. Maria Toſcanus, Andreas Scotus in Elogijs, ludouicus Donius D'attichy, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita; Carolus à Baſilica Petri in Vita Sancti Caroli, Ioſeph Silos in hiſt. Clericorum Regul. Io: Rhò in exemplis Virtutum & vitiorum, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Henricus Spondanus, Bzouius in Annal. Eccl. & alij plures.

Guillelmus Sudre patria Tutellenſis, natione Gallus, Ordinis Dominicanorum Religioſus, & ſacrij Palatij quondam Magiſter, poſtea Cardinalis creatus ab Vrbano V. ſub Titulo Pammachij, deniqu: Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternenſis, lega-

legatus eſt ad controuerſias inter Principem Tarentinum , & Ducem Atriæ in Regno Neapolitano ſedandas, ac ſcripſit.

De myſterijs S. Crucis nonnulla

Epiſtolas etiam plures in cauſa fidei ad diuerſos

Et quædam pertinentia ad logicæ ſubtilitatem.

Mortuus eſt Auenione die 18. Aprilis, vel vt alij habent 4. kal. Octobris anno 1373. apud ſuos Dominicanos ante maiorem aram ibidem conditus ſepulturæ cum hac breui Epigraphe.

Requieſcat in pace.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Guillelmus Totauillæus, ſeu de Eſtouteuille natione Gallus è ſanguine regio Monachus S. Benedicti, Decretorum Doctor, Antiſtes primò Morinenſis, deindè Andegauenſis, tum Biterrenſis, & lodouenſis, mox Rothomagenſis Archiepiſcopus renuntiatus, & Cardinalitia dignitate donatus ab Eugenio IV. Pont. Max. ſub Titulo Equitij dictus eſt Cardinalis Rothomagenſis. Nicolaus V. eundem Epiſcopum Portuenſem, Pius II. Oſtienſem & Veliternum, Apoſtolicæque Sedis Camerarium dixit. Legatus in Gallia Academiam Pariſienſem abrogatis antiquis, nouis legibus exaratis reparauit. Antiquam de ratione explicandæ Philoſophiæ latam legem, qua præcisè cauebatur ne Doctores, quos vocabat Nominatores dictando Auditorum manum potius exercerent, quam continenti explicatione mentem erudirent.

Octogenario maior Romæ terram reliquit, Cœlum petiturus poſt decimam quartam diem februarij anno ſeculi decimi ſexti tertio ſupra octogeſimum. Poſt obitum tumulatus in Eccleſia S. Auguſtini quam à fundamentis extruxerat, ac multis dotauerat prouentibus ad diuinum cultum augendum.

De Guillelmo noſtro tractant, Ioannes Chenu de Epiſcopis Galliæ, Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Felix Contelorius in Elencho, Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus in Vita & alij plures.

Guitmundus Italus, ex Arnoldo Vuion, ſeu ex Trithemio natione Gallus, Monachus S. Benedicti, S. R. E. Cardinalis ab Alexan-

Alexandro II. euulgatus, ſcripſit tres libros in hæreſim Berengarij.

Confeſſionem de ſanctiſſima Trinitate, Chriſti humanitate, Corporis ac ſanguinis Chriſti veritate.

Orationē ad Guillelmum I. Anglorum Regē, quando oblatum Epiſcopatum recuſauit.

Ad Rogerium Monachum contra errores Berengarij opuſculum.

De hoc vide Auctarios Ciaconij.

Hadria nus

H

HAdrianus Caſtellenſis natione Italus, patria Cornetanus, Innocentij VIII. ad Scotiæ Regem Nuncius, Epiſcopus Erfordienſis, Barthonienſis & Vuellenſis, deindè Nuncius apud Regem Galliarum, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, tum Theſaurarius, demùm ſub Alexandro VI. Presbyter Cardinalis Tituli S. Chryſogoni renuntiatus, ſub Iulio II. & Leone X. exul ab Vrbe aliquando vixit; ſub Leone contumax ſpoliatus eſt purpura & ſacerdotijs, quare necis metu perterritus in Thraciam fugit, vbique obſcurus & latens diem clauſit extremum, incertum quo Menſe, vel anno.

Primus omnium fuit noſter Hadrianus qui poſt Ciceronis ſeculum ſuis ſcriptis mortales ad perfectas literas ex probatiſſimis Auctoribus hauriendas excitauit, ſcripſit autem latiniſsimè terſa, & defecata dictione de modis latinè loquendi, & Nomenclatorem ſæpius editum, & valde vtilem.

Teſtamenti inſuper veteris libros ex hæbreo in latinum ſermonem elegantem vertit.

Elucubrauit etiam de vera Philoſophia libros quatuor, ex quatuor Eccleſiæ Doctoribus confectos, varia eruditione, & multa pietate refertos, Coloniæ anno ſalutis 1548. excuſos.

Orationem de fœdere inter Alexandrum VI. Rom. Pont. & & Regem Hiſpaniarum.

De Venatione Opuſculum ad Aſcanium Mariam Sfortiam Cardinalem.

Iter Iulij II. Pontificis verſibus heroicis

Virginis Mariæ laudes carmine elegiaco cecinit.

Heroico carmine etiam deſcripſit Palatium à ſe extructum propè vaticanum, quod noſtra ætate poſsidet nobilis familia Columnenſium, Anglicum dictum quia Hadrianus illud Regi Anglico legauit.

Extat eiuſdem Opus de Poetis.

Eſt tanti viri mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, nec non apud Panuinium, Auberyum, Felicem Contelorium in Elencho, Polidorum Virgilium in Anglica, Scipionem Ammiratum in Florentina, Franciſcum Guicciardinum in ſua, & Io: Franciſcum Blondum in Anglicana hiſtoria & alios plures.

Hadria-

Hadrianus Romanus Theodori filius S. R. E Diaconus Cardinalis primò, mox Pontifex Maximus inſtante Carolo Magno Francorum Rege ſcripſit Antiphonarium Eccleſiaſticum.

Pro venerandis imaginibus Domini noſtri & Sanctorum librum vnum ad Imperatorem Leonem, & Conſtantinum filium.

Ad Carolum Imperatorem librum alium contra errores illorum qui infirmare conabantur decreta Synodi Nicænæ.

Collectionem Canonum, cui Præfationem & Epigramma acroſticis verſibus præfixit.

Quodlibeta quædam.

Reſponſum ad Achridenum Theſſalonicæ Epiſcopum.

Epiſtolas quamplures.

Decreta plurima à Gratiano relata.

Libros Epiſtolarum S. Gregorij Papæ abbreuiauit, vtiliores quæque decerpſit, & tredecim illarum libros ad duos redegit.

Capitula quæ ex Græcis, & Latinis Canonibus & Synodi Romanis, atque decretis Præſulum, atque Principum Romanorum collegit, edita Romæ ab Ingilramno Mediomatricæ Vrbis Epiſcopo anno Chriſti 785. cum notis Antonij Auguſtini habentur in Tomis Conciliorum Binij, & etiam ſeorſim.

Defenſionem ſeptimæ Synodi, & Reſponſionem ad librum à Carolo Magno miſſum poſt Concilium Francfordienſe; quæ extant in Tomis Conciliorom

Reſponſionem ad Baſilium Achridenum Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, quæ extat tum libro 5. Iuris.

Cum autem ſediſſet in Petri Cathedra ſub eodem Hadriani nomine annos XXIII. Menſes x. dies 17. obijt 7. Kal. Ianuarij anno ſalutis 795. & ſub ſequenti Elogio in Vaticano ſepultus.

Hic Pater Eccleſiæ, Romæ decus, inclytus auctor
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas, lex, gloria Chriſtus
Paſtor Apoſtolicus promptus ad omne bonum.
Nobilis & magna genitus iam gente parentum
Sed ſacris longè nobilior meritis
Exornare ſtudens deuoto pectore Paſtor
Semper vbique ſuo Templa ſacrata Deo.
Eccleſias donis, Populos & dogmate ſancto
Imbuit, & cunctis pandit ad aſtra viam.

Paupe.

Pauperibus largus nulli pietate ſecundus
Et pro plebe ſacris peruigil in precibus.
Doctrinis , opibus , muris erexerat , arces ,
Vrbs caput Orbis honor inclyta Roma tuas.
Mors cui nil nocuit , Chriſti quæ morte perempta eſt,
Ianua ſed vitæ mox melioris erat .
Poſt patrem lacrymans Carolus hæc carmina ſcripſi
Tu mihi dulcis amor , te modo plango Pater.
Tu memor eſto mei , ſequitur te mens mea ſemper,
Cum Chriſto teneas regna beata poli.
Te Clerus , populus , magno dilexit amore,
Omnibus vnus amor optime Præſul eras.
Nomina iungo ſimul titulis clariſſime noſtra
Hadrianus , Carolus Rex ego , tuque Pater.
Quiſque legas verſus , deuoto pectore ſupplex
Amborum , mitis dic miſerere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies chariſſime membra
Cum Sanctis anima gaudeat alma Dei.
Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro ſurge videre Deum.
Auditurus eris vocem ſcio iudicis almam
Intra nunc Domini gaudia magna tui.
Tum memor eſto tui nati , pater optime poſco,
Cum patre dic natus pergat & iſte meus.
O pete regna Pater felix cæleſtia Chriſti,
Indè tuum precibus auxiliare gregem.
Dum ſol ignicomo rutilus ſplendeſcit ab axe
laus tua ſancte Pater ſemper in Orbe manet.

De hoc Romano Pontifice tractant Ciaconius cum Auctarijs , Panuinius , Platina , Baronius in Annalibus Eccl. & alij plures cum Bellarmino , & labbè de Scrip. Eccl.

Hadrianus Iltiprandus origine Hiſpanus, Talari Epiſcopi ex legitimo matrimonio filius , natus Romæ , Archipresbyter Cardinalis in Titulo S. Marci, poſtea Pontifex Maximus cognominatus Hadrianus iunior, ſeu ſecundus, ſcripſit Epiſtolas varias , quarum vna ſupra triginta legitur apud Binium,& apud Baroniũ. Triginta duas numerat Simon Staroulſcius in Epitome Conciliorum . Pſalterium Dauidicum in linguam hiſpanicam transferre incæperat, quod opus morte preuentus perficere non valuit. Cum per menſes xi. ac dies 12. ſupra annum quartum Eccleſiæ

 præ-

præfuiſſet viuendi finē fecit kalendis Nouembris, anno à partu Virginis 872. Cuius acta explicant Auctor Romæ ſubterraneæ, Ioannes de Columna, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, alijque plures.

Hadrianus ex inferiori Germania patria Traiectenſis, Florentij filius, Caroli V. Præceptor, Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli, qui abſens euulgatus Cardinalium ſuffragijs Pontifex Maximus, principatum geſſit per annum vnum, menſes octo, & dies tres ſub antiquo nomine Hadriani, huius nuncupationis ſexti, ſcripſit.

Epiſtolas plures familiares ad diuerſos.

In quatuor libros Sententiarum Quæſtiones & Expoſitiones. in fol. Pariſijs in quibus materia Sacramentorum exactiſſimè tractatur, 1528. Louanij, & Pariſijs 1516. & 1531.

Supra computum hominis agonizantis Opus de ſeculo præterito, ſeu de Superbia Sermonem.

Itinerarium ab Hiſpania in Italiam.

Narrationem legationis ad Conuentum Nuremburgenſem.

Profeſſionem fidei.

Inſtructionem ad Franciſcum Cheregatum Epiſcopum Interamnenſem de ijs quæ cunctis Romani Imperij Principibus proponenda erant.

Ex officio Conſtitutiones & Diplomata.

Idibus Septembris, ſeu potius 18. kal. Octobris, anno ſalutis 1523. ex renum dolore, quo valdè & ſæpè affligebatur ſpiritum Deo reddidit, & ſepulchrum habuit in Vaticano ſub hac Epigraphe.

HADRIANVS VI.
Hic ſitus eſt
Qui nihil ſibi infelicius
In hac vita duxit,
Quam quod imperaret.

Deindè tranſlatus ad S. Mariam de anima, in qua iacet ſub alio Titulo.

Vitam huius literarum monumentis conſignarunt Panuinius vbertim, vberrimè Iouius, Ciaconius, cum Auctarijs, Caius Batius,

tius, Gerardus Moringus, Maximilianus Vrientius, Rodericus Carauaial. de eodem tractarunt Matthias Bellintanus Franciſcanus, Hieronymus Niger, Conradus Vigerius & alij plures cum Bellarmino,& Labbe de Scrip. Eccl.

Hannibaldus Hannibaldenſis de Molaria Ordinis Prædicatorum Romanus ex primaria nobilitate, Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum ſcripſit Commentaria in quatuor libros Sententiarum, quibus D. Thomæ Aquinatis medullam vt dicunt, medulaſſe videtur.

Edidit etiam Quodlibetorum librum.

E vita exceſſit in Vrbe veteri anno reparatę ſalutis 1272. ſepultus ibidem apud Prædicatores, ſub hoc breui Elogio.

Vrbs genitrix: Genus Anibalum, Sors Presbyter, Ordo
Dominici: fons diuinus prælatio Cardo
Quem decorat Titulo duodenus Apoſtolorum.

De quo tractant Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, & Hiſtorici ferè omnes Ordinis Prædicatorum.

Henricus de Bartholomæis qui à patria ſortitus eſt agnomen de Seguſio, natione Gallus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis ſub Vrbano IV. Romano Pontifice iuris Pontificij & Ciuilis Summam vno volumine complexus eſt ordine conuenientiſſimo, & tractatione elegantiſſima, quam ſummam Oſtienſem nominauit.

Edidit præterea lecturas in quinque libros decretales, opus doctrina refertiſſimum, vocaturque Apparatus, vndè eius auctoritas permagna eſt apud Iuris Conſultos.

Deceſſit Lugduni anno ſalutis 1271. 8. Idus Nouembris, iacet apud Patres Prædicatores.

De illo tractant Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Petrus Frizonius in Purpurata, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore, alijque plures apud eoſdem.

Henricus Beaufort, ſeu Chicheleius natione Anglus, Oxonij in iure Ciuili, ac Canonico inſtitutus, ibi Doctoratus gradu ſuſcepto, multa regia negotia, munera, & legationes obijt, quibus prudenter,& integra fide perfūctus ad Meneuenſem primo, mox ad Cantuarienſem Epiſcopatum aſcendit; Pallium à Martino III. ſeu V. accepit, à quo in quarta Cardinalium enuntiatione

tione Presbyter Cardinalis in Titulo S. Euſebij, atque in vniuerſis Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Angliæ Regnis contra Huſſitas Hæreticos, Apoſtolicæ Sedis Legatus renuntiatus eſt. Ad Heigham Ferreis, vbi natus eſt Collegium magnificum extruxit, cum hoſpitali domo pro pauperibus. Oxonij ad literarum ſtudia colenda Collegium celeberrimum, nec non Collegium S. Bernardi extruxit. Multis prudenter, ac piè geſtis, ſummo defunctus eſt die 3. Idus Aprilis anno 1447: atque in Eccleſia Cathedrali Vuintonienſi humatus ſub hac Epigraphe.

Tribularer ſi neſcirem miſericordias tuas.

Hic Synodos plures collegit in Anglia, quarum acta deſcripſit; leges etiam exarauit pro Collegijs, & Academijs à ſe inſtitutis, & de ferijs, ac Clericis coniugatis Decreta Synodalia.

Meminere huius Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Martino III. Arpesfeldius, Io: Pitſæus, Ægydius Royas in Annal. Belgicis, Thomas Valſinghamus in hiſt. Anglicana, Io: Franciſcus Blondus ibidem. Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Auberyus in Vita. Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Polidorus in hiſt. Angliæ, Parckerus, Goduuinus in Vita, Foxus in actis, Spedus, Richardus Smitheus in Archiepiſcopis Cantuariæ, alijque plures.

Henricus Caetanus nobilis Romanus ex Patriarcha Alexandrino à Sixto V. Pont. Max. Presbyteris Cardinalibus ſub Titulo S. Pudentianæ, nec non S. R. E. Camerarius, legatus Bononienſis, ac Gallicus renuntiatus Catholicam religionem contra Hæreticos voce, & ſcripto ſuſtinuit, extat enim huiuſmodi ſcriptum apud plures. legatione etiam functus eſt ſub Clemente VIII. in Polonia ad foedus cum Rege contra Turcas firmandum. Romæ Idibus Decembris anno 1599. febri correptus extinctus ſepulchrum habuit in Titulo ſub hoc Elogio.

HENRICVS CAETANVS
Tituli S. Pudentianæ
Presbyter Card.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Camerarius

Lega-

Legatus Apoſtolicus
Primùm Bononiæ, ſecundùm in Gallia,
In obſidione Pariſienſi,
Tertiùm in Polonia contra Turcas
Sanctæ huius Eccleſiæ
Et Sacelli à fundamentis inſtaurator
Hic requieſcit.
Vir pietate, candore,
Magnitudine, & fortitudine
Animi memorabilis
Eccleſiæ inſeruiuit ſumma domi,
Foriſque auctoritate
Et apud omnes Ordines gratia.
Obijt annum agens L. A. D. M. D.IC.
Idibus Decembris.

Tantum virum celebrant Ægidius Mocantius in Præfat. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Petramellarius in Elogio, Cæſar Card. Baronius. Tomo 2. Annal. Eccl. Io: Rubeus in Vita Bonifacij VIII. Henricus Catarinus Dauila in hiſt. Gallica, Pompeus Vizanius in Bononienſi, Auctarij Ciaconij & alij plures.

Henricus nobilis Gallus Monachus Clareuallenſis Epiſcopus Cardinalis Albanus ſub Alexandro III. Romano Pontifice ſcripſit Orationem contra Hæreticos Albigenſes.

Et tractatum de porta duodecima Ciuitatis Dei, quæ eſt B. Virgo Maria, deque eiuſdem portæ gloria Tractatum alterum.

Ac opus de peregrinante Ciuitate Dei, excuſum Bonofonte anno ſalutis humanæ 1660. vna cum Tomo tertio Bibliothecæ Patrum Ciſterc ienſium.

Morbo exitiali correptus in reditu ex Belgio, quò ſe contulerat ad componendam diſſenſionem inter Attrebatenſem Eccleſiam, & Comitem Flandriæ, die 4. Iulij anno 1188. ſpiritum

Deo

Deo reddidit. Corpus ad Claramuallem delatum iacet ſub hac Epigraphe.

Subiacet huic lapidi quondam notiſſimus Orbi
Abbas Henricus Romano Cardine dignus
Lubrica qui vani contemnens gaudia Mundi
Terra membra dedit, Cælis animamque remiſit.

De hoc Cæſarius lib. miraculorum, Vincentius Bellouacenſis, Baronius in Annal. Sirmondus in notis ad Petrum Cellenſem, Henricus in Faſciculo SS. Ciſtercienſium, & in Menologio, Iongellinus in Notitia Abbatiarum, & in Chron. Vghellius Tomo 1. Italiæ ſacræ, Sammarthani Tomo 3. Galliæ Chriſt. Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius & alij.

Henricus Luſitanus Emanuelis Regis filius, Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum à Paulo III. renuntiatus, die 16. Decembris anno ſalutis 1545. defuncto Luſitaniæ Rege Sebaſtiano, Regni coronam accepit, obijtque Rex & Cardinalis die quo natus 31. Ianuarij anno eiuſdem ſeculi octogeſimo, cuius corpus Eboram tranſlatum in Eccleſia Soc. Ieſu ab eodem Henrico ædificata conditum fuit. Tantus hic vir ſcripſit, Commentaria quibus probat S. Paulum Hiſpanis prædicaſſe Verbum Dei.

Commentatus etiam eſt in proprium vſum libellum Homiliarum, in quo Euangelia per annum occurrentia ad formam Meditationum exprimens viuum pietatis ſpecimen poſteris reliquit; in his Commentarijs expreſſæ videntur Meditationes pro feſtiuitatibus B. Mariæ ſemper Virginis, obſeruantiæ tanti Principis erga Deiparam pignus regium.

Elucubrauit etiam, vt erat doctiſſimus iuxta, ac pientiſſimus Sermones Spirituales de rebus diuinis ad Populum habitos lingua patria, quos Antonius Senenſis Luſitanus Ordinis Prædicatorum latinos à ſe factos Louanij euulgandos curauit anno 1575. & elegantius poſtea Societatis Ieſu Patres Eborenſis Collegij, addita Ludouici Granatenſis Præfatione. an autem hi ſermones ſint alij à Meditationibus ſuperius indicatis prorſus ignoro.

Acta Henrici Regis, & Cardinalis expreſſerunt Antonius de Macedo in Cardinalibus Luſitanicis, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs Auguſtinus Gaui Luſitanus in Vita & Hiſtorici omnes qui hiſtorias ſeculi decimi ſexti deſcripſerunt, præter Andream Peregrinum & Nicolaum Antonium in Bibl. Hiſpan.

Henricus

Henricus Minutulus Neapolitanus Bituntinus Epiſcopus primò, rum Tranenſis Archiepiſcopus, demùm Neapolitanus, inter Presbyteros, ac Epiſcopos Cardinales cooptatus, Tuſculanam rexit Eccleſiam, atque ſub Gregorio IX. S. R. E. Camerarius & legatus Apoſtolicus in Æmilia Conſtitutiones euulgauit in Clericorum, Eccleſiæque commodum. Exceſſit è vita Bononiæ die 17. Iunij anno 1412. Cadauer Neapolim delatum in Cathedralis ſuorum Gentilium Sacello conditum fuit ſine vlla memoria.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auberyum, Panuinium, Felicē Contelorium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Hercules Gonzaga Franciſci Marchionis Mantuæ & Iſabellæ Eſtenſis filius, natus X. kal. Decembris anno ſalutis 1505. generis ſplendorem cultioribus tum literis, tum moribus auxit, ornauitque cui Cardinalitium pileum Clemens VII. inſtante Matre traſmiſit, cum Diaconia S. Mariæ nouę. legationis munere functus eſt ſub Pio IV. in Campania, & apud Carolum V. Cęſarē; rexit Archiepiſcopus Tarraconenſem, ſeu ex alijs Tiraſonenſem, Epiſcopus adminiſtrauit Mantuanam, Suanenſem, & Fanenſem. Primus Apoſtolicę Sedis legatus, & Pręſidens ad Concilium Tridentinum miſſus Orationem ad Patres congregatos habuit, adfuit Concilio vſque ad ſextā Seſſionē, diù, noctuque factis, dictis, & ſcriptis pro Eccleſia Catholica forti animo ſtans. Tandem febri correptus die 2. Martij anno à partu Virginis 1563. aetatis 58. quorum 36. in purpura traduxerat, vt vixerat, ſanctiſſimè expirauit. Corpus aromatibus conditum Mantuam delatum cum Ferrantis fratris cineribus in Sacello S. Petri collocatum cum hac ſepulchrali inſcriptione.

HERCVLIS GONZAGÆ
Cardinalis,
Et
Epiſcopi Mantuani
Magni conſilij,
Magnæque eruditionis viri

Duni

Dum ſacro Concilio Tridentino
Præſideret
Vita functi Cadauer.

Præter Orationem ſuperius indicatam edidit Hercules librum prænotatum Vitæ Chriſtianæ inſtitutio,

Et Epiſtolas plures, quas legere quiſque poterit in libris Epiſtolarum Virorum illuſtrium. Eiuſdem Auctoris eſt Opuſculum de Patrocinio Virginis Mariæ in ſuos deuotos, quod M. S. extabant in Bibliotheca Ducis Vrbini, vt habemus ex illius Syllabo.

Celebrant tantum virum Sfortia Cardinalis Pallauicinus, Ciaconius, cum Auctarijs & alij plures.

Herebertus Boshan Anglus S. R. E. Presbyter Cardinalis ſub Alexandro III. Romano Pontifice & Archiepiſcopus Beneuentanus, ab epiſtolis olim Sanctiſſimi viri Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, hæc doctrinæ ſuæ monumenta Poſteris tradidit.

De geſtis S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis librum vnum.

Defenſorium animæ.

De ſuis peregrinationibus librum vnum.

Literarum volumen

Errorum veterum inuentores vno volumine collectos, & alia.

Quo tempore è vita obierit, incertum.

Meminere huius Io: Pitſæus de Scriptoribus Anglicis, Rupipozæus & Torrigus de Cardinalibus, Marius Vipera in Chronol. Beneuentana, Baronius, Ciaconius & alij.

Hermannus Diaconus Cardinalis S. Angeli, Alexandri III. Pontificis nomine Diploma exarauit, & literas ſcripſit pro Eccleſia & Monaſterio S. Clementis Inſulæ Piſcariæ, cuius Cœnobij etiam hiſtoriam deſcripſerat.

Eſt Hermanni mentio apud Vghellium in Italia ſacra, Ciaconium, alioſque quorum aliqui hunc cum alio Presbytero in Titulo S. Suſannæ confundunt.

Hermolaus Barbarus Venetus ex Reipublicæ Oratore ab Innocentio VIII. S. R. E. Cardinalis & Patriarcha Aquileienſis renuntiatus contra patrias leges quæ vetant Oratoribus à Principibus ad quos miſsi ſunt, dignitates vllas, aut munera accipere, Cardinalis inſignia numquam geſsit, doctrina tamen claruit, ac ſcripſit

De

De Cœlibatu libros duos
Caſtigationes Plinianas ad Alexandrum VI.
Contra barbaros Philoſophos opuſculum
De re vxoria aliud metrycè
Conuenientiam Aſtronomiæ & Medicinæ
Præcepta hiſtoriæ conſcribendæ ad Sabellicum
Compendium Philoſophiæ
Compendium Galeni
Epiſtolas ad diuerſos
Orationes plures
Carminum pluſquam duodecim millia.
In Ariſtotelis Rhetoricam, & Dialecticam Commentaria
In Dioſcoridem notas.
Commentatus etiam eſt Gilberti Porretani de ſex principijs librum.
E vita migrauit Romæ die 21. Maij anno noſtræ ſalutis 1494. ætatis 39. ſeu ex alijs 41. Corpus iacet in Æde S. Mariæ de Populo.
De hoc plura apud Ciaconiū, eiuſdemque Auctarios, & alios apud eoſdem.
S. Hieronymus Stridonienſis S.R.E. Cardinalis & Doctor floruit anno 14 Theodoſij, obijtque Honorio imperante anno 422. ætatis ſuæ 91. vel. anno 420. ætatis 78. cuius opera quæ reliquit ad Poſteros nouem Tomis euulgata fuerūt Lugduni 1530. & annis 1565 & 1572. Romæ ſtudio Mariani Victorij. huiuſce editionis poſtremæ, quæ ab erroribus Eraſmi purgata eſt, talis eſt ordo.
Tomus primus continet
Epiſtolas hortatorias ad diuerſos
Et librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis,
In ſecundo Tomo libri ſunt contra hæreticos, vel Calumniatores, videlicet
Aduerſus Heluidium liber 1.
Aduerſus Iouinianum lib. 2.
Apologia pro libris in Iouinianum
Apologeticum ad Domnionem
Ad Pammachium pro iiſdem libris
Aduerſus Vigilantium ad Riparium Epiſtola
Aduerſus Vigilantium liber. 1.
Ad Marcellam aduerſus Montanum Epiſtola
Aduerſus Luciferianos Dialogos

Ad Auitum contra Origenem
Ad Ioannem Hieroſolymitanum Origeniſtam
Ad Pammachium de erroribus Io: Hieroſolymitani
Ad Theophilum contra eumdem Ioannem
Apologiæ aduerſus Ruffinum libri tres
Ad Cteſiphontem aduerſus Pelagium
Aduerſus Pelagianos libri tres
Ad diuerſos diuerſorum argomentorum Epiſtolæ triginta, necnon Epiſtolæ Epiphanij, Theophili & Auguſtini ad Hieronymum Epiſtolæ octo.
In Tomo 3. ſunt Præfationes & quæſtionum explicationes
Ad Paulinum de libris Scripturæ
Præfationes in Pentateuchum
In Ioſuè
In libros Regum
In librum Paralip. 2.
In Eſdram
In Tobiam
In Iudith
In Eſther
In Iob
In Prouerbia
In Eccleſiaſtem
In Cantica
In Iſaiam
In Hieremiam
In Ezechielem
In Danielem
In 12. Prophetas
In quatuor Euangelia
Sequuntur deindè in eodem Tomo explicationes quæſtionum à diuerſis propoſitarum, videlicet
A Damaſo
A Dardano
A Vitali
Ab Armando
A Minerio, & ab Alexandro
A Cypriano
A Paula Vrbica
Ab Euagrio
A Marcella

A Sophro·

A Sophronio
Ab Hedibia
A Principia Virgine
A Fabiola
A Ruffino
A Sunia & Fretella
Ab Algaſia
A Paulino
A Deſiderio.

Denique ſunt in eodem Tomo traditiones, ſiue quæſtiones hæbraicæ

In Geneſim
In libros Paralipomenon
In libros Regum

Item libri de locis hebraicis, & de nominibus hæbraicis quæ in omnibus libris teſtamenti ueteris,& noui occurrunt,

In 4. Tomo ſunt Commentaria in IV Prophetas maiores,& Threnos Hieremiæ.

In 5. Tomo ſunt Commentaria in Eccleſiaſtem & in 12. Prophetas Minores.

In Tomo 6. Commentaria in Matthęum, in Epiſtolas ad Galatas, ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem; liber Didymi de Spiritu Sancto à Hieronijmo latinus factus.

In Tomo 7. Commentaria in Pſalmos omnes.
Et verſio S. Hieronijmi ex Hebræo.

In Tomo 8. ſunt in Iob Commentaria Bedæ.
In Prouerbia Commentaria eiuſdem.
In Cantica homiliæ Origenis.
In omnes Pauli Epiſtolas commentaria.

In Tomo 9. ſunt multa aliorum, vt Euſebij Cæſarienſis, Ruffini Auguſtini, Gennadij & aliorum de quibus nullum eſt dubium.

Plurimi etiam libri, vel Epiſtolæ ponuntur quas Eraſmus in Tomum 4. coniecerat quæ, verè ſunt Hieronymi, illas connumerabo.

Epiſtola ad Demetriadem Virginem quæ incipit ſi ſummo ingenio; Pelagiana eſt,& à S. Auguſtino ipſi Pelagio tribuitur.

Epiſtola ad Geruntij filias, quæ ſimiliter pelagiana eſt, ſicut etiam

Epiſtola ad Amicum de cognitione diuinæ legis.

Epiſtola de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ad Deſiderium; poni

inter lumina Eccleſiæ Origenem, Iouinianum, Pelagium hæreticum, numerat etiam Hilarium Pontificem qui Sancto Leoni ſucceſſit, & diù poſt mortem S. Hieronymi clarere cœpit.

Epiſtola de filio luxurioſo & frugi pelagiana eſt, & multum omninò diſcrepans à vera Epiſtola S. Hieronymi de eodem argumento.

Symbolum ad Damaſum quod incipit Credimus in Deum Patrem, & clauditur illis verbis ſe imperitum, & maleuolum, vel non Catholicum, non me hæreticum comprobabit, non eſt Hieronymi ad Damaſum, ſed Pelagij ad Innocentium.

Epiſtolæ S. Auguſtini ad Cyrillum Hieroſolymæ Epiſcopum de obitu S. Hieronymi ſine dubio falſæ, & ſuppoſititiæ ſunt, conſtat enim Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum obijſſe diù antequam S.Hieronymus moreretur. Tribuitur etiam S. Hieronymo liber de vitis Sanctorum Patrum, ſed ille liber non eſt vnius Authoris, nam in prima parte ponuntur vitæ Monachorum, quas ſcripſit Euagrius Ponticus, quarum primam Ioannis Abbatis vt veram agnoſcit Robertus Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Eidem Euagrio tribuit Vitas Patrum Gennadius in ſuo Catalogo Scriptorum, his adiunctæ ſunt Vitæ Pauli primi Eremitæ, Hillarionis, & Malchi à S. Hieronymo ſcriptæ; item Vita S. Antonij ab Athanaſio, & Mariæ Ægeptiacæ à Zoſimo edita, item multa ex Collationibus Caſſiani, & Vitam ipſius Hieronymi, quæ parum fideliter deſcripta eſt.

Damaſi Pontificis iuſſu Officium diuinum Hieronymus ordinauit, quod in ſclauonicum etiam idioma traduxit.

Scripſit etiam de perpetua Virginitate Mariæ librum vnum, cuius ipſemet meminit in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, & alibi; nec non Epiſtolam de Aſſumptione eiuſdem ad Paulam & Euſtochium. Alia de eadem Aſſumptione, quæ incipit Scientes fratres, iuxta multorum ſententiam non eſt Hieronymi, & multò minus libellus de Natiuitate Mariæ.

Dubitant aliqui an Quæſtiones in libros Regum & Paralipomenon, ac Commentaria in Threnos Hieremiæ, & in omnes Pſalmos ſint Hieronymi. Alij Authorem illum faciunt Commentariorum in Iob, in Prouerbia & in omnes Epiſtolas Pauli, quæ ſunt Bedæ, & vltima Pelagij hæreſiarchæ. Vide Bellarminum qui certa ab incertis ſecernit in Opuſculo de Eccleſiaſticis Scriptoribus.

De

De Hieronymo tractant omnes qui hiſtoriam Eccleſiaſticam deſcripſerunt;

Hieronymus Aleander Ceneten ſis à Paulo III. in Cardinalium Collegium adlectus cum Titulo Presbyterali S. Chryſogoni, opera multa, eaque egregia elucubrauit, & ſunt.

Opus vaſtum aduerſus ſingulos Diſciplinarum Profeſſores.

Tabulæ in Grammaticam græcam, ſeu potius Grammatica græca.

Dialogi duo feſtiuiſſimi, quorum vnus Cicero relegatus, alter Cicero reuocatus inſcribitur.

Carmina quædam, quorum plurima ſunt in laudem B. Virginis & extabant ſeorſim M. SS. in Bibliotheca Sirletti, & apud Canonicos regulares S. Georgij in Alga.

Epiſtolæ plures.

Notationes aliquæ

Contra hæreſim Lutheri Oratio à ſe habita coram Cæſare, & Electoribus.

Romæ è vita exceſſit kalendis Februarij anno 1542. Corpus iacet in D. Chriſogoni ſub hoc Elogio.

HIERERONYMO ALEANDRO
Mottenſi
E comitibus Iandri
In Carnia P. træpi'oſæ
In Hiſtria oriundo
Tit S. Chriſogoni
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Card.
Brunduſino, Philoſophiæ,
Ac
Theologiæ Doctori,
Hebraicæ, græcæ, latinæ,
Aliquotque aliarum linguarum exoticarum
Ita exactè docto,
Vt eas rectè,

Et

Et aptè loqueretur,
Et ſcriberet.
Mox diuerſis legationibus
Pro Summis Pontificibus
Ad omnes ferè Chriſtianos Principes fideliter,
Et
Diligenter perfuncto,
Et
Ideò in tabem delapſo
Quanti humanam miſeriam fecerit
Sequenti diſticho
De ſe edito teſtatum
Poſteris reliquit.
Natus eſt Mottæ in Caroia
Anno
MCCCCLXXIX.
Moritur Romæ
Anno Chriſti ſalutis
MDXLII.
Heredes Patruo ampliſſimo,
Et Optimo
Mœſtiſſimi P. C.

Exceſſi è vita ærumnis, facilíſque, Lubenſque
Ne peiora ideò Morte dehinc videam.

Meminere cum laude Hieronymi Ciaconius cum Auctarijs, Panuinus, Garimbertus, Iacobus Sadolettus in Epiſtolis, Paulus Iouius, & Antonius Sanderus in Elogijs, Henricus Spondanus in Annalibus, Ludouicus Donius Dattichy in hiſtoria Cardi-

nalium

nalium, Laurentius Surius in Commentarijs, Auberyus, Felix Contelorius & alij plures.

Hieronymus Aſculanus ex Ordinis Minorum Generali Preſbyter Cardinalis S. Pudentianæ, atque ex Epiſcopo Prænestino omnium ſuffragijs eualgatus Romanus Pontifex præfuit Eccleſiæ ſub nomine Nicolai IV. annos quatuor, Menſem vnum, dies quatuordecim; doctrina, prudentia, vitæque ſanctimonia illuſtris, qui antequam ad ſummam dignitatem eueheretur, ſcripſerat.

Poſtillas in multos Sacræ Scripturæ libros.

Sermones de Tempore, de feſtis Deiparæ, & de Sanctis.

Summas varias.

Pontifex verò Epiſtolas plures, quarum volumina tria M. SS. aſſeruantur in Vaticano cum eiuſdem Conſtitutionibus.

Pridiè nonas Aprilis anno ſalutis 1292. ad gaudia cæleſtis Aulæ migrauit. Corpus in Baſilica liberiana ſepulchrum habuit adnotatum hoc Epigrammate.

Hic tumulus tumulat humilem qui faſcibus auctus
Hic moriens ſtatuit oſſa manere ſua.
Hunc Franciſcus alit, Cardo vt ſit, almaque Petri
Sedes magnificat, gratia dia beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus, Virginis Ædem
Hanc lapſam reficit, fitque vetuſta noua.
Petrus Apoſtolicus ſocium, Franciſcus alumnus
Protegat Omnipotens Matre rogante habeat.

Tanti viri acta explicarunt Ægidius Viterbienſis in hiſt. Henricus Monachus in Chronico, Eberardus, Bernardus, Iordanus, Odericus, Bzouius in Annal. Eccl. Marraccius in Pontificibus Marianis, Garimbertus, Panuinius, Ciaconius, cum Auctarijs, Vadingus & alij.

Hieronymus Auria, ſeu Doria Auguſtini, & Pellegrinæ Patritiorum Genuenſium filius, maritus Aloyſiæ Spinulæ, quæ fuit genita & hæres Baptiſtæ Spinulæ Reipublicæ Genuenſis Ducis, qua, ſuſcepto ex ea filio Nicolao & quatuor feminis, orbatus, cum prius in Patria Magiſtratus plures cum laude adminiſtraſſet, & præcipuè cum Oratoris munere pro eadem ad Iulium II. Pontificem Maximum functus fuiſſet, Andreæ Principis Auriæ commendatione ad ampliſſimam Cardinalatus dignitatem peruenit. Præfuit primò Diaconiæ S. Thomæ in

Paroine,

Parione, deindè S. Mariæ in Porticu, Epiſcopus rexit Nebienſem in Corſica, Naulienſem in liguria, Iacenſem, Oſcenſem, & Tarraſſonenſem, ſeu Tarraconenſem in Hiſpania Eccleſias. E vita migrauit in patria Menſe Martij anno 1558. ſepultuſque in Maiorum ſuorum monumento ad S. Mariam à Cella. hic ante purpuram à ſpectata virtute dignus habitus fuit qui eſſet in duodecim viris, qui leges ferrent, & ſtatum rerum emendarent, ac conſtituerent, quare cum alijs Patriæ legatus euulgauit ex Michaele Iuſtiniano, Vberto Folietta, Auberyo, Panuinio, Ciaconio, alijſque qui de Cardinalibus ſcripſerunt.

Hieronymus Baſſus de Ruuere ligur patria Sauonenſis, Sixti IV. Sororis filius ex Epiſcopo Albiganenſi Recinetenſis primò, tum Presbyter Cardinalis Tituli S. Balbinæ, mox S. Chryſogoni, ac S. Cæciliæ, demùm Epiſcopus Prænestinus & Sabinenſis renuntiatus è vita migrauit in oppido Fabricæ die prima Sept. anno ſalutis 1507. Corpus in Vrbem deductum conditum fuit ad S. Mariam de Populo cum ſequenti Titulo.

D. O. M.

HIERONYMO BASSO

Sauonenſi

Sixti IIII. Pont. Max.

Sororis filio

Epiſc. Sabinen. Card. Recineten.

In omni vita conſtanti,

Integro, religioſo.

Iulius II. Pont. Max.

Amitino ſuo

B. M. poſuit MDVII.

Edidit ſalubres Conſtitutiones pro Cleri Maceratenſis norma, quæ adhuc obſeruantur, vt referunt Ferdinandus Vghellius, & Michael Iuſtinianus. De eodem tractant Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, & alij plures.

Fr. Hieronymus Bernerius Corrigienſis, Ordinis Prædicatorum

torum Theologus, Epiſcopus Aſculanus, à Sixto V. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus cum Titulo S. Thomæ in Parione, quem poſtea cum illo S. Mariæ ſuper Mineruam, & cum illo S. Laurentij in lucina commutauit; ad Ordinem demum Epiſcopalem aſcendens rexit Albanenſem, Præneſtinam & Portuenſem Eccleſias, ſcripſitque Synodales Conſtitutiones pro Clericis Aſculanis.

Romæ ex hac luce ſubtractus eſt die 8. Auguſti anno ſalutis per Virginem partæ 1611. & conditus in Æde S. Sabinæ apud Sacellum S. Hyacintho ſacrum à ſe erectum cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

FR. HIERON. BERNERIVS
Corrigen.
Ex Ordine Prædicatorum
Tit. S. Mariæ ſuper Mineruam
S. R. E.
Presbyter Card. Aſculanus
De morte & Corpor. reſurrect. piè,
Ac
Religiosè cogitans
Hoc ſibi ſepulchrum
In quo
Cum vniuerſæ carnis viam ingreſſus
Fuerit mortale ſuum conderetur
Viuens P.
Sacell. vbi quotid. pro eius anima
Sacrum fieret, extruxit
D. Hyacintho Confeſſ. D.
Anno Iubilæi MDC.

Ætatis ſuæ LX.
Vixit Annos LXX. Men. viij: Dies 11.
Obijt Epiſcopus Portuen.
VI. Id. Auguſti MDCXI.
Credo quod Redemptor meus viuit,
Et,
In nouiſſimo die de terra
Reſurrecturus ſum.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auctarios Ciaconij, Vincentium Robaldum de Cardinalibus Sixti V. Hiſtoricos ſui Ordinis & alios.

Hieronymus de Capiteferro, Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgij ad velum aureum à Paulo III. renuntiatus, Conſtitutiones pro bono Prouinciæ Romandiolæ, dum in ea legationem ageret, edidit. Deceſſit Romæ Kal. Octobris anno ſalutis 1564. & ſepultus in S. Maria de Pace.

Celebrant tantum virum Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, & alij apud eoſdem.

Hieronimus Columna Romanus ſtudiorum curriculo feliciſſimè perfecto in Academia Complutenſi, laureaque donatus inter Diaconos Cardinales ab Vrbano VIII. Pont. Maximo cooptatur, præficiturque Eccleſiæ Bononienſi, cui poſt nonnullos annos nuncium remiſit. Baſilicam lateranenſem Archipresbyter rexit, & Epiſcopus Tuſculanam adminiſtrauit. Ex Hiſpania redux cum Margarita Imperatrice in Oppido Finarij migrauit ad Dominum die 4. Septembris anno ſalutis 1666. ætatis tertio ſupra ſexageſimum, Cadauer in Eccleſia Patrum Dominicanorum eiuſdem loci ſepulturæ ad tempus datum. Vnicè hic ſemper viros doctrina & pietate præſtantes dilexit, ac fouit, ſuiſque impenſis Ioannis Ciampoli verſus ad etruſcos modulos compacti, vt typis ederentur ſummo ſtudio, diligentiaque curauit. huiuſce Cardinalis opus eſt Synodus Bononienſis ab ipſo celebrata: extant eiuſdem literæ paſtorales ad Clericos Bononienſes, & Elogia in Apotheoſi diuerſorum Sanctorum.

Acta Hieronymi Cardinalis explicata inuenies apud Auctarios

rios Ciaconij, apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, & in Opuſculo de Cardinalibus Columnenſibus, eiuſdemque laudes alij plures attigerunt.

Hieronymus Farneſius Romanus, Marij Ducis lateræ filius ex pontificiæ Domus præfectura ad Archiepiſcopatum Patracenſem primò, mox ad ſacram purpuram beneficio Alexandri VII. aſcendit, perfuitque Legatus Bononienſi Vrbi, & Preſbyter Titulo S. Agnetis extra Vrbem. Dies decima octaua Menſis Februarij anni voluentis ſeculi decimi ſeptimi, ſexageſimi octaui, fuit illi poſtrema, conditus poſt obitum in Templo Farneſiano Patrum Soc. Ieſu.

Parmæ dialecticam in arctum collectam euulgauit anno ſuæ ætatis decimo ſexto.

Præter Ciaconij Auctarios celebrarunt tantum virum nobiles plures, tum vincta, cum ſoluta oratione, in volumine euulgato Parmæ anno 1615.

Hieronymus Caſtaldus, ſeu Gaſtaldus ligur, è Tabia, Petri Ioannis iuris conſulti, ex Nicoletta Calua filius, obtenta Doctoris Laurea in Academia Piſana peragrata Hiſpania Romam acceſſit, animo, ingenioque præcellens, vt in Vrbium Regina virtutis catadromum ipſe quoque decurreret. Ab Alexandro VII. Romano Pontifice Referendarijs primò vtriuſque Signaturæ, deinde Apoſtolicæ Cameræ Clericis adſcriptus, contagij tempore ſanitatis publicæ curator electus, Lœmodochia omnia ſumma prudentia, vigilique ſtudio ad mentem Pontificis adminiſtrauit. A Clemente IX. promotus eſt ad Eccleſiæ Quæſturam, & à X. ſucceſſore ad ſacram purpuram. Habet hic, teſte Michaele Iuſtiniano paratum tractatum Iuridico-politicum de Peſte.

Hieronymus Ghinuccius natione Italus patria Senenſis à Paulo III. Pont. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus Titulum S. Balbinæ, mox S. Clementis habuit, inſcripſitque ad Nauſeam Epiſtolam, & alia quæ M.SS. extare apud Hæredes, Vitæ Auctores volunt, Concilij Tridentini acta cum alijs Cardinalibus diſpoſuit, ordinauitque. Mortem ſubijt Romæ die 3. Iulij anno proximè euoluti ſeculi decimi ſexti primo ſupra quadrageſimum. Oſſa iacent in Titulo S. Clementis ſine memoria ſepulchrali.

De hoc Cardinali tractant Auberyus, Panninius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Conclorius in Elencho, Iſidorus Vgurgierij in Pompis Senenſibus, & alij multi.

Hieronimus Grimaldus iunior nobilis Genuenſis, Nuncius extra ordinem ad Cæſarem, ordinarius apud Ludouicum XIII. Galliarum Regem, & S. R. E. Cardinalis ab Vrbano VIII. renunciatus Titulum S. Euſebij obtinuit, quem progreſſu temporis cum illo Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio commutauit, præfuit Epiſcopus Brugnetenſi in liguria, & Albaneſi, Archiepiſcopus Aquenſi Cathedræ in Gallia; Scripſit Conſtitutiones Synodales, Epiſtolarum volumina plura, atque è gallica in italam vertit linguam, Vitam Henrici IV. Regis.

Meminere Hieronymi Cardinalis Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ciaconij Auctarij, Michael Iuſtinianus in Elencho Scriptorum ligurum, Io: Baptiſta Ricciolì è Soc. Ieſu in Epiſtola nuncupatoria Almageſti, & alij.

Hieronymus Mattheius Romanus iuris ſcientia clarus, vtriuſque Signaturæ Referendarius, Cameræ Apoſtolicæ Præſidens Clericus primò, tum Generalis Auditor, ſub Sixto V. Diaconis Cardinalibus adſcriptus, præfuit Diaconijs S. Hadriani, S. Agathæ, S. Mariæ in Coſmedin, ac S. Euſtachij, Presbyter verò Titulo S. Pancratij, Epiſtolam ſcripſit ad Archiepiſcopum Senenſem pro editione Concilij Tridentini, quæ extat typis euulgata cum Synodo quarta Senenſi. Vidi M S. apud Hieronymum Mattheium Ducem Iouis, nepotem eiuſdem volumen de varijs rebus ad Concilium Tridentinum, & Conſiſtorium ſpectantibus. Ex improuiſo die 8. Decembris anno ſalutis 1603. ętatis 57. terris ereptus ſepulchrum habuit in Araceliano Templo apud Maiores.

De hoc Cardinali tractant Auctarij Ciaconij, Petramellarius in Elogijs, Doglionus in hiſtoria & alij multi.

Hieronymus Pamphilius Romanus Eugubio oriundus Innocentij X. Patruus ex Romanæ Rotæ Auditore ſub Clemente VIII inter Presbyteros Cardinales cooptatus Titulum habuit S. Blaſij de Annulo, ſcripſitque plures Romanæ Rotæ Deciſiones, quarum volumina tria ego met vidi apud diuerſos. Romæ è viuis abijt 3. Idus Auguſti voluentis ſæculi decimi ſeptimi, anno decimo. Corpus iacet in Æde Virginis Vallicellanæ ſub hoc Titulo poſito à Io: Baptiſta Cardinali Nepote, qui ad ſupremam in Eccleſia euectus dignitatem dictus eſt Innocentius X.

HIERO-

D. O. M.

HIERONYMO
Card. Pamphilio Rom.
A Gregorio XIII.
Inter Auditores Rotæ Rom. adlecto,
Et
Ex eiuſdem Tribunali Decano,
Ac
Pœnitentiariæ Regente
A Clemente VII. olim Rotæ
Collega
In Purpuratorum Collegium adſcripto,
Et
A Paulo V. ad Vicarij munus quod ipſe
Proximè geſſerat aſſumpto
Gratulante ſibi virtute cui datur
Quidquid conferebatur in virum
Qui incorrupta integritate
Intimaq; legum ſcientia
Honores & meritus præuenerat
Et par adminiſtrabat.
Obijt Anno Dom. MDCX.
Ætat. ſuæ LXVI.
In Saceſſo S Philippi quem viuum
Coluerat tumulatus.
Ioannes Baptiſta Pamphilius
Ab Vrbano VIII.
Cardinalis creatus,

Et
Pamphilius Fratris Filij
Monumentum poſuere.

Eſt Hieronymi huiuſce mentio apud AuctariosCiaconij, Theodorum Amydenium, Octauium Boldonium in Epiſt. & apud alios plures.

Hieronymus de Ruuere Pedemontanus, alijs ligur Sauona oriundus, Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula ſub Sixto V. Eccleſiæ Taurinenſis perpetuus adminiſtrator, ſcripſit anno nono ſuę ætatis orationem dictam in Academia Patauina & tipis datam anno 1539. nec non in laudem Iulij de Ruuere Cardinalis Orationem vnam, aliam in anniuerſario coronationis Pauli Papæ III. vnam ad Iulium III. Guidobaldi de Ruuere, Vrbinatis Ducis nomine, præter illas quas Gallicè dixit in morte Henrici II. & Francisci IX. Gallarum Regum. Italica verò lingua panegyricum habuit in laudem SS. Solutoris, Aduentoris, & Octauij Martyrum, Iulianæ Matronæ & Gozolinj, XIV. kal. Februarij anno 1595. euulgatam. Extabat eiuſdem de B. Maria opuſculum in Bibliotheca Ducis Vrbini. Literæ, quas ad Aurelium Porcelagam miſit & Carmina ſunt typis excuſa in libro 15. Epiſtolarum Italicarum Virorum illuſtrium. Innocentio IX. vita functo dum in Comitijs pro nouo eligendo Pontifice eſſet, morbo affectus die 7. Kal. Februarij anno à partu Virginis 1592. è vita migrauit, Iacet in Eccleſia ſui Tituli ſub hoc Elogio.

D. O. M.

HIERONYMO DE RVVERE
Tit. S. Petri ad vincula
Presb. Card.
Taurinen. Archiepiſcopo
Qui
A pueritia admirabilis ingenij,
Linguarum, ſcientiæ, eloquentiæ

Mox

Mox prudentiæ, ac doctrinæ
Inſignia dedit documenta
Virtutiſque & nominis ſui celebritate
Ita ſemper apud magnos Principes,
Et
Nationes claruit
Vt nullo vmquam honoris gradu,
Non digniſſ. haberetur.
Lælius, & Iulius Fratres
Patruo Opt. Poſ.
Vixit Annos LXI. Menſ. xi.
Dies 26.
Ob 7. Kal. Februarij
Dum Comitijs Pontificijs
In Conclaui intereſſet
MDXCII.

Huius Elogium eſt apud Vghellium Tomo 4. Italiæ ſacræ; apud Philibertum Pingonium in Auguſta Taurinorum, Franciſcum Auguſtinum ab Eccleſia in hiſtoria Pedemontana, Bellarium in Carminibus, Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, Panuinium, Auctarios Ciaconij & alios.

Hieronymus Seripandus Neapolitanus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini à Pio IV. Romano Pontifice Presbyter Cardinalis S. Suſannæ renuntiatus edidit

Commentaria in omnes Sancti Pauli, & ſeptem Canonicas Epiſtolas

De peccato originali librum

De hominis iuſtificatione Tractatum

Quæſtiones contra noſtræ ætatis Hæreticos

Compendium Chronicorum ſui Ordinis

Concionum quadrageſimalium ſex diſtincta volumina

Orationem in funere Caroli V. Imperatoris habitam in italica lingua, Neapoli 6. Kal. Martij, quam Cardinalis de la Cueua

Prorex

Prorex Neapolitanus latina lingua excudi præcepit.

Elucubrationem circa libros Canonicos Sacræ Scripturæ quam Patribus Concilij Tridentini exibuit, cum alia de natura peccati originalis, & iuſtificatione hominis, cum alijs in Vrbe Neapolitana apud Patres Eremitanos ad S. Ioannis Carbonarij in Bibliotheca ab ipſo extructa, & libris ſcientiarum omnium tum impreſſis, tum M. SS. referta extare Epiſcopus Signinius in ſui Ordinis Chronico refert. In Collegio Romano Patrum Societatis Ieſu eſt huiuſce Cardinalis Volumen litterarum Italica lingua M. S. publici iuris tamen ſunt illæ ad Thomam Villanouanum, & de morte eiuſdē. Legatus Apoſt. obijt Tridenti 16 Kal Aprilis anno ſalutis 1563. Oſſa Neapolim traslata iacent in Eccleſia S. Ioannis Carbonarij cum hac ſepulchrali inſcriptione.

HIERONIMO SERIPANDO
Cardinali
Concilij Tridentini legato
Chriſtofanus Patauinus
Sodalitij Eremit.
Mag. P.
Vixit Annos LXX. Menſes v.
Dies 11.

Si quis honos tumuli quantum Sol lampade luſtrat
Terrarum, Cæliquc tuum eſt Seripande ſepulchrum.

Summis, ſed debitis laudibus extollunt Seripandum, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Sfor ia Cardinalis Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Felix Contelorius in Elencho, Ioſeph Pamphilus in Chronico ſui ordinis, & alij plures.

Hieronymus Socherus Gallus Monachus Ciſtercienſis Preſbyter Cardinalis S. Matthæi in Merulana renuntiatus à Pio V. Romano Pontifice doctrina, prudentia, ac ſanctitate clarus, pro Eccleſia Romana volumina plura elucubrauit, vti etiam de reformatione ſui Ordinis Epiſtolarum librum vnum, & alium de Controuerſijs aduerſus Hæreticos ſui temporis, nec non Opuſ-

Opuſculum de B. Virgine, quod M. S. extabat apud Monachos ſui Ordinis. E vita migrauit Romæ 10. kal. Nouembris anno ſalutis 1571. ætatis 63. iacet apud S. Crucem in Hieruſalem in Sepulchro à Ciſtercienſibus Monachis erecto cum ſequenti inſcriptione

D. O. M.

Domino
HIERONYMO SOCHERIO
Aruerno, Pariſien.
Theologo præſtantiſſimo,
Qui
Henrico II. Franciſco II.
Et Carolo IX.
Galliarum Regibus, Carolo Cardinali
Lotaringo,
Boniſque omnibus eximiè charus
Claræuallis Abbas
In Tridentina Synodo ſententias
Doctrinæ, pietatis,
Et prudentiæ pleniſſimas dixit.
Inde Ciſtercij electus Abbas,
Ipſiuſque Ordinis
Generalis à Pio V. Pont. Max.
Delatam abſenti
Cardinalatus dignitatem, vt acciperet,
Vix adduci potuit.
Deindè in Vrbem accitus
Singulari opum

Ac Gloriæ contemptu, & vitæ moderatione:
Omnibus admirationi
Fuit.
Vixit Annis LXIII.
Obijt 10. Kal. Nouemb MDLXXI.
Monaci Clareuallis poni
Curarunt.

Siſte rogo, & precibus lector, venerare ſepulchrum
Siſte, feres parua proemia magna moræ.
Vita prior mortem, ſed mors tibi prima ſecundam
Vitam, quę numquam eſt interitura dabit.

De Cardinali Socherio tractarunt Nicolaus Baccetius in Septimiana hiſtoria, Scriptores Ciſtercienſis Ordinis, Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Felix Contelorius, Ciaconij Auctarij & alij plures.

Hieronymus Veralius Romanus ex Signaturæ vtriuſque Referendario Epiſcopus Fori Triuentinorum primò, mox Caſertanus, ac ſacræ Rotæ Romanæ locum tenens, & adminiſtrator Archiepiſcopatus Roſſanenſis, Apoſtolicus Nuncius apud Venetos ſub Paulo III. & in Germania apud Ferdinandum, & Carolum V. Imperatorem, demum 6. Aprilis anno 1549. Preſbyter Cardinalis S. Martini in Montibus ab ipſo Paulo renunciatus eſt. A Iulio vero III. legatus miſſus ad Henricum Gallorum Regem pro pace inter Principes Chriſtianos. Peracta hac poſtrema legatione Romam reuerſus præficitur Signaturæ & primum Titulum cum alio S. Marcelli commutat.

Huius extant in manus diuerſorum relationes legationum, & Deciſiones exaratæ in Rota Romana.

Ad cœleſtem patriam migrauit Romæ 5. Idus Octobris anno Domini 1555. ætatis 55. Tumulumque habuit apud Eremitanos in Templo S. Auguſtini ſub hac inſcriptione.

HIERO-

D. O. M.

HIERONYMO VERALLO

Romano

A Paulo III.

Romana purpura donato,

Quem locum & meruit

Ad

Carolum V. Imperatorem

In Germania nuncius

Decreto in Turcas bello,

Ac

Religione ſtrenuè procurata,

Et

Suſtinuit ad Henricum II.

Gall. Regem Legatus

Parmenſi bello feliciter

Compoſito

Et amplificauit Vrbani VII.

Sobrino, Alumnoque ſuo

Ad Chriſtianæ Reipublicæ regimen

Domeſtica inſtitutione

Perfecto.

Obijt Anno Domin. MDLV.

Ætatis ſuæ LV.

De hoc tractant Giaconius cum Auctarijs, Panuinius, Petramellarius, Contelorius in Elencho, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſtoria Concilij Trident, Vghellius in Italia, ſacra, Auberyus in Vita, Io: Baptiſta Adriani in ſua hiſtoria, Portenarius in Parmenſi, & alij plures.

Hieronymus Veroſpius Romanus ex Rotæ Auditore Presby-

teris Cardinalibus cum Titulo S. Agnetis in Circo Agonali Vrbani VIII. Pontificis Maximi benificentia adſrciptus, & Epiſcopus Auximanus nominatus in cuius Eccleſiæ regimine die 15. Ianuarij anno ſalutis 1652. Cardinalatus nono deceſſit, ſcripſit Deciſiones plures quas inuenies apud diuerſos Cauſarum Patronos in Vrbe M. SS. Extant eiuſdem typis edita Oratio de Aſcenſione Domini, & Carmen de B. Aloyſio Gonzaga Soc. Ieſu.

Celebrant tantum virum Auctarij Ciaconij, Theodorus Amydenius in Vita, Ferdinandus Yghellius in Italia ſacra, Victorius Siri in Mercurio, Nicolaus Angelus Caferrus in Comp. Chronologico.

Hilarus Sardus ex Diacono Cardinali renuntiatus Romanus Pont fex ſedit annos ſex, menſes tres dies X. ſuaque Epiſtola encyclica confirmauit Neſtorij & Eutychetis damnationem, ac tria oecumenica Concilia à Catholicis habita.

Scripſit etiam de Concilio Nicœno Epiſtolam vnam

De Epheſino decem.

De Calcedonenſi duas

Ad diuerſos literarum volumen.

Defunctus eſt 4 Idus Septembris anno 461.

Meminere Hilari Martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Baronius in Notis & in Annal. Platina, Binius, Panuinus, Anaſtaſius, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Hiltprandus, ſeu Hildebrandus Tuſcus, patria Soanenſis, profeſſione Monachus Cluniacenſis, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica ſub Nicolao II. deindè Romanus Pontifex Gregorius VII. nominatus, ſedit annos 12. Menſem vnum, dies tres, & moritur in Monte Caſſino, ſeu ex alijs Salerni die 24. Maij anno ſalutis 1085. ibidemque ſepelitur intra Baſilicam S. Apoſtoli, & Euangiſtæ Matthæi, quam paulo antè obitum diuino cultui conſacrauerat. Cuius corpus anno 1573. quæſitum, fermè incorruptum repertum, M. Antonij Columnæ, ac Marſilij Bononienſis Archiepiſcopi Salernitani opera ſub hoc titulo repoſitum.

GREGORIO SOANENSI
Pont. Max. Eccleſiaſticæ
Libertatis vindici accerrimo aſſertori
Conſtantiſſimo,

Qui

Qui dum Rommani Pontificis
Auctoritatem aduerſus
Henrici perfidiam ſtrenuè tuetur,
Salerni ſanctè decubuit
Anno Domini MLXXXV.
8. Kal. Iunij.
Marcus Antonius Columna,
Marſilius Bononienſis
Archiepiſcopus Salernitanus,
Cum illius Corpus
Quingentos circiter annos ſacris amictum,
Ac
Ferè integrum reperiſſet,
Ne tanti Pontificis ſepulchrum
Diutius memoria careret
Gregorio XIII.
Bononienſe
Sedente anno Domini
MCCCCCLXXVIII.
Pridiè Kalend. Quintilis.

Scripſit libellum contra Henricum IV. in quo tractat de imperio abrogando, alterique dando

Epiſtolarum libros nouem.

In Tomo 7. Conciliorum cum Notis Seuerini Binij ſunt aliæ

Et inter Epiſtolas S. Anſelmi anno 1630. ſtudio Theophili Raynaudi Soc. Ieſu editas ſunt nouem eiuſdem.

Concilia decem Tomo 7. Conciliorum cum Notis Binianis.

Tanti Pontificis ſanctitatem, ac doctrinam laudant Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Marianus Scotus, Deſiderius Abbas Caſſinenſis, Petrus Diaconus, Domnizo in vita Mathildis, Leo Oſtienſis, Panuinius, Platina, Cia-

Cico:

Ciaconius cum Auctarijs & alij apud eoſdem.

Hippolytus Aldobrandinus nobilis Florentinus ex Presbytero Cardinali S. Pancratij, & Maiori Pœnitentiario conſentientibus Cardinalibus omnibus Petri Cathedram aſcendens ſub nomine Clementis VIII. per annos tredecim, Menſem vnum, dies quinque rem ſacram in Republica Chriſtiana adminiſtrauit, ediditque Conſtitutiones, ac Sanctiones varias ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes, & Orationem ad Sigiſmundum Poloniæ Regem, Senatum, Populumque habitam. Apud plures eiuſdem ſunt Epiſtolæ ad diuerſos, nec non Regulæ, ſeu Ordinationes vel Conſtitutiones, Cancellariç Apoſtolicæ. Extat eiuſdem Oratio, quem recitant Patres Dominicani in ſolemnitate S. Raimundi de Pennaforti, & Vita eiuſdem quam expreſsit in Bulla Canonizationis.

Deceſſit die 3. Martij anno Dominicæ Natiuitatis 1605. Temporatium ſepulchrum in Vaticano tanti Pontificis corpus primò excepit, indè ad liberianam Baſilicam translatum jacet in Sacello Virgineo.

Clementem debitis laudibus exornant Auctarij Ciaconij, Cæſar Baronius in Annal. Petramellarius, Angelus Rocca, Pompeus Vizzanus in hiſtoria Bononienſi, Paulus de Angelis in deſcript. Baſilicæ liberianæ, Cardinales Perronius in literis, Bentiuolus in Memorijs hiſtoricis, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. & alij plures.

Hippolytus Eſtenſis Herculis Ducis Ferrariæ ex Eleonora Siciliæ Regis nata, filius, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice ab Alexandro VI Romano Pontifice renuntiatus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, Ferrarienſis, & Archipresbyter S. Petri in Vaticano ſcripſit vernacula lingua Opus de naualic rtamine, ſeu narrationem victoriæ obtentæ in mari contra Venetos, quam latinitate donauit Cæſar Calcagninus.

Eiuſdem literæ ad Paulum Iouium, & alios miſſæ typis Venetis editæ anno 1574.

Ferrariæ religioſè deceſſit die 3. Septembris anno ſalutis 1520. iacet in Sacrario Cathedralis.

Huius acta referunt Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vhgellius in Italia ſacra, & alij plures.

Hippolytus Medices Iulianiſſimus à Clemente VII. in lecto decumbente Diaconis Cardinalibus adſcriptus, Virgilij ſecundum Æneadum librum in etruſcum ſermonem lepidiſſimè vertit, & Hippocratis colloquia ab arte medica in vſum bellicæ di-

ſciplinæ

ſciplinæ tranſtulit; eiuſdem literæ typis Venetis editæ ſunt. inerat ei ante omnia ſuauis poeſis ſpiritus, amabatque viros doctrina præſtantes. Fuit variæ fortunæ, altiſſimi ſpiritus, & inexhauſtæ liberalitatis. Apud Itrium agri Fundani oppidum anno Chriſti 1535 ætatis 24. ex humanis ereptus eſt. Corpus in Vrbem relatum conditum in Diaconia S. Mariæ in Dominica cum ſequenti ſepulchrali inſcriptione.

HIPPOLITO MEDICI
Cardinali
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Vicecancellario
Eximijs corporis, ac ingenij, fortunæquè
Muneribus ornatiſſimo
Qui
Cum ab tanta rariſſimarum virtutum indole
Ad
Leonis X, Clementiſque VII.
Patruorum
Pontificum gloriam contendit
Acerbiſſima morte
Surripitur
Anno Ætatis XXIV.
A Partu Virginis
MDXXXV.
3. Idus Auguſti

Meminere tanti Cardinalis Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Hieronymus Garimbertus, Io: Aloyſius Lellus in hiſt. Eccleſiaſtica Montis regalis in Sicilia, Iacobus Sadoletus in Epiſtola, Io: Baptiſta Adriani, Scipio Ammiratus, Guicciardinus; in hiſt. & alij plures.

Honorius Petronij de la Marra viri Conſularis filius, Campanus,

nus, patria Capuanus ex S. R. E. Cardinali renunciatus Pontifex Maximus, ſub eodem nomine Theologicarum rerum peritiſſimus, poeticiſque excultus literis multa ſcripſit. Huius Epigramma De Aſcenſione Domini extat 8. Tomo Bibliothecæ Patrum. Et literæ ſex annotationibus Binianis illuſtratæ in Tomo 4. Conciliorum. Alia opuſcula cum vita promittit Ioſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis. Honorij apologia inuenitur in Collectaneis Anaſtaſij Bibliothecarij Sedis Apoſtolicæ ab Iacobo Sirmondo Soc. Ieſu vulgatis in 8. anno 1620. Cum autem rexiſſet Eccleſiam annos duodecim, & menſes quinque minus tres dies extinctus eſt 4. Idus Octobris anno ſalutis humanæ 638. & in Vaticano tumulo honoratus pro ſuis meritis his verſibus annotato.

Paſtorem magnum laudis pia præmia luſtrant
Qui Functus Petri hac vice ſumma tenet.
Effulget tumulis nam Præſul Honorius iſtis
Cuius magnanimum nomen, honorque manet.
Sedis Apoſtolicæ meritis nam iura gubernans
Diſperſos reuocat, optima lucra refert.
Vtque ſagax animo diuino in carmine pollens,
Ad vitam Paſtor ducere nouit oues.
Iſtria nam dudum ſæuo ſub ſchiſmate feſſa
Ad ſtatuta Patrum teque monente redit.
Iudaicæ gentis ſub te eſt perfidia victa
Sic vnum Domini reddis ouile pium.
Attonitum Patriæ ſolers ſic cura mouebat
Optata vt populis eſſet vbique quies.
Quem doctrina potens quem ſacra regula vita
Pontificum pariter ſanxit habere decus.
Sanctiloqui ſemper in te commenta Magiſtri
Emicuere tui, tamquam fecunda nimis.
Numquam Gregorij tanti veſtigia iuſti
Dum ſequeris cupiens, & meritumque geris.
Æternæ lucis Chriſto dignante perennem
Cum patribus ſanctis poſſide iamque diem.
His ergo Epitaphijs merito tibi carmina ſolui
Quod Patris eximij ſim bonus ipſe memor.

Eſt Honorij I. mentio apud Baronium in Annalibus, Panuinium, Platinam, Robertum Cardinalem Bellarminum, Binium,

nium , Genebrardum , Ciaconium , eiuſdemque Auctarios , & alios omnes qui hiſtoriam Pontificiam deſcripſerunt.

Horatius Iuſtinianus Patritius Genuenſis natus in Inſula Chij anno à partu Virginis 1580. die 28. Februarij, ab Ioſepho & Deſpina Iuſtinianis ex Sacerdote Oratorij Romani Epiſcopus primò Montis alti in Piceno ; deindè Nucerinus in Vmbria ab Vrbano VIII. renuntiatus, ab Innocentio X. Presbyter Cardinalis S. Onuphrij in Ianiculo ; nec non Bibliothecarius, ac Summus Pœnitentiarius cunſgatus , obijt in Vrbe die 25. Iulij anno ſalutis 1649. Cardinalatus 5. ætatis ſeptuageſimo , ac ſepulchrum habuit apud Ædem Virginis Vallicellanæ in communi Sacerdotum Oratorij Tumulo, vt iuſſerat ſupremis tabulis.

Hic Bibliothecam Vaticanam ordinauit , in Claſſes diſtinxit libros , Elenchos plures formauit , pluresque labores excepit & ſuſtinuit , vt eam ornaret . D. Thomæ Aquinatis Summam , & Tractatum de Angelis in græcam linguam à Demetrio Cydonio conuerſum notis marginalibus illuſtrauit . Collegit etiam acta Concilij Florentini & euulgauit Romæ . ſcripſit Profeſſionem fidei pro Orientalibus , nec non Tractatus de Primatu Petri, & de Sacramentis Græcorum . Archiconfraternitatis Confalonis de Vrbe iura ſcripta , mandato Principis in meliorem formam reduxit,uti etiam Praxim Pœnitentiariæ quæ M. S. apud Nicolaum Ludouiſium Summum Pœnitentiarium extat .

Plura de hoc habēt Auctarij Giaconij cuius laudes carmine Italico cecinit Fr. Thomas Stiglianus Eques Hieroſolymitanus, eaſque ſtrictim attigit Vincentius Armannus in literarum volumine, & Nicolaus Angelus Caferrus in Synthem. vetuſta .

Hormiſda , alijs Cœlius Hormiſda natione Campanus patria Veneſrinus, Iuſti de Fruſinone filius, Diaconus primò Cardinalis , mox Romanus Pontifex voce , & calamo adiumento fuit Eccleſiæ Catholicæ dum illam annorum nouem , totidemque dierum ſpatio ſanctiſſimè rexit .

Scriptis enim conſignauit Epiſtolas multas quarum Volumen M. S. in Archiuo Vaticano & Arelatenſi aſſeruatur, illarum octoginta ad diuerſos leguntur Tomo III. Conciliorum. vna ad Iuſtinum Imperatorem diuu gata eſt typis Venetis anno 1474. cum illis Principum , Rerumpublicarum ac Sapientum Virorum .

Extat inſuper apud Baronium Indiculus ; ſeu Commonitiones ab Hormiſda datæ Ennodio & Fortunato Epiſcopis, Venan-

 tio

tio Presbytero, Vitali Diacono, & Hilaro Notario Legatus Apoſtolicus apud Cæſarem Conſtantinopolitanum.

Scripſit etiam Catholicæ confeſſionis libellum, fidei Regulà ſubnotatum, quo tamquam lydio lapide veros à falſis Catholicis probare voluit.

His peractis Romæ 8. Idus Augusti anno ſalutis 523. è viuis abiuit.

Hormiſdæ acta recenſuit Baronius in Annalibus, & in Notis ad Martyrologium Romanum, Platina, Panuinius, Anaſtaſius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures qui ſcripſerunt de Romanis Pontificibus.

Hubaldus Allucingolus natione Etruſcus, patria lucenſis ex Epiſcopo Cardinali Oſtienſi renutiatus Romanus Pontifex, ſub nomine Lucij III. Pontificatum ſanctiſſimè geſſit per annos quatuor, menſes duos, dies viginti octo, ſcripſitque Epiſtolas plures harũ duas refert Binius, plures Vghellius in Italia ſacra.

Veronæ quò ad Concilium à ſe indictum acceſſerat, mortuus eſt 8. Kal. Decembris anno à partu Virginis 1185. Corpus in Cathedrali eiuſdem Vrbis conditum ſub hoc Elogio

Luca dedit lucem tibi luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.
Imò Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

Obijt S. Pater DD.
LVCIVS PAPA III.
Anno MCLXXXV.
Die 25. Nouemb.

Meminere Lucij Auctores Chronicorum Lucenſium, Guilielmus Tyrius de Bello ſacro, Ptolomæus Lucenſis, Stephanus Damaleuiez in Vitis Epiſcoporum Vladiſlauienſium, Martinus Cromerus, S. Antoninus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs & reliqui omnes qui Pontificiam hiſtoriam elucubrarunt.

Hugo Atractus Anglus vir eruditione præcipuus & in arte medica egregius, ex continua Gymnaſiorum frequentatione toti Europæ notiſſimus ſub Martino II. Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, ſcripſit.

Medi-

Medicinales Canones
Problemata quædam
De Genealogijs humanis librum vnum.
Super opere febrium Iſaac Opuſculum
Diſtinctiones prædicabiles.
Poſtillas ſuper Biblia & alia quædam, de quo hæc habet Paulus Corteſius. Hugo Atractus habitus eſt ob Theologicā diſciplinā doctus qui maximè tū Princeps Genealogiæ Chriſti humanæ explicandæ fuit, ex qua cœteris poſteà aditus facilior ad interiora enodanda patuit.

Obijt Romæ ex peſte anno noſtræ ſalutis 1287. & ſepultus in ſuo Titulo.

Meminere Hugonis Io: Pitſæus de Scriptoribus Anglicis, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, & alij multi.

Hugo Boncompagnus, natione Italus, patria Bononienſis, ex Presbytero Cardinali S. Sixti, & Signaturæ Breuium Præfecto, renuntiatus Pontifex Maximus ſedit in Petri Cathedra ſub nomine Gregorij XIII. Menſes decem, dies duodetriginta ſupra duodecimum annum, Auctorque fuit vt conſcriberetur.

Liber Cœremonialis Epiſcoporum, & Epiſtolas multas ad Magnates diuerſos miſit.

Alloquium ad Cardinales in primo Conſiſtorio habitum à Gregorio refert Antonius Poſſeuinus in Apparatu ſacro.

Conſtitutiones eiuſdem prodierunt lugduni anno 1582. Florentiæ 1583. Romæ 1579.

Eiuſdem declaratio ſuper concordata nationis Germanicæ cum Sede Apoſtolica edita eſt Coloniæ anno 1589.

Sermo italicus eiuſdem aſſeruabatur M. S. in Bibliotheca Ducis Vrbini

Bullas quas edidit inuenies apud earumdem Collectores. Illas ad cultum Virginis Mariæ euulgatas indicat Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana.

Edi curauit, & iuſſit Corpus Iuris Canonici & kalendarium perpetuum.

Mortalitatem æternæ memoriæ Pontifex hic exuit Romæ, die 10. Aprilis anno ſeculi decimi ſexti, quinto ſupra octogeſimum. Corpus iacet in Vaticano ſub hoc Elogio.

GREGORIVS XIII. Pont. Max.

Meminere Gregorij Aſcanius Valentinus in Carmine de Sacello Gregoriano, Conſtantinus Cangerus Cæſenas in Panegirico, Antonius Poſſeuinus in Elogio, Franciſcus Bencius in Carmine, Oratione, & Elogio Hieronymus Rubeus Rauēnas, Horatius Turſellinus in Orat. Funebri, Ioannes Rioche Brito Ordinis Minorum in Catalogo Rom. Pont. Marcus Antonius Ciappus, Neophytus Rhodinus, Paulus Benrietenſis, Ciaconius cum Auctarijs, Ignatius Bomplanus in vita, & alij plures.

Hugo Candidus, alijs Blancus Gallus Presbyter Cardinalis S. Clementis, tum Epiſcopus Præneſtinus ſub Leone IX, Catalaunis abrogatis gothicis legibus, nouas ſanxit, ſcripſitque Apologiam, qua cauſas & rationes affert cur Clementis III. Papæ partes ſequutus fuerit. Efflauit animam in ſchiſmate Guitberti Pſeudopontificis, vir prouectæ admodum ætatis ſub finem Pontificatus Vrbani II. cum quinquaginta penè annos tranſegiſſet in Cardinalatu.

Eſt huiuſce mentio apud Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Panuinium, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios.

Hugo Barchinoneta, alijs Carenſis, vel de Sancto Theodorico, ſeu de Celidonio, natione Gallus, alijs Sabaudus ex Oppido Barchinonetæ Ordinis Prædicatorum, primus ex aliquibus ſui Ordinis ad cardinalitiam dignitatem aſſumptus, vir ingenio, moribus, doctrinaque celeberrimus, cuius ſapientiam ætates omnes & ſecula reuerebantur, claruit ſub Innocentio IV. Romano Pontifice, omniumque primus in vniuerſa ferè Biblia Poſtillas ſcripſit, libri enim quos è corpore Biblico illuſtrauit, ſunt, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudith, Ruth, Regum hiſtoriam in quam quatuor libros elucubrauit, totidem in Paralipomenon, in Eſdram & Nehemiam tres, Tobias, Iudith, Eſter, Iob, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum, liber ſapientiæ, Eccleſiaſticus, Eſaias, Hieremias libris tribus, Ezechiel, Daniel, XII. Prophetæ minores libris 12. libri Machabæorum, Euangelia Matthei, Lucæ & Ioannis; Pauli Apoſtoli Epiſtolæ, item Canonicæ, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſis.

Scripſit

Scripſit prætetea in quatuor libros ſententiarum Petri Lombardi, & Abbreuiationem quamdam in eoſdem libros.

Speculum Miſſæ

Expoſitionem hiſtoriæ Scholaſticæ

Bibliorum concordantiam, infinitum penè opus primus excogitauit, & quing ntorum Fratrum ſui Ordinis ope adiutus coronidem operi impoſuit.

Edidit inſuper Compendium Theologiæ

Et Speculum Sanctæ Eccleſiæ, quod alij Speculum Religioſorum, ſeu Sacerdotum vocant, vel Summam Caſuum conſcientiæ, vel Manipulum Curatorum.

Carmelitarum Regulam à B. Alberto Patriarcha Ordini præſcriptam Innocentij IV. iuſſu correxit.

Epiſtolam elegantem de feſto S. Dominici Patriarchæ celebrando ſcripſit.

Poſtillam, ſeu expoſitionem ſuper miſſus eſt Angelus, & Canticum Magnificat.

Sicut autem de Origine, ac de Hieronymo narratur, quod ille in Cantica, iſte Epiſtolas ſcribendo ſe ipſos ſuperarint, ita & Hugo cum cœteros ferè Scriptores omnes vicerit, ſe ipſum tamen ſcribendo in Iſaiam, Pſalmos & Euangelia ſuperauit.

Vita functus eſt Vrbeueteri anno ſalutis 1264. 14. kal. Aprilis, ibique ſepultus apud Prædicatores cum ſequenti inſcriptione.

Eclypſim patitur ſapientia Sol ſepelitur
Felici fine Sanctæ quoque Cardo Sabinæ
Iſte fuit, per quem patuit doctrina Sophiæ
Præco Dei, Doctor fidei, Cythariſta Mariæ.
Hugo ſibi nomen, & Cardo, Presbyter omen
Patria natalis Burgundia, Roma localis
Soluitur in cineres Hugo, cui ſi foret hæres
In terris vnus, minus eſſet flebile funus.

Poſt aliquot annos aperto ſepulchro corpus integrum & incorruptum inuentum, translatum, vbi per Venerabilem D. Guidonem, qui poſtea Summus Pontifex electus Clementis IV. nomen aſſumpſit, ingenti Populi multitudine, multaque Clericorum, & Prælatorum frequentia adſtantibus iteratæ ſepulturæ in Sacro Odeo Fratrum Prædicatorum ad Aquilonem ſolemni pompa, honore, & deuotione cum infraſcripto Elogio conditum fuit.

In

In hoc ſepulchro iacet
Venerabilis Dei
Et omnibus gratioſus
Frater
HVGO DE CELIDONIO
Viennenſis Diœceſis
Titu i S Sabinæ
Quondam Presbyter Cardinalis,
Luminare magnum Eccleſiæ,
Ordinis Fratrum Prædicatorum Lucerna,
Theologiæ Pariſijs Doctor egregius,
Famoſus Scripturarum tractator,
Et
Expoſitor prælucidus,
Verbi Dei Prædicator eximius,
Oliua pietatis, Palma iuſtitiæ,
Speculum honeſtatis,
Religioſorum Patronus, veritatis præco,
Pater Pauperum,
Et ſolatium miſerorum.
Obijt Anno MCCLXII.
14. Kal. Aprilis.

Nonnulli aliam dant Corpori Hugonis inſcriptionem in Ciuitate Lugdunenſi, videlicet.

Hic Iacet Dominus
HVGO
De Sancto Theodorico

Ordinis

Ordinis Fratrum Prædicatorum
Huius Conuentus
S. Theologiæ Doctor, & Prædicator,
Egregiuſque Cardinalis Sabinenſis
Qui obijt Anno Domini
MCCLXIV.
14. Kalendas Aprilis.

Tanti viri acta explicauere Panuinius, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs; Bernardus de Lucemburgo, Trithemius, Gerardus Leomouicenſis in Chronico, Thomas Maluenda in Annal. Bernardus Guido, Io: Mariana in hiſtoria hiſpanica, Leander Albertus de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, Alphonſus Fernandez in Concertatione Prædic. Vincentius Beluacenſis in Speculo, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia & Andreas Roſſottus in Syllabo, & in hiſtoria Pedemontana Antonius Sanderus in Elogijs, Martyrologium Gallicanum, Vincentius Iuſtinianus in Vita, & alij plures.

Hugo de Folietto Gallus Canonicus Regularis ab Innocentio II. Romano Pontifice creatus Diaconus Cardinalis ſcripſit de quadruplici Clauſtro animæ libros quatuor; qui libri editi ſunt Pariſijs ſub nomine Hugonis de S. Victore

Elucubrauit inſuper Opera alia, videlicet de Diſciplina ad Religioſos

De abuſibus Clauſtri

De Patriarchis

Quo autem tempore hic Cardinalis rebus humanis exemptus ſit, incertum.

De hoc tractant Petrus Appolonius. Io: Philippus Nouarienſis, Arnoldus Vuion in ligno vitæ, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Chronicon Canonicorum Regularium, Panuinius, Ciaconius, & alij plures.

Hugo Gallus Monachus Ciſtercienſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis ab Eugenio III. qui ſanctitate & miraculis clarus deceſſit die prima Decembris, anno ſalutis 1158. Epiſtolam ſcripſit, qua

qua Ciſtercienſes ſuos ſimul congregatos certiores facit de Eugenij III. Romani Pontificis morte.

Huius acta referunt Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Angelus Manriquez in Annal. Ciſtercienſium, Arnoldus Viſion in ligno vitæ, Gaſpar Iongclinus in purpura D. Bernardi, Ciaconius, & alij.

Mag. Fr. Hugo Seguin de Bellon natione Gallus, patria Aruernus Ordinis Prædicatorum, qui ex Archiepiſcopo Lugdunenſi Cardinalatus inſignia recepit à Nicolao IV. cum Titulo S. Sabinæ, quemque Cœleſtinus V. Epiſcopum Oſtienſem dixit, edidit plurima ad Theologiam ſpectantia, videlicet.

Commentaria in quatuor libros Sententiarum

Tractatum de immediata viſione eſſentiæ diuinæ

Opus contra corruptorium S. Thomæ

Commentaria in Threnos Hieremiæ

Sermones plures, quorum aliqui ſunt in laudem B. Mariæ ſemper Virginis, hi ſeiunctim ab alijs extabant M. SS. in Bibliotheca Vrbini Ducis & apud Sirlettum.

In Vrbe diem clauſit extremum 3. Kal. Ianuarij anno 1298. ſepultus ante aram maximam ſui primi Titu i cum hoc Elogio,

HVGO vocatus homo fuit hic de Billiomo.
Per mortem clarum dedit hunc Aluernia charum
Ordinis hic frater quippe dicat hunc, bona mater
Edidit ad ſtudia Doctorem Theologia
Cui ſocios Petrum, Paulum dat gratia Chriſti

Meminere Hugonis noſtri cum laude Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Petrus Frizonius in purpurat. Gallia, Alij in Chriſtiana, Auctor Nomenclatoris, Chronicon ſui Ordinis, & alij multi.

Hugo Verda natione Gallus, Equitum Hieroſolymitanorum Summus Moderator, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu ſub Sixto V. renunciatus, nonnullas ſcripſit Epiſtolas ad ſuos Religioſos Equites, quæ in lucem editæ inueniuntur in libro Priuilegiorum Hieroſolymitani Hoſpitalis. E vita migrauit in Inſula Melitenſi apud Vrbem Vallettæ 4. Nonas Maij anno ſeculi decimi ſexti poſt Chriſtum natum quinto ſupra nonageſimum. Corpus tumulatum in Eccleſia maiori S. Ioanni Baptiſtæ ſacra; erecto à Religione perēleganti ſepulchro, cui hoc Elogium inſcriptum.

Illuſtriſ-

Illuſtriſſimo Domino
Fratri
HVGONI DE LOVBENX VERDALÆ
Cardinali ampliſſimo,
Hieroſolymitanæque militiæ,
Cui annos tredecim,
Menſes tres
Dies verò viginti & vno
Honorificè præfuit, digniſſimo
Magno Magiſtro, Principi inuictiſſimo,
Prudentiſſimo,
Barbaris hoſtibus tremebundo,
Catholicæ Religionis ſtudioſiſſimo,
In aduerſis forti,
In proſperis circumſpecto,
Moderato, prouido,
LXIV. ætatis ſuæ anno vita functo,
Vniuerſa Religio mœrens
Hoc ſupremum pietatis officium
Vitrò,
Libenſque reddidit.
Obijt 4. Nonas Maij,
Anno Domini MDXCV.

Meminere Hugonis Petramellarius, & Henricus Alby in Elogijs, Iacobus Boſius in hiſtoria Melitenſi, Annales M.SS. Gregorij XIII, Ptolomæus Veltronius in Carmine, Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, Ciaconij Auctarij, & alij plures.

Hugo de Sancto Victore Saxo, Canonicus Regularis S. Auguſtini, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus ab Innocentio II. Roma-

 no

uo Pontifice renuntiatus anno ſalutis humanæ 1138. multa ſcripſit quæ tribus Tomis comprehenduntur in editione Veneta anni 1588.

In primo Tomo habentur.

De Scripturis & Scriptoribus ſacris prænotationes.
Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Iudices, Regum libros, & Pſalmos aliquot.
In Eccleſiaſtem homiliæ 19.
Annotations elucidatoriæ in Threnos, Ioelem, & Abdiam.
Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in totum teſtamentum vetus, exceptis Prophetis, & libris Sapientialibus.
Annotationes elucidatoriæ Allegoriarum in quatuor Euangeliſtas, Lucam, Matthæum, Marcum, & Ioannem
Annotationes literales & Quæſtiones in Epiſtolas Pauli Apoſtoli.
Annotationes elucidatoriæ in Dionyſium Areopagitam.

Secundi Tomi hæc ſunt.

Inſtitutiones in Decalogum.
Epoſititio in Regulam S. Auguſtini
De Inſtitutione Nouitiorum
De clauſtro animæ. Trithemius tamen Vincentium Belluacenſem, & D. Antoninum ſecutus auctorem huius libri Hugonem Corbienſem, ſeu de Folietto S.R.E. Cardinalem facit. prodijt Pariſijs ſub nomine Hugonis de Sancto Victore.
De Anima libri quatuor
De medicina animæ.
De laude Charitatis
De arra animæ.
De modo orandi
De fructu carnis & ſpiritus
De nuptijs carnalibus & ſpiritualibus libri duo
De vanitate mundi libri quatuor
De meditatione libellus
De arcæ myſticæ deſcriptione
De arca Noe libri quatuor
Sermones 100. de varijs argumentis; quorum duo de Aſſumptione Virginis, tres de Natiuitate; duo in Annunciatione,
tres

tres in Purificatione, vnum in Conceptionis B. Mariæ feſto, & in quolibet feſto eiuſdem Sermonem vnum.
De Aſſumptione Virginis librum vnum.

Tertij Tomij hæc ſunt.

Didaſcalici libri ſeptem, quorum vltimus de Trinitate, & reliqui ſex ad artes liberales pertinent.
De poteſtate & voluntate Dei libellus
De quadruplici voluntate in Chriſto libellus
De ſapientia animæ Chriſti libellus
De vnione corporis & Spiritus libellus
De Verbi Dei efficacia libellus.
Apologia de Verbo incarnato
De Verbo incarnatō Diſputationes tres
De perpetua virginitate B. Mariæ
Miſcellaneorum ſecundi Codicis libri quinque, in quibus plura de B. Maria ſemper Virgine.
De filia Iephte Tractatus
Speculum de myſterijs Eccleſiæ
De Cœremonijs, Sacramentis, & officijs Eccleſiaſticis libri tres
De canone myſtici libaminis libellus
Dialogum de Sacramentis legis naturalis & ſcriptæ Summa Sententiarum ſeptem tractatibus comprehenſa, quorum primus de Fide, Spe, & Charitate, de Trinitate & Incarnatione; Secūdus de creatione & ſtatu āgelicę naturæ: Tertius de creatione & ſtatu humanæ naturæ Quartus de Sacramentis in genere & præceptis diuinis. Quintus de Sacramento baptiſmi; Sextus de Sacramento Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitētiæ, & extremæ vnctionis, ſeptimus de Sacramento coniugij.
De Sacramentis Chriſtianæ fidei
Inſignem quoque ſcripſit Epiſtolam ad Ioannem Archiepiſcopum Hiſpalenſem à fide Apoſtatam quam refert Baronius Tomo 12. Annalium ad annum Chriſti 1136. & librum in Canticum B. Mariæ Virginis Magnificat, vt indicat Marraccius in ſua Bibliotheca Mariana.
Animam emiſit anno poſt partum Virgineum 1139. die 2. Februarij.
Hugonis cineribus in Cappella D. Dionyſij Pariſijs conditis appoſitum hoc Epitaphium.

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo
Quam breuis eximium continet urna virum.
Dogmate præcipuus, nulliſque ſecundus in Orbe
Claruit ingenio, moribus, ore, ſtylo.

Eſt Hugonis mentio apud Robertum Cardinalem Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, apud S. Bernardum in Epiſtolis, Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Baronium in Annal. Pennotum in hiſtoria Canonicorum Regularium, S. Antoninum, Vincentium Belluacenſem, Hippolytum Marraccium in Purpura Mariana, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios.

Hugolinus, ſiue Hugo Anagninus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij, deinde Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus, demum Romanus Pontifex Gregorius IX. nuncupatus Decretales Epiſtolas ſimul congeſtas quinque libris digeſſit, ope S. Raymundi de Pennaforte Barchinonenſis, Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, quæ cum gloſis prodierunt, Venetijs 1591. Pariſijs 1541. & Baſileæ 1601. quarum ſeptem volumina in Vaticano aſſeruantur. Quædam prodierunt ſeparatim græcè, & latinè, ſcolijs illuſtratæ à Gerardo Voſſio, & Tomo 7. Conciliorum Binij. Aſſeruabantur olim omnes M. SS. cũ commentarijs in Bibliotheca Sforziana.

Epiſtolas alias plures ſcripſit quæ inueniebantur apud Matthæum Pariſium, & Abbatem Stadenſem, & cum Iacobij Pamelij notationibus prodiere Antuerpiæ anno 1572. illas ad Regem Sueciæ, nec non ad Lundenſem, & Vpſalenſem Archiepiſcopos, atque ad Epiſcopum Mutinenſem, Pœnitentiarium, Sedisque Apoſtolicæ Legatum legere quiſque poterit apud Io: Vaſtonum in Viti Aquilonia.

Eiuſdem Conſtitutio pro Benedictinis prodijt Pariſijs anno 1619.

Cum ſediſſet in Petri Cathedra annos 14. & dies 26. obijt Romæ die 22. Auguſti anno 1241. ſepultus poſt obitum in Vaticano.

Gregorium laudant incertus Auctor de Baſilica Vaticana, Abbas Vrſpergenſis, ac Matthæus Pariſius in Anglicæ, Lucas Vadingus in Minorum, Bzouius in Eccleſ. Annalibus, Bernardinus Coirus in hiſt. Mediolanenſi, Bonfilius in Sicula, Bizarrus in Genuenſi, Marlana in Hiſpanica, Ghirardaccius in Bononienſi.

nienſi. Ciaconius cum Auctarijs, & reliqui omnes qui tractarunt de Romanis Pontificibus.

Humbertus, ſeu Hubertus ex Burgundia, Monachus S. Benedicti S. R. E. Cardinalis, Syluæque Candidæ Epiſcopus à Leone huius nominis IX. renuntiatus plura ſcripſit Opuſcula, videlicet.

In Sancti Auguſtini Regulam Cōmentarium.

Librum diuerſarum hiſtoriarum.

Apologiam contra Leonem Metrapolitam Bulgarorum, & librum vnum contra Leonem Archiepiſcopum in Bulgaria.

Dialogum latinum de Apocriſariatu ſui temporis Conſtantinopolitano.

Contradictionem aduerſus Nicetam cognomento Pectoratum Græcum Monachum.

Pro perpetua Virginitate B. Mariæ librum vnum contra impugnatores.

Ad ſuperos translatus 3. Nonas Maij anno ſalutis 1073. ſepultus in Baſilica Conſtantiniana; fuit Leonis IX. Legatus apud Imperatorem Conſtantinopolitanum.

De tanto Viro agunt Auberyus, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Auctor Nomenclatoris, Felix Contelorius in Elencho & alij plures.

Hyacinthus de Bubonibus, ſeu Bubo Romanus, Diaconis primò Cardinalibus S. Mariæ in Coſmedin, tum Pontifex Maximus Rempublicam Chriſtianam ſub nomine Cœleſtini III. per Menſes nouem, dies vndecim ſupra ſexennium adminiſtrans ſcripſit Epiſtolas varias, quarum ſexdecim recenſet Binius Tomo 7. Conciliorum. Anno verò à Virginis partu 1198. nocte quæ diem 4. Idus Ianuarij preceſſit Romæ in Patriarchio Lateranenſi nonagenario maior obijt.

De Cœleſtino tractant Petrus Bleſenſis in Epiſtola, Abbas Vrſpergenſis, Cencius Camerarius, Genebrardus, Rogerius in Annal. S. Antoninus in Chron. Baronius, Spondanus in Annal. Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Vghellius in Italia ſacra, Hippolytus Marraccius in Pont. Marianis & alij.

Hyginus alijs Iginius natione Græcus, patria Athenienſis Vir doctiſſimus ex Presbytero S. R. E. Pontifex Max. renuntiatus ſcripſit duas Epiſtolas, vnam de Trinitate, & vnitate Dei ad omnes Orthodoxos, alteram parænеticam de Chriſti filij Dei Incarnatione, ad Athenienſes, præfuitque Eccleſiæ annis tribus,

tribus, menſibus 11. diebus 28. deceſſitque 5. Idus Iannarij anno à partu Virginis 154.

Meminere Hygini Martyrologium Romanum, Baronius in Notis & in Annal. Beda, liber Romanorum Pontificum, Irenæus, Epiphanius, Euſebius in Chronico, & in hiſt. Optatus contra Parmen. lib. 2. Auguſtinus Epiſtola 74. Cyprianus, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Io: Bolandus, & Godfridus Henſchenius in Vita, Molanus, & alij.

Iacobus

I

IAcobus Ammanatus Lucenſis, alijs Mentisbonæ, ſeu Papienſis cognominatus, Dominici Cardinalis Capranicæ à ſecretis, Apoſtolicorum Diplomatum Scriptor, ſub Calliſto III. ac Pio II. Epiſcopus Ticinenſis, tum Papienſis, ac S. R. E. Cardinalis ab ipſo Pio renunciatus titulum S. Chryſogoni obtinuit. Præfuit etiam circa vitæ finem Lucenſi, ac Tuſculanæ Eccleſijs, & legationibus plurimis cum honore functus eſt.

Scripſit Pontificum Romanorum Vitas vincta oratione quæ deperditæ ſunt.

Commentarios à Pij profectione Anconam, dum in Turcas expeditionem pararet, vſque ad obitum Cardinalis Caruaialis, qui annorum ferè quinque hiſtoriam continet, omnium videlicet, quæ vbique memoratu digna inciderunt.

De Mantuano Pij II. itinere, & de illius cauſa

Commentarios alios prolixiores de rebus ſuo tempore per Orbem geſtis.

Epiſtolas multas à Iacobo Volaterrano ſupra ſexcentas magno labore & cura collectas.

Verſus plures magis argutos quam ſuaues.

Orationem in Florentino Gymnaſio inter initia ſuæ præfactionis habitam.

Itinerarium ſeu legationem ad Genuenſes Dominici Cardinalis Capranicæ.

Tertio, aut quarto Idus Septembris mortali vita exceſſit in oppido Laurenti, anno ætatis ſuæ 57. Chriſti 1479. Corpus in Vrbem relatum in Æde Eremitarum S. Auguſtini ſepulchro marmoreo conditum, & lapidi hoc Epitaphium ſuper impoſitum.

Luca ortu, Sena lege fuit mihi Patria: nomen
Dum vixi Iacobus, Mensbona pro genere.
Papa Pius Sedem Papienſem detulit, idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Viuite qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.
Obijt apud Laurent.

Vulſinen

Vulſinen. An. Sal.
MCCCCLXXIX. 10. Septembris
In Vrbem relatus
Pia familia domeſtica proſequente
Et hic conditus
Xyſti IV. Pont. Max. beneficio
Vixit An. LVII. Menſ. VI.
Dies 2.

Celebrant Iacobum præter Ciaconium, Panuinium & alios, Iacobus Volaterraneus, Auberyus, Hieronymus Garimbertus, Antonius Sanderus in Vita, Pius II. in Commentarijs, Hieronymus Boſſius de Epiſcopis Papienſibus, Felix Contelorius in Elencho, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſacra. Angelus Politianus, Theodorus Epiſcopus Tatuiſinus, Stephanus Nardinus, Philelphus in Epiſtolis, & alij multi.

Iacobus Caietanus de Stephaneſchis Romanus Diaconis Cardinalibus Bonifacij VIII. benefitio adſcriptus ex Auditorre Rotæ Romanæ elaborauit

De ratione, inſtitutione, & celebratione anni Iubilæi librum vnum carmine heroico.

Libros item tres prænotatos de ſtupenda Fr. Petri de Murrone Eremitæ ad Papatum electione, & qualiter idem Papatui, ad Eremum rediens, ceſſerit.

De Electione Bonifaci VIII. Romæ M. S.

E vita exceſſit die 23. Ianuarij anno noſtræ ſalutis 1343. cum vitam ſatis longam in Cardinalatu vixiſſet.

De hoc Cardinali tractant Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Auberyus, Auctor Nomenclatoris, Fr. Lucas Vadingus in Annal. Minorum, alijque quamplures, cum Torrigio in Cryptis Vaticanis

Iacobus Caualerius, ſeu de Caualerijs, Romanus ex Auditore Rotæ, & Datario ab Vrbano huius nominis VIII. ſacra purpura ornatus cum Titulo S. Euſebij per annos tantum tres dignitatem Cardinalitiam ſuſtinuit, nam die 28. Ianuarij anno à partu Virginis 1628. ſeu 1629. Tibure, ad quam Vrbem vires morbo

fractas

fractas recuperaturus contenderat, viuere deſijt. Corpus ad Vrbem relatum ſepulchrum habuit in Aracællano Templo ſub hoc Epitaphio.

D. T. V.

IACOBO
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Tit. S. Euſebij
Cardinali de Caualerijs
Qui auitam nobilitatem
Propriæ virtutis gloria
Sũmopere illuſtrans,
Cum
A Paulo V. inter
Sac. Pal. Cauſarum Auditores
Adſcitus fuerit
Ab
Vrbano VIII. P. O. M.
Poſt Datarij munus
Summa cum laude adminiſtratum
Romana purpura donatus eſt.
Paulina Maffæa
Friderici fratris vxor
Suæ in ampliſſimum
Leuirum reuerentiæ
Teſtimonium poſuit
Anno Domini MDCXXXVII.
Obijt anno MDCXXIX.
Ætat. LXIII.

Deciſiones coram ſe emanatas quando inter Iudices Romanæ Rotæ ſedit, compilauit, typiſque tradidit.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auctarios Ciaconij, Thodorum Amydenum in Vita, Iacobum Philippum Thomaſinum in Elogijs, & alios.

Iacobus Corradus Ferrarienſis ex Cauſarum Patrono in Patria magni nominis ab Vrbano VIII. Rotæ Romanæ Auditoribus adſcriptus, ab Innocentio X. ob eximias animi dotes, quibus in Vrbe clarebat inter Presbyteros Cardinales cum Titulo S. Mariæ Tranſpontem cooptatus Æſinam rexit Eccleſiam. Sub Alexandro VII. cum Datarij munus exerceret, obijt die 17. Ianuarij anno ſalutis 1666. hæredibus ex aſſe inſtitutis ſui Tituli æde, & Xenodochio S. Mariæ Conſolationis de Vrbe. Iacet in Titulo ſub hoc Elogio.

IACOBO CORRADO
Ferrarienſi
Titulo S. M. Tranſpontinæ
Presbytero Cardinali
Tribus Pont. Max.
Ob eximiam iuris ſcientiam
Spectatam religionem,
Et
In ſententia dicenda conſtantiam
Charo, & probato
Ab Vrbano VIII. Sacræ Rotæ
Auditori
Ab Innoc. X. Sanctæ Rom. Eccl.
Cardinali creato
Ab Alexandro VII.
Datariæ Apoſtolicæ præpoſito
Quo in munere
Dum difficillimis quibuſque

Sanctæ

Sanctæ Sedis negotijs explicandis
Vnica ſibi
De Catholica Eccleſia benemerendi
Laude propoſita
Animum aſſiduo intendit
Oppreſſa valetudine
Et hac ipſa Tituli ſui Æde,
Vna cum Xenodochio,
Sanctæ Mariæ Conſolationis
Hæredibus ex aſſe inſtitutis
Magnum ſui deſiderium reliquit
Anno MDCLXVI.
Ætat. ſuæ LXIV.

Hic cum Auditoris munere fungeretur Deciſiones plures & doctas edidit, & inueniuntur apud plurimos.

De Cardinale Corrado tractant Auctarij Ciaconij, ad quem ſunt Vincentij Armanni litteræ.

Iacobus Dauid Perronius Gallus, Ebroicenſis Antiſtes, Magnus Franciæ Eleemoſynarius, S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Agnetis in Circo Agonali ſub Clemente VIII. Archipræſul Senonenſis, Regius Orator ad Romanum Pontificem ſcripſit quamplura patrio, & latino ſermone, quorum aliqua ab ipſo viuente, alia poſt eius obitum typis tradita, & ſunt.

Opus de ratione intelligendæ Scripturæ.

De Eccleſia aliud

De Euchariſtia

De vocatione, ſeu miſſione Miniſtrorum Caluiniſtarum

Acta diſputationis ſuæ cum Philippo Mornæo apud Fontembellaqueum initæ.

Confutatio aculeati opuſculi Danielis Tilleni Caluiniſtæ in traditiones apoſtolicas.

Pro uſio certaminis aduerſus Adminiſtros Heroinæ lotharingicæ

Orationes in parentalibus Reginæ Scotiæ, ac Petri Ronſardi.

Paraphraſis in Pſalmum. Ad te leuaui.
Epiſtolæ multæ & diſſertationes.
Opus doctiſſimum ad Iacobum Regem Magnæ Britaniæ de Controuerſijs Religionis Catholicæ. & Replica
Volumen vnum de locis D. Auguſtini difficilioribus explicatis.
Poemata quædam limato ſermone conſcripta
Legationum ſuarum enarrationes
Virtutum moralium cum Theologicis colluctatio.
Oratio luculentiſſima & doctiſſima multarum horarum de re Eccleſiaſtica, quam in Comitijs Regijs Lutetiæ congregatis habuit anno ſalutis 1614. Animam Deo reddidit Pariſijs die 5. Septembris menſis anno 1618. Corpus iacet in Metropolitana Eccleſia Senonenſi ſub inſcriptione communi ſibi & Fratribus. quæ autem ad ſolum Cardinalem ſpectat, talis eſt.

Iacet hic
Quod claudi potuit
IACOBI DAVY PERRONII,
Qui
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Tit. S Agnetis in Agone
Presb. Card.
Annos quaterdenos
Archiepiſcopus Senonum,
Galliarum, & Germaniæ Primas,
Magnus Franciæ Eleemoſinarius
Duodenos inter homines mortales,
Ternos & ſexagenos mortalis
Homo vixit.
Mortalis eſſe deſijt nonis Septembris
Anno Christi MDCXVIII.
At viuet poſthac, æternumque

Apud

Apud omnes gentes atque nationes
Gloriæ immortalis,
Quam
Ex hæreſi toties reparatæ victoriæ acta
In Italia,
Franciaque conſtituendis
Et confirmandis Eccleſiæ nutantis
Rebus felicia iuſta & præclara.
Libri denique quos plurimos
Atque diuiniſſimos
Incomporabilis Ingenij
Clariſſima monumenta reliquit
Ei meritiſſimo preperunt.

Meminere Iacobi Perronij Cardinalis Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Antonius Sanderus in Elogijs, Henricus Alby Soc. Ieſu, Auctores Galliæ Chriſtianæ, Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pontificia; Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Nicolaus Cauſinus de eloquentia, Martyrologium Gallicanum, Arnaldus Card. Oſſatus in Epiſt. Guillelmus du Vair, Auguſtus Thuanus in hiſt. Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Auctarij Ciaconij & alij plures.

Iacobus Fornerius, ſeu Furnus cognomento Nouelli, natione Gallus, Monachus Ciſtercienſis ſub Ioanne XXI. dicto XXII. Presbyter Cardinalis S. Priſcæ deindè Romanus Pontifex ſub nomine Benedicti XI. alijs XII. ſcripſit.

De ſtatu animæ ante generale iudicium Tomos duos

Quęſtiones vndecim eiuſdem argumenti.

Decretum de Sanctorum animabus reparatis poſt mortem clara & intuitiua viſione Deum intuentibus, nec eſſe animarum receptacula vſque ad reſurrectionem. Extat apud Laertium Tomo 1. Bullarij.

Contra Fraticellorum errores opus.

Sermones per omnes anni feſtiuitates tum SS. cum B. M. ſemper V.

Commentaria in Pſalmos Dauidicos

De

De ſtatu Canonicorum librum vnum

Decretorum Religioſorum librum vnum

De reformatione Benedictinorum Conſtitutionem euulgatam cum Commentarijs Petri Boeri Narbonenſis, Abbatis S. Aniani.

Vitam S. Ioannis Gualberti Florentini Ordinis Valliſumbroſæ Fundatoris quæ eſt apud Surium

Sententias varias ab Hermanno Schedelio Germano in Chronico excuſſo Norimbergæ relatas.

Carmina quædam prophetica

Romanus Pontifex Conſtitutiones plures & Epiſtolas quæ ſeruantur M. SS. in Vaticano in decem Tomos diuiſas, quarum quædam leguntur apud Thomam Valſinghamum in Eduardo III. Anglorum Rege, & apud Fr. Lucam Vadingum Tomo 3. Annalium Minorum; nec non apud Ioannem Vaſtonum Gothum in Vitl Aquilonia.

Cum ſediſſet annos 7. Menſes 4. dies 6. mortuus Auenione non ſine ſanctitatis opinione anno 1352. die 25. Aprilis, ſepultus in Eccleſia S. Mariæ de Donis in Tumulo marmoreo ſub hoc Titulo.

Hic ſubſunt
Cineres & Oſſa
BENEDICTI XII.
Pontif. Max.
Qui fuit oriundus
Ex Oppido Sauarduno Diœces.
Apamienſis
In Comitatu Fuxenſi & appellabatur
Frater Iacobus Furnerius
Monachus Ciſtercienſis,
Theologiæ Doctor eximius.
Fuit primùm Abbas Montisfrigidi,
Indè Epiſcopus Mirapicenſis,
Demum

Presby-

Presbyter Cardinalis, S. Priſcæ
A Ioanne XXI.
Cui immediatè in Pontificatu ſucceſſit,
Creatus,
Vulgò Cardinalis Albus dicebatur,
Quem
Ob rei familiaris anguſtiam Cardinalium
Penè infimum
In Summum Pontificem
Ob eius vitæ integritatem elegerunt
In Vigilia
S. Thomæ Apoſtoli,
In Conuentu Fratrum Prædicatorum
Huius Vrbis,
Vbi etiam Kal. Ianuarij
Per Neapoleonem de Vrſinis
Diaconum Cardin.
Coronationis inſignia ſuſcepit
Anno MCCCXXXV.
Vir fuit doctrina,
Et vitæ integritate præſtantiſſimus;
Virorum bonorum,
Ac
Doctorum valdè ſtudioſus;
multa præclara ſtatuit,
Tum ad morum,
Et præcipuè Cleri reformationem,
Et Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam
Spectantia,

Sedit in Pontificatu annos VII,
Menſes IV. dies 6.
Vnica tantum habita
Sex Cardinalium virorum præſtantiſſimorum
Creatione
Deceſſit in Auenionenſi Palatio,
Quod ipſe fabricari iuſſerat
Ex Tibiæ dolore
7. Kal. Maij Anno MCCXXXXII.
Funus in hac Eccleſia
Magnificè curatum fuit,
Omnibus qui aderant ob tanti Pontificis
Necem conlacrymantibus.

De hoc agunt Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina in Vita, Marraccius de Pontif. Marianis, Genebrardus, Sanderus de viſibili Monarch. Eccl. Ægidius Card. Viterbienſis, Odericus in Annal. Boſquetus, S. Antoninus, Ptolomæus Lucenſis, Iouius de viris illuſt. Eiſengrenius in Catal. Script. Orthodoxorum, Carolus de Viſch in Ciſtercienſi Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Pontificia Bibliotheca & alij plures.

Iacobus Franſonus nobilis Genuenſis ex Clerico, ac Theſaurario S. R. E. ab Alexandro VII. Pont. Max. renuntiatus Cardinalis, ac Ferrariæ Legatus, nec non Epiſcopus Camerini, Epiſtolam paſtoralem ad gregem ſibi commiſſum miſit anno voluentis ſeculi ſexageſimo ſexto, quo publici iuris ab eodem facta eſt. Viuit in regimine ſuæ Eccleſiæ hoc anno 1675.

Meminere huius Auctarij Ciaconij, & Michael Iuſtinianus in prima parte Scriptorum Ligurum.

Iacobus Gualla de Bicherijs, ſeu Becaria, ab alijs Quallo cognominatus, patria Vercellenſis, Canonicus Regularis Monaſterij S. Petri in Cœlo aureo Papiæ, Diaconus primò Cardinalis S. Mariæ in Porticu, deindè Presbyter SS. Siluestri & Martini ſub Innocentio III. edidit ex Corteſio

Sermones frequenti Cardinalium conſeſſu habitos.

E vita exceſſit S. R. E. Archipresbyter ſub Gregorio IX. cuius Cadauer apud CœnobiumS. Andreæ Vercellarum ſuneratum.

Celebrant Cardinalem Guallam Gabriel Pennottus in ſua hiſtoria tripartita Canonicorum Regularium, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, S. Antoninus, Petrus Frizonius in in Gallia purpurata, Auberyus, Ciaconij Auctarij, & alij multi

Iacobus Inſulanus Bononienſis, iuris vtriuſque Doctor, Baldi in Academia Papienſi ſocius in Cathedra, Diaconus Cardinalis S. Euſtachij primò à Ioanne XXII. dicto XXIII. 12. Calendas Octobris Bononiæ renuntiatus, mox S. Mariæ nouæ; legatus à latere contra Tyrannos occupantes Patrimonium Petri conſtitutus, breui totā Prouinciam illam in Romanæ Eccleſiæ poteſtatem redegit. Mediolani octogenarius mortem oppetijt die 9. ſeu 4. Februarij anno 1431. iacet in Eccleſia S. Mariæ de Calunzano, ſeu ex alijs in Cathedrali

Scripſit Conſilja, quæ à Socino allegantur

Agunt de hoc Cardinali Ciaconius cum Auctarijs, Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus, Auberyus in Vita, Io: Paſchalis Alidoſius, Pompeus Vizanus in hiſt. Bononienſi, Folieta in hiſt. Genuenſi, Fulgoſius conſ. 108. Panzirolus de Claris legum interpretibus, Antonius Bumaldus in Bibl. Bononienſi

Iacobus Oſſa, alijs Deuſa natione Gallus, patria Cadurcenſis, acris, ac ſolertis ingenij vir, iuris eccleſiaſtici vindex & propugnator acerrimus, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & S. Ruffinæ primò, deindè Romanus, Pontifex ſub nomine Ioannis XXI. alijs XXII. per menſes tres, dieſque duodetriginta ſupra annos duodeuiginti præfuit Eccleſiæ Catholicæ, ſcripſitque

De contemptu mundi libellum.

Artem metallorum tranſmutatoriam.

Sermones de B. Virgine

Sermones de viſione beatifica

Epiſtolas, & Cōſtitutiones Apoſtolicas plures. Literas eiuſdē ad Regem Sueciæ, nec non ad Electum, & Capitulum Vpſalenſem reſcripſit in Viti Aquilonia Io: Vaſtonus Gothus.

Retractatationem de quæſtione num animæ Sanctorum fruantur Dei viſione ante iudicium extremum.

Nonangenarius diem clauſit extremum 2. Decembris anno ſalutis 1334. Auenione, & ibidem in Cathedrali ſepultus,

Eſt tanti viri mentio apud Ægidium Viterbienſem in Chronico, S. Antoninum, Oldradum Bononienſem, Genebrardum, Oderi-

Odericum, & Bzouium in Annalibus, Ptolomæum Lucenſem, Hippolytum Marraccium in Pont. Marianis, Albertinum Muſſatum in hiſt. Auguſta, Io: Baptiſtam Egnatium de exemplis illuſtrium virorum, Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, alioſque omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt.

Iacobus Puteus ſeu à Puteo Nicienſis Presbyter Cardinalis S. Simeonis, tum S. Mariæ in Via ſub Iulio III. Romano Pontifice ſcripſit

Deciſiones plures

Opus de variatione monetarum

Epiſtolarum volumen.

Ad ſacroſanctam Tridentinam Synodum legatus deſſignatus dum itineri ſe acingit ſubita aurium verberatione oppreſſus Romæ 4. ſeu 6. Kalend. Maij anni 1563. vitã reliquit in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ſepultus cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

IACOBO PVTEO
Nicienſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Cardinali,
Ac
Integerrimo viro;
Qui ſummam I. V. Scientiam
Ita cum ſumma probitate coniunxit
Vt vnus
Reipublicæ conſtituendæ,
Diſciplinæque veteris reuocandę
Præcipuus Auctor votis
Bonorum expectaretur.
Vixit Annos LXVIII. Menſes ij.
Dies 15.

Obijt

Obijt 6. Kal. Maij MDLXIII.
Antonius Puteus
Archiepiſcopus Barenſis
Nepos poſuit.

Meminere Iacobi Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auctores Hiſtoriæ Concilij Tridentini, Petramellarius, Auberyus, Antonius Beatillus in hiſt. Barenſi, Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in Pedemontana, Franciſcus Sacchinus in Soc. Ieſu, & alij quamplures.

Iacobus Roſpiglioſius Piſtorienſis Camilli filius, Clementis IX. Nepos, Presbyter Cardinalis Tituli S. Sixti à Patruo renunciatus ex Prothonotario Apoſtolico die 12. Decembris anno 1667. ſcripſit Orationem habitam ad Cardinalium Senatum poſt obitum Innocentij X. pro electione noui Pontificis. Viuit in Vrbe hoc anno 1675. diuerſis Romanæ Eccleſiæ negotijs intentus.

De quo tractant Auctarij Ciaconij, Ioſeph Dondorus Capuccinus in libro, inſcripto Pietas Piſtorij.

Iacobus Sabellus ſenior patria Romanus ex Diacono Cardinali S. Mariæ in Porticu renuntiatus Pontifex Maximus, rempublicam Chriſtianam rexit per annos duos, totidemque dies ſub nomine Honorij IV. quo tempore Epiſtolas plures ſcripſit, quarum volumen M. S. aſſeruatur in Vaticano, illarum aliquas euulgarunt Fr. Lucas Vadingus in Annal. Minorum, & Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, illas ad Archiepiſcopum lundenſem Io: Vaſtonus in Viti Aquilonia. Obijt Romæ apud S. Sabinam 3. Nonas Aprilis, anno Dominicæ natiuitatis 1287.

Celebrant Iacobum Chronici Hirſaugienſis Auctor, Genebrardus, Martinus Polonus Ægidius Viterbienſis, Platina, Pandulphus Piſanus, Ciaconius cum Auctarijs, Odericus in Annal. Bernardus in Chronico, Ptolomæus lucenſis S. Antoninus & alij.

Iacobus Sabellus iunior, patria Romanus, Cardinalis S. Luciæ in Septemzonis à Paulo III. Summo Pontifice renuntiatus in Prouinciali Synodo Beneuentana celebrata anno ſalutis 1567. Conſtitutiones ſcripſit, & euulgauit cum Titulo Conſtitutiones Beneuentanæ ſub Cardinali Sabello. E vita abijt in Vrbe Pontificis Vicarius, Epiſcopus Portuenſis, & Maior Inquiſitor

Nonis Nouembris anno 1587. Corpus in Farneſiano Templo apud aram S. Ignatio Fundatori ſacram quam ornaui rat, iacet.

Eſt huiuſce mentio apud Auctarios Ciaconij, Panuinium, Auberyum, Hiſtoricos Societatis, Felicem Contelorium in elencho, & alios multos.

Iacobus Sadolettus patria Mutinenſis à Paulo III. Presbiteris Cardinalibus adiunctus Titulū Caliſti primò, mox S. Balbinæ, demùm S. Petri ad vincula obtinuit, obijtque die 28. Octobris anno ſalutis 1547. ac reliquit ingenij ſui preſtantis monumenta plura, quæ ſunt.

De pueris rectè, ac liberaliter inſtituendis Tractatus.

De laudibus Philoſophiæ libri duo.

Philoſophiæ conſolationes.

Meditationes in aduerſis.

In Epiſtolam B. Pauli ad Romanos libri tres.

In aliquot Pſalmos & præſertim 50. & 93. Cōmentaria.

De peccato originali.

Dr Purgatorio.

De tranquillitate vitæ.

De Eccleſiæ Catholicæ ædificatione, eiuſdemque defenſione.

De Officio Profeſſorum Tractatus, extabat M. S. in Bibliotheca Sirletti, editus lugduni anno 1534.

Poemata multa, inter quæ Curtius, Lacoon.

Homilia de obitu Friderici Fregoſij Cardinalis.

De bello Turcis inferendo ad Franciſcum Galliarum Regem.

De Hungariæ Regno à Turcis oppreſſo.

Literæ Canonizationis S. Franciſci de Paula, quam Leo X. Pont Max. celebrauit.

De Sacramentis contra lutherum Opus.

Oratio contra eumdem.

Epiſtolarum libri ſexdecim.

Ad Paulum Nepotem liber vnus.

Oratio de bello ſuſcipiendo contra Turcas ad Ludouicum Galliæ Regem, cum Præfatione ad Franciſcum I. Omnium primus Imperatorum Effigies collegit, ediditque Romæ anno 1517. apud Iacobum Mazochium, & obtulit Leoni X. Pontifici, ſub Titulo Illuſtrium Imagines.

Sepultus ſine vlla funeris pompa, vt ipſe præſcripſerat in in Æde D. Petro in Eſquilijs ſacra cum ſequenti Epitaphio.

IACOBO

D. O. M. S.

IACOBO SADOLETO
Epiſcopo Carpentoractenſi.
Sanctæ Rom. Eccleſiæ
Presb. Card.
Viro morum grauitate, prudentia,
Et
Vitæ integritate, præſtantiſſima doctrina,
Et
Eloquentia cum ijs quos mirata
Eſt antiquas comparanda,
Paulus Sadoletus
Epiſcopus Carpentoractis,
Et
Camillus Sadoletus
Fratrum filij mœſtiſſimi multis
Cum lacrymis Patruo bene mœrenti
Pro tempore poſuerunt.
Vixit Annos LXX.
Menſes iij.
Dies 6.

Laudauit tantum virum publicè in funere ab Amicis habito Io: Petrus Caraffa Sabinorum Epiſcopus Cardinalis, nec non Iacobus Gallus Ciuis Romanus de eodē tractant Antonius Florebellus, Iouius, Bembus in Epiſtolis, Cæſar Capacius, Thuanus in hiſt. Sigonius, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Sfortia Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Auctarij Ciaconij, Panuinius, & alij plures.

Iacobus Simonetta nobilis Mediolanēſis Presbyteris Cardinalibus.

libus adſcriptus cum Titulo S. Cyriaci in Thermis, quem poſtea cum illo S. Apollinaris commutauit, ſcripſit, Tractatum reſeruationum beneficiorum, editum Romæ 1588. in 8. & Epiſtolas, plures vt refert Auctor Nomenclatoris Cardinalium

Romæ die prima Nouembris anno 1539. ampliſſimis Eccleſiæ Dei muneribus perſunctus cum migraſſet è vita, in Æde Sanctiſſimæ Trinitatis ad Montem Pincium tumulatus eſt ſine vlla memoria.

Meminere tamen illius Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Ghelinus in Theatro, Petrus Paulus Boſca de Bibliotheca Ambroſiana, Philippus Picinellus in Atheneo.

Iacobos de Vitriaco natione Gallus, patria Pariſienſis, ex Canonico Regulari Sancti Auguſtini, Achonenſique Epiſcopo, Gregorij IX. Pontificis Maximi beneficio Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, in Prouincijs Belgicis, imperio Germanico, atque in Terra ſancta Legatus Apoſtolicus, vir præter inſignem diuinarum, humanarumque ſcientiarum peritiam, admirabilemque in declamando, & habendis ad Populum Concionibus facundiam, angelicis moribus ornatus, atque ſanctimonia illuſtris, ſcripſit

Hiſtoriam Orientalem, aliàs Hieroſolymitanam, ſiue de Terra ſancta.

E Paleſtina in Europam redux Occidentalem hiſtoriam compoſuit, qua Romanæ, ſiue Europæ, ac latinæ Eccleſiæ ſtatum explicat,

Sarracenorum quoque errores eleganti libro refutauit.

Complexus eſt vitam B. Mariæ de Oegenies duobus libris, vt ait Trithemius, nam Tertius à Thoma Cantipratenſi additus eſt.

In 4. Euangelia Volumen

Conciones plures de Tempore

De Sanctis Mulieribus leodienſibus Opus.

Epiſtolas varias ad diuerſos miſſas.

Tractatum de Domo Nazarena

Sermones de feſtis ſolemnioribus B. Mariæ

Sermonum aliorum volumen.

Poſt multos exantlatos in Oriente, & Occidente labores, Romæ pridie kal. Maij anno 1244. è vita migrauit. Corpus Roma Oeginiacum delatum ibi iacet cum ſequenti Epigraphe, quam illi inſcripſit Franciſcus Moſcus Armentarianæ Eccleſiæ Paſtor,

Doctrina

Doctrina & pietate clarus hac conditur urna
Vitriacus, Myſtes quondam hic, columenque popelli,
Sub modio haud latuit tantum iubar, exerit ille
Egregias animi dotes, linguaque diſerta,
Summo Pontifice iſthæc munia demandante.
Pugnat in Albigeos, Cruce in illos plurima ſignans
Millia, queis Chriſti cauſam victricibus armis
Ingens ardor erat mentis, ſtudiumque tueri
Tantum flexanimæ potuit facundia vocis.
Præſul Achonenſis factus dum luſtrat ouile
Mentibus inſtillat, diuina ſemina Verbi.
Auocat hos vitijs tepidos formidine pœnæ;
Aſt alios placito accendit virtutis amore,
Communique gregis procul à torpore ſaluti
Inuigilans, commixta ſalubri pabula ſucco
Porrigit, ignitaſque preces è pectore promit
Perdius & pernox, quin omnia omnibus factus
Munera ſolliciti Patris indefeſſus obiuit,
Quo multam Chriſto ſobolem, Cœloque dicaret,
Quod ſi fortè lupus prædæ inſidiatus ouili
Circumeat, mora nulla, armis cæleſtibus arcet,
Debitus altior hinc gradus eſt, & purpura digno
Apta fuit capiti, toto applaudente Senatu
Cardineo, & celebri Tuſclum agnomine donat.
Quid referam monumenta, exantlatoſque labores?
Texuit hiſtoriam, cui nomina fecit ab Ortu,
Hic rerum, fatique vices, hic bella recenſet
Et clades, domino plebem quatiente flagellis,
Et quas Maumetes ſcelerati dogmatis Auctor
Vrbibus infectis, animas demiſerit Orco.
Sermones habiti ad Populum pergrande volum.
Implent, eximiæ frugis, doctique laboris
Oeginacæ Vitam Mariæ, dum duplice libro
Scribit, ad ætherium lectorem inuitat Olympum.
Sunt alij ingenij fœtus, quos ſupprimit ætas
Fœta malis, bellorum alij periere tumultu
Qui ſunt præ manibus doctrinæ laude perennem
Promeritos vitam nullum detriuerit æuum.
At pius & ſapiens Antiſtes luce potitur
Æterna, meliore ſui iam parte beatus;

Corpus

Corpus ab hoc tymbo ſurget ; cum buccina voce
Terribili vita functos tellure vocabit .

De hoc Cardinali eſt mentio apud Auctores Galliæ Chriſtianæ & purpuratæ , apud Panuinium , Ciaconium , eiuſdem Auctarios , Auberyum, Henricum Ludouicum Caſtaneum , Felicem Contelorium , & alios.

Innicus Caracciolus, nobilis, Neapolitanus, Franciſci Ducis Airolæ, & Iſabellæ Gueuaræ filius, natus anno ſeptimo voluentis ſeculi decimi ſeptimi ex Auditore Cameræ Apoſtolicæ ab Alexandro VII. die 15. Menſis Februarij Presbyteris Cardinalibus adſcriptus , & euulgatus 7. Martij proximi anni 1667. quo die in eodem Conſiſtorio Archiepiſcopus Neapolitanus declaratus eſt . Huius extat Epiſtola paſtoralis ad Clerum ſibi commiſſum data , typis Romanis edita eodem anno , quo inter Cardinales connummeratus. Viuit hoc anno 1675. in regimine Eccleſiæ, ac præeſt Titulo S.Clementis. de hoc tractant Auctarij Ciaconij.

Innocentius patria Albanus ex Diacono Cardinali Cleri ſuffragijs aſſumptus ad Pontificatum ſedit in Petri Cathedra annos XV. Menſes ij. dies 10, obijtque 5. Kalendas Auguſti anno Chriſti 417. cum ſcripſiſſet Epiſtolas varias quarum quatuor ſupra triginta habentur in Tomo 1. Conciliorum cum Notis Binij, & aliæ apud alios. Eiuſdem Auctoris eſt teſte Petro Ricordato, liber vnus contra Pelagianos ,& Monachorum Regula.

Huius acta ad longum explicarunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Baronius, in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Platina, Panuinius , Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes qui hiſtoriam Pontificam deſcripſerunt.

Innocentius Bubalus de Cancellarijs Romanus ex Epiſcopo Camerinenſi, & Nuncio Apoſtolico apud Regem Galliarum Presbyter Cardinalis S. Thomæ in Parione à Clemente VIII. renuntiatus , primum Titulum progreſſu temporis cum ſequentibus commutauit , videlicet S. Marcelli , S. Pudentianæ , & SS. Nerei & Achillei , ediditque in arctum collectam Philoſophiam quam Romæ à Doctoribus exceperat . Exceſſit è vita in Vrbe 4. Kal. Aprilis anno 1610. ætatis 44. iacet in ſuæ gentis Sacello apud S. Mariam in Via ſub hoc Elogio .

INNO-

D. O. M.

INNOCENTIO BVBALO
De Cancellarijs
Romanæ nobilitatis,
Et virtutis Viro
Poſt Vrbium Præturas
Ad Melitenſem inſulam
A Clemente VIII.
Cum extraordin. poteſtate miſſo,
Mox ab eo Pontifice
Epiſc. Camerino,
Denique pro eodem apud Gall. Regem
Nuncium agenti
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali creato
Quam dignitatem
Dum acerrimo iudicio
Incenſo Eccleſiaſticæ amplitudinis ſtudio
Intima doctrina,
Morum ſuauitate,
Singulari vitæ innocentia ſuſtinet
Romæ moritur
Anno Domini MDCX.
4. Kal. Aprilis,
Ætatis ſuæ XLIIII.
Mutius frater
Et Hæres poſuit.

De hoc Cardinali ſcripſere Auctarij Ciaconi, Octauius Boldonius in inſcript. Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Sebaſtianus Albanus in orat. de Cardinalitia dignitate, Hannibal Adamus in Pallade purpurata & alij plures.

Innocentius Cybo Genuenſis Diaconus Cardinalis SS. Coſmę & Damiani, tum S. Mariæ in Dominica a Leone X. Pontifice Maximo enunciatus, Franciſcum Comitem Ferentili & Anguillariæ, & Magdalenam Mediceam ſororem Leonis X. parentes habuit, rexitque Epiſcopus Maſſilienſem in Gallia, Marianenſem, Alerienſem in Corſica, Abintimillienſem in liguria, Bertinorij in Romandiola, Archiepiſcopus Genuenſem & Taurinenſem Eccleſiã; Legatus Apoſtolicus Bononiam & Æmiliam, & plures ditionis pontificiæ Ciuitates, Clemente VII. in Hadriani mole duriùs obſeſſo continuit, quãdò nonnulli Cardinales Apoſtolicam Sedem Auenionem traducendam cenſebant, validis rationibus acriter obſiſtens eam deliberationem opportunè omnino diſſipauit. Extabant apud Ducem Vrbinatenſem huiuſce Cardinalis literæ plures negotiales, maximè circa electionem Coſmi Medicei in Principem Florentiæ, quam ſummo ſtudio procurauerat, & de Clementis VII. Pontificis captiuitate.

Romæ viuendi finem fecit, vbi ſepultus in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam cũ hac inſcriptione marmoreæ tabulæ præfixa.

D. O. M.

INNOCENTIO CYBO

Ianuenſi

Diac. Card. Bonifacij IX.

Tomacelli Pont. Max.

Agnato,

Innocentij VIII. Pont. Max.

Nepoti,

Leonis X. Pont. Max.

Sor. germanæ F.

Clementis VII. Pont. Max.

Soror

Soror. patruelis F.
Vixit annis LVIII. Menſ. vij.
Diebus 19. Cardinalis XXXVII. ann is
Fuit.
Deceſſit idibus Aprilis anno MCCCCCL.
Sui poſuere.
Viuite, vt morituri.

De hoc Cardinali tractant Vbertus Folietta in Elogijs ligurum, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Sanmarthani Tomo 2. Galliæ Chriſtianæ, Ciaconius & alij.

Ioannes S. R. E. Diaconus Cardinalis ex Monacho Caſſinenſi renuntiatus à Paſchali II. ſcripſit libros quatuor de Vita S. Gregorij Papæ qui leguntur præfixi eiuſdem Pontificis operibus.

Aliquorum ſententia elucubrauit etiam Vitam S. Clementis hu us nominis I. Papæ, & meo iudicio fuit etiam Auctor vitæ S. Ioannis Epiſcopi Eugubini, quem Paſchalis II. in Sanctorum album retulit.

Meminre Ioannis Auctarij Ciaconij, Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui ſub Ioanne octauo Pontifice hunc vixiſſe ſcribit, & alij.

Ioannes Ægidij Gallus è Neuſtria, iuris vtriuſque Doctor, ex Præpoſito Leodienſi in Belgio, Rotæ Romanæ Auditor, & Sacelli Pontificij Sacerdos ab Vrbano VI. cuius partes ſemper ſecutus eſt, & ab Innocentio VII. cum eſſet eximiæ probitatis vir, & induſtriæ Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ, & Damini renuntiatur. Sub Gregorio XII. priuatus Cardinalitia dignitate, vti Auctor Concilij Piſani, quod tamen non vidit, nam pauló ante quam Conuentus ille inchoaretur Menſe Iulij anno 1407. Piſis è vita exceſſit, & corpus translatum Leodium in Cathedrali iacet.

Extāt huiuſce Cardinalis literę typis euulgatæ, quibus oſtendit contra Gregorium numquam conſpiraſſe, nec ab eius obedientia numquam receſſiſſe, ſed vnitati Eccleſiæ ſuis operibus intendere voluiſſe. Scripſit etiam Deciſiones in Rota Romana, & Opuſcu'um pro vnitatæ Eccleſiæ.

De hoc tractant Auberyus in Vita, Contelorius in Elencho, Frizonius in Gallia purpurata, Ferdinandus Vghellius in Italia

 ſacra,

ſacra, Monumenta Triuultiana, Ciaconius cum Auctarijs, Auctores Galliæ Chriſtianę, & purpuratę, & alij plures.

Ioannes Aldobrandinus natione Italus, patria Florentinus, Siluestri, & Læſæ Detæ filius, Hippoliti poſtea Cardinalis, ac Pontificis frater, ex Aduocato Conſiſtoriali, Romanæ Rotæ Auditor primùm, mox Forocornelienſis, ſeu Imolenſis Epiſcopus, demum Presbyter Cardinalis S. Suſannæ à Pio V. renuntiatus eſt. Quem Titulum cum alio S. Simeonis commutauit. Iuſſus deindè intereſſe fœderi ineundo contra Turcas inter Philippum II. Hiſpaniæ Regem & Venetos Pontificis Romani nomine, id negocij laudabiliter perfecit. Poſt Carolum Boromæum Summus Pœnitentiarius, nec multò poſt ſignandis Apoſtolicis Breuibus præficitur.

Scripſit Iudex Rotæ Romanæ Deciſiones plures. E vita migrauit Romę 7. Nonas Septembris anno ſalutis 1573. Cadauer in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam conditum, iacet ſub hac inſcriptione.

IOANNES ALDOBRANDINVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Cardinalis
Tituli S. Simeonis
Maior Pœnitentiarius.

Celebrant Ioannem Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Petramellarius, Vghellius in Italia ſac. Auberyus in Vita, Io: Baptiſta Adrianus in ſua hiſt. Io: Baptiſta Tufus in illa Clericorum Regul. Petrus Iuſtinianus in Veneta, alijque.

Ioannes Catellinus patria Romanus, Anaſtaſij filius, ob integritatem vitæ, & ſplendorem natalium ex S. R. E. Cardinali Summus Pontifex à Clero electus Epiſtolas nonnullas ad diuerſos miſit, quarum vna, eſt ad Edaldum Archiepiſcopum Viennenſem, quam edidit in Bibliotheca Floriacenſi Ioannes à Boſco, & inuenitur apud Baronium; alia cum notis Binij eſt in Tomo 4. Conciliorum. Hic autem cum ſub nomine Ioannis III. rexiſſet Eccleſiam per annos tredecim, minus quotuordecim diebus in ſenectute bona obijt anno ſalutis 574.

De hoc ſcribunt Baronius in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, Anaſtaſius Biblioth. Paulus de Angelis in Deſcrip. Baſilicæ Vati-

Vaticanæ, & reliqui qui Pontificiam hiſtoriam elaborarunt.

Ioannes Conſtantij filius natione Tuſcus Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli primò, mox Romanus Pontifex ſub eodem nomine ſcripſit Epiſtolas duas, ad Zacchariam de non accuſandis Epiſcopis vnam, alteram quam ex carcere miſit ad Epiſcopos Italiæ, de Theodorico Rege, ac de fide catholica contra Arianos.

Explicatio In Euangelia Dominicalia totius anni huic attributa, ſeruabatur olim M. S. teſte Antonio Verdero in Bibliotheca Conſtantinopolitana.

Ioſephus Pamphilius Auguſtinianus, Epiſcopus Signinus in ſuo Chronico, Ioannem noſtrum Auctorem dicit libri de duabus naturis aduerſus Eutychetem.

Cum autem præfuiſſet Eccleſiæ annis duobus, menſibus nouem, diebus ſexdecim, exceſſit glorioſus Martyr. 6. Kal. Iunij anno Christi 526. vel 527.

De hoc agunt Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Vſuardus, Anaſtaſius Bibl. Platina, Panuinius, Genebrardus, in Chronico, Ioannettus, Stella, Io: de Columna, Simonetta, Niemus, Martinus Polonus, Ptolomæus Lucenſis, Ciaconius cum Auctarijs, & alij quamplures.

Ioannes Cyriaci filius, patria Antiochenus ſcientijs omnibus instructus ex Archiepiſcopo Cardinalis renuntiatus Pontifex Maximus ſcripſit de Pallij dignitate libellum & Epiſtolam Edaldo Archiepiſcopo Viennenſi. aliqui tamen eum Baronio hanc, non Ioanni huic, qui quintus huius nominis, per annum & dies nouem ſedit in Petri Cathedra, ſed tertio tribuunt. deceſſit Romæ 4. Nonas Auguſti anno à partu Virginis 686.

Eſt Ioannis mentio apud Panuinium Platinam, Baronium, Ciaconium & alios.

Ioannes Diaconus ex Monacho Caſſinenſi S. R. E. Cardinalis natione Italus vir humanę, diuinæque ſapientiæ laude admodum inſignis, vt affectum ſuum in Deiparam declararet literarum monumentis conſignauit Verſus in laudem eiuſdem, vt teſtatur Arnoldus Vuion lib. 2. ligni vitæ, & Petrus Diaconus in libro de Viris illuſtribus Montis Caſſini. Hunc Bellarminus Auctorem etiam facit Vitæ S. Gregorij Papæ primi.

Claruit ex ipſo Bellarmino anno 873. ex Bibliothecis vero Ludouici Iacobi è S. Carolo, & Hippolyti Marraccij 860.

Ioannes Gundi filius Romanus ex Diacono Cardinali electus Pontifex Maximus ſub nomine Ioannis huius nuncupationis

octaui

octaui Petri nauim rexit per annos decem & dies duos, quo tempore Epiſtolas 312. ad diuerſos direxit. Conſtitutionem quoque edidit de iure Cardinalium, quam Baronius Tomo 10. Annalium Eccleſiaſticorum profert, & ſi Roſuueido credimus ſcripſit etiam libros 4. de Vita S. Gregorij Papæ. Poſt obitum ſequutum 18. Kal. Ianuarij anno 884. ſepultus in Vaticanæ Baſilicæ porticu cum ſequenti Epitaphio.

Præſulis octaui requieſcunt membra Ioannis
Tegmine ſub gelido marmorei tumuli.
Moribus, vt patet, fulſit qui mente beatus
Altiſonis, comptuſque actibus & meritis.
Iudicij cuſtos manſit. Pietatis amator
Dogmatis & veri plurima verba docens.
De ſegete, ac Chriſti pepulit zizania ſæpe,
Multaque per Mundum ſemina fudit ouans.
Prudens & doctus, verbo, linguaque peritus
Solertem, ſeſeque omnibus exhibuit.
Et nunc Cælicolas cernit ſuper aſtra phalanges
Spretor enim mundi poſſidet aſtra poli.

De hoc tractant Eginhardus in Annal. Auctor Annal. Fuldenſium, Fragmenta hiſt. Franciæ, Aubertus Miræus in Bibl. Baronius, Ciaconius, cum reliquis.

Ioannes Mercurius Proiecti filius, patria Romanus ex Preſbytero Cardinali S. Clementis Cleri ſuffragijs euulgatus Summus Pontifex ſcripſit Epiſtolas quinque, primam ad Valerium Epiſcopum, qua docet Chriſtum Dominum ſecundum diuinam naturam Patri æqualem, ſecundum verò humanam eodem minorem; aliam ad Iuſtinianum Auguſtum, egregiam ipſius pietatem, amoremque erga Sedem Apoſtolicam commendans; Tertiam ad Senatores, qua Chriſti diuinitatem, eiuſdemque incarnationem confirmat, & Acœmatas Monachos Neſtorij, Origeniſque ſectatores monet eſſe vitandos. Quartam ad Galliæ Epiſcopos contra Contumelioſum Epiſcopum multis criminibus inuolutum. Quintam eiuſdem argumenti ad Clerum. Cum autem ſub nomine Ioannis ſecundi ſediſſet annos duos, Menſes 4. dies 6. 11. Kal. Iunij anno Chriſti 534. meritis diues ad ſuperos euolauit.

Celebrant Ioannem Concilium Carthaginenſe, Baronius in Annalibus, Caſſidorus in literis, Anaſtaſius Bibl. Martinus Polonus,

Polonus, Io: Stella, Io: Columna; Ptolomæus Lucenſis, Petrarca, Niemus, Panuinius, Platina, Simonetta, Ioannettus, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, & alij multi.

Ioannes Paterni, & alij Petronij filius, natione Græcus S. R. E. Cardinalis, ac Romanus Pontifex, dictus Ioannes huius nuncupationis ſextus, fuit Auctor Epiſtolarum miſſarum ad Edoaldum Metropolitam Viennenſem, & ad Giſulphum Beneuentanum Ducem, inuaſorem Vrbium quamplurium ſpectantium ad Romanam Eccleſiam. cum autem adminiſtraſſet Rempublicam Chriſtianam per annos tres, menſes duos, dies 12. 7. Idus Ianuarij anno Chriſti 705. Romæ è vita migrauit.

De hoc Ioanne tractant Panuinius; Baronius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Andreas Sauſſay de myſticis Galliæ Scriptoribus, Raimundus, Petrus Ricordatus & alij.

Ioannes Platone Ianidega Patre natus, è magna Græcia, patria Roſſanenſis, Diaconus Cardinalis, tum Pontifex Maximus, ſub nomine Ioannis VII. ſcripſit Epiſtolas nonnullas, præſertim ad Edilredum & Alfridum Anglorum Reges, vt conſtat ex Beda lib 5. cap. 20. hiſtoriæ Anglicanæ atque ex Concilio à ſe habito Romæ, quod inuenitur Tomo 5. Conciliorum. deceſſit 16. kal. Nouembris anno Chriſti 707 cum ſediſſet in Petri Cathedra Annos duos, menſes 7. dies 17.

Laudant Ioannem hunc Platina, Baronius, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs & alij apud eoſdem.

Ioannes Rampoaldi filius, natione Italus, patria Tiburtinus ex S. R. E. Cardinali renuntiatus Pontifex Maximus, ſub eodem nomine in ordine nonus Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per annos duos, dieſque quatuor, & ſcripſit Epiſtolas duas, vnam ad Heruçum Rhemorum Archiepiſcopum, alteram ad Stylianum Neoceſarienſem Præſulem. obijt non Rauennæ, vt aliqui ſcripſere, ſed Romæ 23. Septembris anno ſalutis 905. ſepultus in Vaticano ſub his verſibus.

Eccleſiæ ſpecimen clariſſi ma gemma bonorum
Et Mundi dominus hic iacet eximus.
Ioannes meritis, qui fulſit in ordine nonus
Inter Apoſtolicos quem dedit altiſonans.
Conſilijs docuit ternis, qui dogma ſalutis
Obſeruare, Deo munera ſacra ferens.
Temporibus cuius nouitas abolita mali eſt
Et firmata fides, quam ſtatuere Patres.

Qui

Qui moriturus eris lector dic : Papa Ioannes
Cum Sanctis capiat regna beata Dei.

De hoc eſt mentio apud Leonem Oſtienſem in Chronico Caſſinenſi , S. Antoninum , Ciaconium & Auctarios Panuinium , Platinam , & alios.

Ioannes Venantij Scholaſtici filius, natione Dalmata, Diaconus primò Cardinalis, deindè Romanus Pontifex electus ſub nomine Ioannis IV. Epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos & Presbyteros Scotiæ de Paſchate more Catholico celebrando, & reuiuiſcente Pelagiana hæreſi diligenter cauenda, quæ extat Tomo 4. Conciliorum, cum eiuſdem Concilio Romano. cum autem præfuiſſet Reipublicæ Chriſtianæ annum vnum, Menſes 9. dieſque duodeuiginti, è viuis abijt Menſe Septembris vel Octobris anno reparatæ ſalutis 640.

Huius meminere Baronius in Annal. Panuinius, Platina, Binius, Genebrardus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij omnes qui hiſtoriam Pontificiam deſcripſere.

Ioannes Oſtienſis Epiſcopus ſub Paſchali II. Synodalem ſcripſit Epiſtolam. De quo Ciaconius Tomo 1.

Ioannes Presbyter Cardinalis ſub Paſchali II. Epiſtolam vnam Synodalem euulgauit. Idem Ciaconius Tomo 1.

Io: Andreas Grimaldus Genuenſis, Nicolai Antipoli Dynaſtæ, ac Maſſilienſis Gubernatoris, ex Cæſarina, ſeu Laſcarina de Auria vxore filius, Abbas Lerinenſis, Baro Prati, apud Regem Chriſtianiſſimum Sedis Apoſtolicæ Nuncius, & Epiſcopus Graſſenſis clarebat anno ſalutis 1591. quem aliqui inter S. R. E. Cardinales recenſent, ex eo quod depictus cum veſtibus Cardinalitijs reperiatur in Cathedrali Graſſenſi; ſed re vera non fuit Cardinalis, cum nominatus tantum ad ſacram purpuram Regis Galliarum beneficientia fuerit, ad quam ob mortem ſequutam, non potuit promoueri. Huiuſce Auctoris extat in Vaticano volumen literarum negotialium M. S.

Eſt Io: Andreæ mentio apud Sammarthanos in Gallia Chriſtiana.

Io: Angelus Medices natione Italus, patria Mediolanenſis ex Presbytero Cardinali S. Priſcæ Summus bontifex electus Pij IV. nomen accipiens, rem ſacram adminiſtrauit per annos quinque, menſes 11. dies 15. ſcripſitque literas Coſimo Duci Florentino, nec non Orationem Romæ coram frequentiſſimo Cardinalium conſeſſum de decretis Concilij Tridentini confirmandis habitam,

tam,

tam ; nec non Conſtitutiones Apoſtolicas varias , & literas ad diuerſos , aſſeruatas M. SS. in Vaticano. Poſt obitum ſequutum 5. Idus Decembris anno 1565. ætatis 66. ſepulchrum habuit apud Sanctam Mariam Angelorum ad Thermas cum ſequenti Elogio.

D. O. M.

PIVS IIII.
Pont. Max.
Medices Mediolanenſis
Sedit ann. V. Menſ. XI. Dies 15.
Vixit Ann. LXVI.
Menſ. IX.
Obijt 5. Idus Decembris
MDLXV.
Ioannes Antonius Sorbellonus
Epiſcopus Prænestinus
Coſobrino,
Carolus Borromeus S. Praxedis
Mediolanenſes
M. Siticus de Altaemps Germanus
Conſtantien. S. Mariæ Tranſtib.
Titt. Presbb.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardd. Poſuere.

Huius acta ad longum explicant Panuinius in Chronico , Syluius Antonianus in oratione funebri, Genebrardus , Hippolytus Marraccius in Bibl. & de Pont. Marianis, Auctor Romæ ſubterraneæ, Lud. Iacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pont. Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Hippolytus Capilupus, Ioannes Tonſus,

ſus, Cornelius Amalthæus in Carminibus, Ciaconius cum Auctarijs, Antonius Poſſeuinus in Apparatu, Philippus Picinellus in Atheneo Mediolanenſi, & alij plures.

Io: Antonius Capiſuccus Romanus è nobili, & antiqua familia natus, ab adoleſcentia in ſtudijs verſatus, atque in varijs forenſium honorum gradibus exercitus, poſt minora adhibita cum laude officia, ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ, Pauli III. Pontificis Maximi beneficientia ad Romanæ Rotæ Auditoratum, à Paulo verò IV. ad ſacram purpuram vocatus, & inter Presbyteros Cardinales Tituli S. Pancratij cooptatus, renuntiatuſque Epiſcopus Laudenſis in Inſubria; Pio V. ſedente in Petri Cathedra, antiquum S. Pancratij, cum alio S. Crucis in Hieruſalem primùm, demum cum Titulo S. Clementis commutauit; ſub quo Pontifice Præfecturæ Signaturæ gratiæ præſuit, nec non ſub titulo legati Apoſtolici Oppido Gualdi Nucerini & Pauli IV. iuſſu inter Patres Quæſitores fidei connumeratus eſt.

Scripſit Io: Antonius tempore quo ſedit inter Iudices Romanæ Rotæ Deciſiones plures, quarum duas egomet vidi apud Theodorum Amaydenum, forenſium cauſarum patronum in Vrbe, in volumine prænotato, Deciſiones diuerſorum, Vnam inſcriptam, Toletana Sacerdotij, alteram Romana Cambij.

E vita migrauit Romæ anno à partu Virginis 1569. ætatis ſuæ quarto ſupra quinquageſimum, 4. Calendas Februarii. Conditus in Eccleſia ſui Tituli vltimi ſub lapide ad ſacellum familiæ cum hac Epigraphe.

D. O. M.

IOANNI ANTONIO CAPISVCCO
Tit. S. Clementis
Presbytero Cardinali
Epiſcopo Laudenſi à Pio V.
Subſignandis gratiæ
Reſcriptis præpoſito
Viro integerrimo
Pietatis, Religioniſque Chiſtianæ
Cultori

Cultori præcipuo
Hieronymus Capiſuccus
Patruo bene meren. poſuit
Vixit ann. LIII. Menſ. iij.
Dies 8.
Obijt 4. Calendas Febr.
MDLXIX.

Meminere huius Cardinalis Cabrera, Petramellarius, alijque Auctarij Ciaconij, Landuccius in Vita Nicolai Marescotti, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Concil. Tridentini, Vghellius in Ital. ſac. Torrigius de Cryptis Vaticanis, Calmagius in Catal. Auditorum Rotæ, Vincentius Armannus de familia Capiſucca, alijque plures.

Io: Antonius Facchinettus Bononienſis Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum ſub Gregorio XIII. magno rerum vſu ciuilium, multiplicique ſcientia, & incorruptæ vitæ teſtimonio commendatus, omnium Cardinalium conſenſu, & inaudita celeritate ſecundo Comitiorum die ſuprema in Eccleſia dignitate dignus iudicatus, Innocentius IX. dictus, ſcripſit Moralia quædam & Opuſculum contra Machiauellum, nec non Commentaria in libros Politicorum Platonis, quæ omnia apud Heredes latent, referentibus Antonio Poſſeuino, & Henrico Ludouico Rupipozæo Caſtaneo in Nomenclatore Cardinalium.

Eiuſdem Epiſtolæ variæ latinæ extant M. SS. Viennæ in Bibliotheca Imperatoris, vti etiam eiuſdem Conſtitutiones nonnullæ.

Cum ſediſſet in Petri Cathedra Menſes tantum duos moritur Romæ die 29. ſeu 30. Decembris anno ſalutis 1591. & ſepelitur in Vaticano. Meminere Innocentij Auctarij Ciaconij, Antonius Petramellarius, Seuerinus Binius Tomo vltimo Conciliorum, Innicus Mendozius in Oratione obedientiæ, Andreas Ducheſnius, Antonius Sanderus libro de claris Antonijs, Benedictus Iuſtinianus in Orat. funebri Laurentius Berlinck in opere Chronol. & alij plures.

Io: Antonius de S. Georgio nobilis Placentinus, malè in Epitaphio Mediolanenſis dicitur, ex publico legum Doctore in Academia Papienſi Alexandrinus Epiſcopus, Rotæ Romanæ

Auditor, & Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achilei, ex quo titulo progreſſu temporis aſcendit ad Epiſcopatum Albanenſem, ſeu ex alijs Tuſculanum, Præneſtinum, & Sabinenſem, bis in Vrbe legatione functus eſt, primò ſub Alexandro VI. tum ſub Iulio II. habituſque ſui æui Iuriſconſultorum Princeps. Ne autem cum vita, ſuæ doctrinæ memoria periret, reliquit Poſteris lecturas ſuper Decretales.

Commentaria in 4. Decretalium, & in Tit. 2. Decretalium

Tractatum de Appellationibus

Alium de feudis

Alios in varios vtriuſque iuris titulos

Orationem de Paſſione Domini coram Summo Pontifice, habitam

Orationem in funere Federici de Chiniaco Cardinalis S. Vitalis quam ipſemet habuit ad Cardinales.

Romæ die 28. ſeu ex alijs 14. Menſis Martij anno 1509. cum ſupremum diem obijſſet ſepulturam habuit in Eccleſia S. Celſi ſub hoc Titulo.

D. O. M.

Hic ſepultum eſt corpus
R. Domini
D. IO. ANTONII DE S. GEORGIO
Mediolanenſis,
Epiſc. Sabinenſis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. Alexandrini nuncupati.
Societas Saluatoris
Ad Sancta Sanctorum Hæres
Ex
Teſtamento B. M. poſuit.
MDX.
7. Kal. Decembris.

De hoc

De hoc tractant Panuinius, Auberyus, Hieronymus Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Ghellinus in Theatro, Henricus Lud. Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Leander Albertus in deſcrip. Ital. & alij plures.

Io: Antonius Sorbellonius Mediolanenſis, nepos ex Sorore Pij IV, Presbyter Cardinalis S. Georgij in Velabro, tum S. Mariæ Angelorum ad Thermas, S. Petri ad vincula, S. Clementis, S. Angeli in foro Piſcium, Epiſcopus Albanenſis, Prænestinus, Tuſculanus, Portuenſis, Oſtienſis & ſacri Collegij Decanus edidit acta Synodi Nouarienſis, quam ipſe Epiſcopus habuit, nec non monita ad Confeſſionum ſacrarum Miniſtros inſtituendos.

E vita migrauit Romæ 15. Kalend. Aprilis anno ſalutis 1591. iacet in Eccleſia S. Mariæ Angelorum ad Thermas, ſequenti Elogio donatus.

D. O. M.

IO: ANTONIVS SORBELLONIVS
Mediolanenſis
Pij IV. Pont. Maximi
Amitinus. Cardinalis S. Georgij, Epiſc. Oſtien.
Sacri Collegij Decanus Vir ciuili prudentia,
Nationum notitia, multoque rerum
Vſu præſtans,
Perſonæ dignitatem
Apud Summos Pontifices
Auctoritate, conſilio,
Publici boni ſtudio
Per annos II. & xxx. ſumma cum laude
Suſtinuit
Vixit annos LXXII.
Obijt 15. Kal. April. MDXCI.
Fabritius Sorbollonius
Io: Baptiſta F. Gabri. Nep.

Teſta:

Teſtamento hæres Patruo Magno
B. M. fecit.

Celebrant Io: Antonium, Petramellarius, Auberyus, Auctarij Ciaconij in Vita, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Carolus Epiſcopus Nouarien. in Nouaria ſacra, Ludouicus Iacobillus de Epiſcopis Fulginatenſibus, Io: Petrus Guiſſanus in Vita S. Caroli, & alij multi apud eoſdem.

Ioannes Aragonius, ſeu Arragonius Neapolitanus Ferdinandi Regis Siciliæ, & Iſabellæ Claramontæ filius, Diaconus primò S. Hadriani ſub Sixto IV, tum Presbyter S. Sabinæ, ac S. Laurentij in Lucina, qua in Eccleſia iacet, Romæ die 17. Octobris anno 1484. ſeu 1485. iuuenis, non enim vigeſimum ſecundum ætatis ſuæ annum expleuerat, è vita migrauit. Nondum purpuratus pro Ferdinando Rege parente obedientiam Pontifici profeſſus in publico Senatu Orationem ſatis elegantem habuit.

De hoc agunt Nicolaus Roccius in Vita Sixti IV. Antonius Summontius in hiſt. Neapol. Rocchns Pyrrhus in Not. Eccleſ. Siciliæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, nec non Hiſtorici omnes Neapolitani.

Ioannes Arcimboldus, alijs Ioannes Angelus, natione Italus, Patria Mediolanenſis, Cæſarei iuris ſcientia, magnarumque virtutum ornamentis clarus, defuncta vxore Epiſcopus primùm Nouarienſis, deindè Presbyter Cardinalis abſens à Sixto IV. Pontifice Maximo renuntiatus, præfuit Titulis SS. Nerei & Achillei, ac S. Praxedis, & præfecturam iuſtitiæ in Romana Curia geſſit; Archiepiſcopatum Mediolani rexit, nec non legationes Germanicam, Hungaricam, Bohemicam, & Peruſinam.

In volumine Statutorum Ripariæ, huius Cardinalis ſtatuta multa leguntur ſub tali principio. Ioannes Arcimboldus Tituli SS. Nerei & Achillei Card. Nouarien.

E vita migrauit Romæ die 2. Octobris anno 1488. ſeu verius 1491. Corpus translatum Mediolanum iacet in Eccleſia S. Ambroſij cum ſubiecta inſcriptione.

IOANNI ARCIMBOLDO
Presbytero Cardinali
Auo paterno legitimo

Et Gui-

Et Guidoni Antonio Arcimboldo
Patruo magno,
Archiepiſcopo Mediolani,
Et ſibi Ioannes Angelus
Arcimboldus,
Ab
Epiſcopatu Nouarienſi
Cui XXVI. annos præfuerat,
Ad
Archiepiſcopatum Mediolanenſem
Translatus
V. F. idem annos LXX.
Mortem obijt 3. Idus Aprilis
MDLV.

De hoc tractant Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Ferdinandus Vghellius in Italia Sacra, Carolus Epiſcopus Nouarienſis in Nouaria ſacra, alijque plures apud eoſdem.

Ioannes de Aurelia, vulgo d'Orleans, natione Gallus ex Ducibus Longauillæis, Franciſci, & Agnetis à Sabaudia filius, Archiepiſcopus Toloſanus, Epiſcopus Aurelianenſis, a Leone X. Cardinalium Collegio adſcriptus, ſed non publicatus, à Clemente VII. purpuram accepit, & Titulum S. Martini in Montibus. Obijt quinquagenarius, anno ipſo quo euulgatus eſt Cardinalis, anno videlicet ſalutis humanæ 1533. ſeu 1534. menſe Octobri in Vrbe Taraſconenſi, cum typis dediſſet Synodales conſtitutiones pro Clericis Aurelianenſibus.

Laudant Ioannem Auctores Galliæ Chriſtianæ, ac Purpuratæ, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Ciaconius eiuſdemque Auctarij, alijque quamplures.

Ioannes Balue Gallus, patria Virdunenſis, ex Theologo & Confeſſario, ac Eleemoſynario Ludouici II. Abbas Becci & Epiſcopus Eborienſis & Adminiſtrator Andegauenſis tandem S.R.E. Presbyter Cardinalis Tit. S. Suſannæ, mox Epiſcopus Albanenſis

ſis & Prenestinus, ſcripſit quam habuit Romæ Caroli VIII. Regis nomine Orationem ad Innocentium VIII. Summum Pontificem. Legatus Piceni Anconæ finem impoſuit vitæ menſe Octobris anno 1491. Corpus translatum Romam ſepulturæ traditur in Templo S. Praxedis cum hac Epigraphe

D. O. M.

IOANNI ANDEGAVENSI
Epiſcopo Albanenſi.
Hic heros proſpera,
Et
Aduerſa fortuna in Piceno
Sub
Innnocentio VIII.
Legatum agens ſeptuagenarius
Gloriosè obijt;
Inſtabilitatis humanæ exemplum
Memorabile.
Antonius Epiſcopus veteris amicitiæ
Memor poſuit.

De quo mentionem inuenies apud Cardinalem Papienſem, Philippum Cominium, Robertum Gaguinum, Paulum Emilium, Spondanum in Annalibus, Vghellium Tom. 1. Ital. ſac. Frizonium in Gallia purpurata, Auberyum, Ludouicum Iacobum à S. Carolo lib. 2. Biblioth. Pontif. Sammarthanos, & alios.

Io: Baptiſta Alterius Romanus ex nobili familia, Æmilij qui electus Romanus Pontifex Clementis X. nomen aſſumpſit frater natu maior, Laurētij filius, in ſacra Theologia ac in iure ciuili & canonico Laureatus, ex Epiſcopo Camerinenſi Presbyter Cardinalis S. Mariæ ſuper Mineruam ab Vrbano VIII. renuntiatus rexit Eccleſiam Tudertinam.

Extant

Extant huiuſce M. SS. Sermones plures, quos Baſilicæ Vaticanæ Sacerdos in Vrbe dixerat, inter quos nonnullos vidi Martij fratris beneficio, ſatis pios & elegãtes de B. Mariæ sẽper Virginis laudibus. Iuuenis typis euulgauit Romanis Philoſophiæ, & Theologiæ Summas, quas à Doctoribus exceperat. maior verò factus Poema iambicum in laudem Ædium Barberinarum.

Narniæ dum Tuderto Romam peteret apoplexiæ morbo correptus die 25. Nouẽbris ãno 1654. noſtræ ſalutis, ſuæ ætatis ſexageſimo ſexto ad ſuperos euolauit. Corpus iacet ad S. Mariam uper Mineruam in Sepulchro Maiorum

Meminere Ioannis Baptiſtæ Auctarij Ciaconij, & alij.

Io: Baptiſta Bonſius Florentinus à Paulo V. Presbyteris Cardinalibus ſub Titulo S. Clementis adſcriptus, tanta apud omnes æſtimatione valuit, vt nulla res momenti ſine eius ſententia decerneretur in Vrbe, cumque præcipuè iuris vtriuſque notitiam perfectam haberet, multas graues quæſtiones non modò diſertè, ſed erudita oratione explicauit, quæ M. SS. aſſeruantur apud hæredes, & à doctis vt publici iuris fiant, expetuntur. Sunt typis editæ eiuſdem Epiſtolæ ad D. Renatum Gros à S. Ioyro è familia Comitis Fulcodij Gros Parentis Clementis huius nuncupationis IV. Romani Pontificis procreatum, quas proferunt Claudius Clemens Soc. Ieſu in Vita Clementis Pontificis & Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo in primo libro Bibliothecæ Pontificiæ

E viuis ſublatus eſt Romæ die 4. Iulij anno ſalutis 1621. ætatis 67. Corpus Florentiam delatum apud Clericos Regulares tumulum habuit ſub hoc titulo.

D. O. M.

IOANNI BAPTISTÆ BONSIO
Thomæ Epiſcopi
Ex fratre nepoti,
Dominici & Conſtantiæ
Victorię fœminę
Nobiliſſimæ filio,
Senatoria dignitate præclaro

I. V. C. celeberrimo;
Franciſco, & Ferdinando magnis
Hetruriæ Ducibus apprimè charo,
Qui poſt ſedatas
Inter Clementem Papam VIII.
Et
Ferdinandum Ducem
Limitum controuerſias,
Biterras appulſus
Epiſcopali infula ornatus
Diœceſim ſuam optimis
In viſitatione ſanctionibus imbuit,
Et inſtruxit.
Pias in Vrbem Virorum,
Ac
Mulierum domos admiſit,
Quæque in hæreſum, bellorumque ciuilium
Tenebris diù iacuerant,
Singulari eius ope emerſerunt.
Mox de Henrico Magno
Rege IV.
Ob matrimonium
Cum Maria Medicea ineundum
In Italiam miſſus,
Magnus eiuſdem
Mariæ Reginæ Eleemoſynarius.
Mirum ſibi amorem
In Regia Curia conciliauit;
Tandem Rege petente

A Paulo V.
Purpura illuſtratus Romæ pluribus,
Et arduis
Pro Sede Apoſtolica,
Et
Regno Galliæ negotijs
Summa cum Laude peractis,
Eximia candoris,prudentiæ, pietatis,
Et
Integritatis exempla reliquit
Obijt Romæ die IV. Iulij
Anno MDCXXI.

Meminere cum laude huius Cardinalis Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ, Auctarij Ciaconij & alij.

Io: Baptiſta Caſtanea Romanus, Genua oriundus Presbyter Cardinalis S. Marcelli ſub Gregorio XIII. deindè Romanus Pontifex renuntiatus, ſub nomine Vrbani VII. ſcripſit notas in Iuris Canonici volumen, atque ex Michaele Abbate Iuſtiniano Declarationes ſuper Decretis Conciliorum Prouincialium Hiſpaniæ Capitula,& Epiſtolas plures quæ extăt M.SS. Romæ in Bibliothecis Barberina & Spada. Cum ſediſſet dies tantū tredecim in Petri Cathedra obijt Romæ die 27. Menſis Septembris, anno 1590. Sepultus in Vaticano ſolo nomine notatus.

Vrbani geſta explicarunt Pompeius Vgonius in Oratione funebri; Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Petramellarius, Auctarij Ciaconij, Io: Baptiſta Rubertus in Vita & alij plures.

Io: Baptiſta Cicada Genuenſis, Apoſtolicæ Cameræ Generalis Auditor Pauli III. beneficio Albiganenſem in liguria Eccleſiam, Iulijque item III. purpuram cum Titulo S. Clementis obtinuit. poſt nouennium Albiganenſi Cathedra ſe abdicauit. aſcendit optionis iure ad regimen Eccleſiæ Sabinenſis, eoque in munere 6. Idus Aprilis anno 1570. extinctus in Vrbe, ſepulchrum habuit apud S. Mariam de Populo in Sacello familiæ Ruuereæ,ſub marmore his literis æneis inſculpto.

D. O. M.

IOANNI BAPTISTÆ CICADÆ
Genuenſi
Epiſcopo Sabinen.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. S. Clementis,
Viro ingenij acumine,
Et vbertate conſilij
Admirabili omnium officioſiſſimo, iuris,
Rerumque vrbanarum.
Ac
Forenſium vſu, intelligentia peritiſſimo,
Libertatis Eccleſiæ
Defenſori ſtudioſiſſimo
Carolus Cicada
Epiſ. Albiganenſis hæres.
Ex
Teſtamento Patruo B M. poſuit
Vixit annos LX, obijt die 8. Aprilis.
MDLXX.

Extant huiuſce Cardinalis literæ ad Anſaldum Iuſtinianum de felici morte Pueri Iuſtiniani, quam Pius huius nominis V. Pont. Max. in Conſiſtorio promulgauerat, & in hiſtoria Concilij Tridentini. Scripta indicantur quæ exarauit in rebus fidei.

Meminere Io: Baptiſtæ Cicadæ Cardinalis Auctarij Ciaconij, Auberyus, in Vita, Michael Iuſtinianus in prima parte Scriptorum ligurum, & alij.

Io: Baptiſta Cybo Genuenſis ex Presbytero S. Laurentij in lucina electus Romanus Pontifex ſub nomine Innocentrij VIII. rempublicam chriſtianam adminiſtrauit per menſes decem, dieſque

dieſque 27. ſupra ſeptennium, quo tempore Regulas quaſdam exarauit ad benè, chriſtianèque viuendum, & Epiſtolarum volumen Viennæ Auſtriæ in Bibliotheca Cæſarea, referente Poſſeuino aſſeruatum: Conſtitutiones item Eccleſiaſticas ac literas Apoſtolicas plures.

Efflauit animam die 25. Iulij anno Dominicæ natiuitatis 1492. ac tumulatus in Baſilica Vaticana cum ſepulchrali inſcriptione ab Alberico Cybo adiecta.

INNOCENTIO VIII. CYBO
Pont. Max.
Italicæ pacis perpetuo cuſtodi,
Noui Orbis ſuo æuo inuenti gloria,
Regi Hiſpaniarum Catholici
Nomine impoſito,
Crucis ſacroſanctæ inuento titulo,
Lancea quæ Chriſti hauſit latus
A
Baiazete Turcarum Imp.
Dono miſſa,
Æternum inſigne monumentum
E veteri Baſilica huc translatum
Albericus Cybo Malaſpina,
Princeps Maſſæ,
Ferentilli Dux, Marchio Carrariæ &c.
Pronepos ornatius,
Auguſtiuſque poſuit anno Domini
MDCXXI.

Celebrant Innocentium Angelus Politianus, Matthæus Boſſius, Veronenſis in Epiſt. Leonellus in oratione funebri, Vbertus Folietta in Elogijs ligurum, Hippolytus Marraccius in Pontific. nec non in Bibl. Mariana, Hieronymus Garimbertus, Io:

Maria

Maria Vailardus in Vita italicè deſcripta, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Io: Baptiſta Millinus, alijs Ioannes, nobilis Romanus anno ſeptimo ſuæ ætatis Lateranenſium Canonicorum Collegio adſcriptus, confecto ſtudiorum ſtadio, laureaque in Academia Romana accepta in Curia Romana ſanctiſſimè vixit, Pontificicibus Maximis ſemper charus, à Siſto IV. purpuram cum Titulo SS. Nerei & Achillei obtinuit, ac legationem Mediolanenſem geſſit, ex qua redux lenta febre 9. kal. Auguſti anno ſalutis 1478. ætatis 73. è viuis abijt, & ſepulchrum habuit in Vaticano, ex qua Baſilica poſt trimeſtre Cadauer tumulatum ad S. Mariam de Populo in qua iacet ſub hoc Elogio.

IO: BAPTISTÆ MILLINO
Vtriuſque Iuris conſult.
Quem
Ob eius religionem, prudentiam, iuſtitiam
Meritaque erga
Sedem Apoſtolicam
Sixtus IIII. Pont. Maximus
Congratulantibus
Omnibus in numerum Card.
Retulit.
Petrus Millinus Fratri B. M.
Poſuit.
Is vbi legatus poſt mortem
Galeacij Ducis Inſubium
Lygurumque res turbatas compoſuit
LXXIII.
Ætatis anno moritur
Incredibili de ſe apud omnes
Deſiderio relicto.
Vale qui legis, & opta

Vt multi

Vt multi huic Viro perſimiles
Humano dentur generi.
Obijt Anno Dom. MCCCCLXXVIII.
Nono Kal. Auguſti.

Huiuſce Cardinalis extat Oratio ad Federicum Cæſarem è Germania Romam voti cauſa venientem habita Pontificis nomine, quando inter Epiſcopos Palatinos primus obuiam proceſſit Cæſari

Plura de hoc recitant Auctarij Ciaconij, Auberyus in Vita, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, & alij.

Io: Baptiſta Pallauicinus, Cypriani ex vetuſta, nobilique Patriciorum Genuenſium proſapia filius, Patauij iuris ſcientiam ſub Decio profeſſus à Leone X. in Sacrum Collegium allectus anno 1517. ſub Titulo S. Apollinaris, Epiſcopatum Cabellicenſem rexit, Concilioque Lateranenſi interfuit. Obijt anno 1524. tumulatus apud Baſilicam S. Mariæ de Populo cum hac Epigraphe.

D. O. M.

IOANNI BAPTISTÆ PALLAVICINO
Genuenſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Ad Titulum S. Apollinaris.
Cardinali Cauallicenſi,
Antoniotti Card. S. Praxedis
Ex fratre nepos,
Eximia iuris ſcientia,
Et
Bonarum literarum cognitione præſtanti
Per omnes forenſium dignitatum gradus
Ad Cardinalatum euecto

A Leone

A Leone X. Hadriano VI.
Clemente VII.
Ad ſummas res adhibito,
In medio annorum curſu
Immatura morte prærepto,
Io. Baptiſta Vtriuſque Signat. Referen.
Et
Babillanus Pallauicini
Patruo magno benè
De familia merito memoriæ cauſa
Poſſ. MCCCCCXCVI.
Vixit annos XLIV.
obijt anno ſal. MDXXIV.
Idibus Auguſti.

Extant huiuſce Cardinalis M. SS. iuris ciuilis lucubrationes plures, & Epiſtolarum Volumen.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ, Auberyus, Auctarij Ciaconij, Panuinius, Felix Contelorius & alij.

Io: Baptiſta Pamphilius Romanus ex Rotæ Auditore, ac Nuncio Apoſtolico apud Hiſpanos ab Vrbano VIII. inter Presbyteros Cardinalis cooptatus, præfuit Eccleſiæ S. Euſebij, & poſt Vrbani mortem Petri Cathedram aſcendens ſub Innocentij X. nomine Pontificatum geſſit per annos X. Menſes tres, dies 23. obijtque die 7. Ianuarij anno ſalutis 1655. ætatis 80. Sepulchrum in Vaticano habuit.

Tanti viri extant apud Hæredes Deciſionum volumina plura M. SS. quę Rotæ Auditor ſcripſerat, publicique iuris ſunt Conſtitutiones, Diplomata & Decreta multa, quæ Romanus Pontifex euulgauit.

Celebrant Innocentium Antonius Bagata, Auctarij Ciaconij, Fr. Lucas Vadingus, Theodorus Amydenus in Vita; Comes Vbaldinus in Oratione funebri, Aloyſius Manzinus in Panegirica, Athanaſius Kircherius in Obeliſco Pamphiliano, & alij multi.

Io: Baptiſta

Io: Baptiſta Pallotta Picenus è Calderola, Euangeliſtæ Cardinalis Cuſentini ex fratre nepos, ex Archiepiſcopo Theſſalonicenſi, & Nuncio Apoſtolico apud Cæſarem Cardinalium Collegio ab Vrbano VIII. adſcriptus præfuit Eccleſiæ S. Siluestri de Capite Presbyter, tum S. Petri ad vincula, S. Mariæ Transtyberim, S. Laurentij in Lucina, Epiſcopus verò tum Albanenſi, tum Tuſculanæ, ſupremumque diem in Vrbe obijt hora eadem, eodemque die quo in lucem ante ſeptuaginta quatuor annos venerat, hora inquam quinta noctis, adueniente die 23. Ianuarij anno ſalutis 1668. iacet Corpus in temporario ſepulchro apud S. Spiritum in Saxia, donec Caldarolam transferatur, vt ſupremis tabulis mandauerat. Huiuſce Cardinalis extant apud plures Relationes ſuarum legationum, videlicet luſitanicæ, Germanicæ, ac Ferrarienſis vidi etiam volumen literarum, quæ hiſtorias diuerſas continent, Scripſit quoque Relationem & Elogium in Apotheoſi S. Thomæ à Villanoua, & Elogium inſcribendum tumulo Euangeliſtæ Cardinalis Patrui, & aliud poſitum in Porticu Baſilicæ S. Pauli via Oſtienſi Raphaeli Auerſæ Præpoſito Generali Clericorum Regularium Minorum.

Celebrant Io: Baptiſtam Auctarij Ciaconij in Vita & Ignatius Bomplanus Soc. Ieſu in oratione funebri.

Io: Baptiſta Spada Lucenſis ab Innocentio X. ſacra purpura anno 1654. ornatus, in Titulum habuit primò S. Suſannam, deindè S. Marcellum, euulgauit tres Tomos Conſiliorum Io: Baptiſtæ patrui & ſuis literis primum Alexandro VII. alterum Rotæ Romanæ Auditoribus, & Tertium Conſiſtorialium Aduocatorum Collegio nuncupauit. Extant eiuſdem Elogia, dicta in conſecrationibus, Thomæ à Vilanoua, Franciſci Salenſis, Petri de Alcantara, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Huius effigiem inuenies apud Galeazzum Gualdum in Theatro Virorum illuſtrium noſtri ſeculi. obijt in Vrbe anno ſeptuageſimo quinto ſeculi decimi ſeptimi à Chriſti natiuitate die 23. Ianuarij, ferè octogenarius. Iacet in Eccleſia S. Crucis nationis lucenſis in Vrbe.

De illo plura Auctarj Ciaconij, præter laudatum Gualdum.

Ioannes Bauarus huius nominis IV. Alberti Bauariæ Ducis filius, Epiſcopus Leodienſis in ordine octauus ſupra ſeptuageſimum, S. R. E. Cardinalis, reſignauit Epiſcopatum, & purpuram in manibus Papæ tempore Concilij Conſtantienſis, & diſpenſatus in Subdiaconatu vxorem duxit Eliſabetham Luxemburgenſem, Viduam Ducis Brabantiæ, Commatrem ſuam;

Scripſit ad Theodoricum Niemum Epiſtolam, quatenus Papæ ſit obediendum, editam cum Monarchia Melchioris Goldaſti in Indice Romano prohibita.

Obijt Ioannes repentina morte die Epiphaniæ anno 1424. alijs 1428.

De quo Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo lib. 2. Biblioth. Pontificiæ, Sammarthani Tomo 2. Galliç Chriſtianæ.

Ioannes Bellaius natione Gallus, Ludouici Domini de langey filius, inter Presbyteros Cardinales à Paulo III. Romano Pontifice die 20. Maij, anno 1535. cooptatus, in Titulum primò habuit S. Cæciliç, tum S. Petri ad vincula, S. Hadriani, S. Chryſogoni, & S. Mariæ Tranſtyberim Eccleſias; Epiſcopus poſtea præfuit Albanenſi, Tuſculanæ, Portuenſi, Oſtienſi, Sacrique Collegij Decanus fato ceſſit Romæ die 16. Menſis Februarij anno á Chriſti natiuitate 1560. cum ſcripſiſſet,

Carminum libros tres, quorum Poemata aliqua ſunt de laudibus Beatæ Mariæ Virginis.

Ad ſacrum Cardinalium Collegium de ſeruando iureiurando literas.

Orationes coram Clemente VII. & Franciſco I, ac Henrico I. Galliarum Regibus ex tempore habitas.

Orationes alias & Epiſtolas Galliarum Regis nomine ad Imperij Ordines Spirç conuocatos directas.

Remedia pro obligandis futuris Pontificibus, & literas ad diuerſos.

De hoc plura Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Auctores Galliæ Chriſtianæ & purpuratæ, Felix Contelorius in Elencho & alij apud eoſdem.

Io: Bernardinus Scotus natione Italus in Caſtro Maliani in Sabina natus, Clericus Regularis, Archiepiſcopus Tranenſis & Presbyter Cardinalis S. Matthæi in Merulana à Paulo IV. Pontifice Maximo renuntiatus, ſcripſit Epiſtolam ad Patres ſui Ordinis Neapoli Comitia habentes, & aliam ad Ioannem Petrum Caratfam Epiſcopum Theatinum Cardinalem renuntiatum

De Pontificijs Comitijs Commentarium

De Epiſcoporum auctoritate Opus

Reſtituit inſuper Pontificis Maximi iuſſu Breuiarium Romanum, & Miſſale ad priſtinum ſtatum.

Deceſſit Romæ die 2. Decembris Menſis, anno ſalutis humanæ 1568. Corpus iacet in Baſilica S. Paulo ſacra via Oſtienſi ſub hac breui inſcriptione

IOAN-

IOANNES BERNARDINVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis
Epiſcopus Placentinus
Viuens ſibi poſuit
Anno Domini MDLXIII.
Non mortuus eſt,
Sed dormit.

Celebrant Io: Bernardinum Auctores Chronicorum Clericorum Regularium, Ioſeph Silos in Catal. Scrip. ſui Ordinis, Auberyus, Auctarij Ciaconij & alij plures apud eoſdem.

Ioannes Bona, Subalpinus, honeſto genere natus in Monte regali, Monachus Ciſtercienſis, ter Abbas Generalis Congregationis Fulienſis, doctrina, nec non innocentia vitæ Alexandro VII, ac Clementi IX. Romanis Pontificibus pergratus; à quorum poſtremo noſtri ſeculi anno vndeſeptuageſimo Presbyterorum Cardinalium Collegio adſcriptus eſt; in Titulum verò à Clemente ſucceſſore, cuius Comitijs interfuerat, habuit omnium primus Eccleſiam S. Bernardi ad Thermas Diocletiani, quam incolunt Monachi Fulienſes. Publici iuris, hoc Auctore ſunt Opuſcula aliqua ſpiritualia prænotata Pſalmodia, nempè.

Manuductio ad Cœlum
Via compendij ad Deum
De Sacrificio Miſſæ
Principia, & documenta vitæ Chriſtianæ in 12. Romæ 1974.

Eiuſdem literas latino ſermone euulgatas inuenies in 2 parte Epiſtolarum memorabilium Abbatis Michaelis Iuſtiniani.

Auctor etiam fuit Vitæ S. Canuti Regis Daniæ, reſcribendæ in Breuiario Romano

Edidit quoque Cardinalis Opus in folio, circa inſtitutionem Miſſæ.

E vita obijt Romæ anno ſalutis 1674. die Dominico 28. Octobris, mane ante lucem. poſt obitum locum habuit in Titulo

Ioannes Caietanus ex Monacho Caſſinenſi Diaconus Cardinalis

nalis S. Mariæ in Coſmedin euulgatus, Archidiaconatus,ac Cancellarij munere in Eccleſia, tum Summi Pontificis ſub Gelaſij II. nomine per annum vnum, & dies quinque functus eſt, verbo, opere, & ſcriptis Eccleſiam ipſam contra Hæreticos confirmando. Cum adhuc inter Monachos vitam degeret ſcripſit Paſſionem S. Eraſmi Epiſcopi, & Martyris, quam commentarijs ampliſſimis illuſtratam in lucem Romæ dedit anno 1639. Conſtantinus Abbas Caſſinenſis. Compoſuit etiam verſu heroico Paſſiones SS. Eraſmi, Anatoliæ, & Cæſareij. Factus S R. E. Cancellarius Paſchalis II. Regeſtum confecit. Demum Romanus Pontifex ſcripſit contra Henricum Imperatorem Opus, & Epiſtolas multas, quarum plures referunt Binius, & Conſtantinus Caietanus in Commẽtarijs ad eius vitam à Pandulpho Piſano deſcriptã. Obijt in Monaſterio Cluniacenſi anno ſalutis 1119. ibidemque ſepulchro conditus ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

GELASIVS II.

Pontifex Maximus

Henrici IV. Romani Imperatoris

Clades plurimas Italiæ inferentis,

Et

Mauritij, Bracharenſem

Pontificem

Eſſe contendentis furorem timens

In Gallia cum meliori

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Cardinalium parte

Ad Ludouicum VI.

Fugiens cum Plagalonam

Appuliſſet valetudinarius

Ex pleuriſi factus,

Properante illi obuiam Ludouico,

Cluniaci

Cluniaci moritur;
Et ibidem hoc in loco ſepelitur.
Circa annum Chriſti
MCXIX.
Et Pontificatus ſui primò,
Cui mox Viennenſis Antiſtes
Burgundiorum Ducis filius
In Pontificem Romanum
Sub Calliſti II.
Nomine à Sacro Cardinalium
Cœtu in Cluniaco ſuffectus eſt.

Tantum virum præter laudatum Conſtantinum ſummis laudibus extollunt Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Ioannes Carauagial, ſeu Carauaial Hiſpanus, ex Rotæ Auditore Prætor Vrbis primò, tum Epiſcopus Placentinus in Hiſpania, demum Diaconus Cardinalis S. Angeli ab Eugenio huius nuncupationis quarto renuntiatus, præfuit Presbiter Titulo S. Crucis in Hieruſalem, & Epiſcopus Eccleſijs Portuenſi, & S. Ruffinæ; ſub Eugenio IV. Concilij Baſileenſis, ſub Nicolao V. Germanicam, ſub Calliſto III. Pannonicam, Illyricamque legationem geſſit; Sedis Apoſtolicæ ſtudioſiſſimus ſcripſit pro ea Defenſionem

Et legationum ſuarum compendiariam relationem, nec non Epiſtolas plures à doctis viris laudatas.

Septuagenario maior è vita exceſſit Romæ die 6. Decembris anno ſalutis 1469. ſepultus ad S. Marcellum cum hoc Epitaphio.

IOANNI CARDINALI
Genere Ibero
Pont. Portuenſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali Patrum ſplendore

Virtutum

Virtutum decori de Religione
Atque omni Republ. benemerito
Q. vixit An. LXX.
Beſſario Card. Nicœnus
Collegæ pientiſſimo.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Auberyum, Felicem Contelorium, & alios.

Fr. Ioannes Caſanoua nobilis Hiſpanus, Theologus inſignis Ordinis Prædicatorum, ex Magiſtro Sacri Palatij, Boſanus primò, mox Eluenſis Epiſcopus, demum à Martino III. alias V. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis S. Sixti ſcripſit.

De Poteſtate Papæ ſupra Concilium aduerſus Conuentum Baſileenſem, contra Schiſmaticos Baſileenſes.

Et alia plura in ſacra Theologia.

Florentiæ è vita exceſſit die prima Martij, aliis 24. februarij anno à partu Virginis 1436.

Celebrant Ioannem noſtrum Gaſpar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Auberyus, Panninius, Ciaconius & alij apud eoſdem.

Ioannes Caſimirus Sigiſmundi Tertij Poloniæ Regis ex Conſtantia Ferdinandi II. Imperatoris filius, Vladislai IV. Regis frater natu minor, ex Societatis Ieſu Alumno S. R. E. Cardinalis ab Innocentio X. renuntiatus, purpuram dimiſit poſt mortem Vladislai Regis fratris, electuſque in Regni Comitijs ipſe Rex in vxorem duxit, annuente Pontifice Mariam Gonzagam Niuernenſem Mantuæ Ducis filiã, Vladislai fratris viduam. Qua præmortua ſine filijs, nuncium remiſit Regno vt paratius, atque acuratius ſaluti conſuleret ſuæ. E vita exceſſit in Vrbe Niuernenſi anno 72. ſeculi decimi ſeptimi die 16. Decembris ſegregatus à Regno, & à negotijs.

Huiuſce literas ad diuerſos euulgauit Abbas Michael Iuſtinianus in ſua collectione memorabiliũ, & alias eiuſdẽ vidi publici iuris factas.

Laudant Io: Caſimirum Gerardus Grumel Soc. Ieſu in ſuo Triumpho, Auctarij Ciaconij & Auctores ferè omnes noſtræ ætatis Poloni.

Ioannes

Ioannes Caſtellio, ſeu Caſtilioneus nobilis Mediolanenſis, Epiſcopus Conſtantienſem in Prouincia Rothomagenſi, deindè Papienſem Eccleſiam in Italia adminiſtrauit. Legatus Apoſtolicus interfuit Conuentibus Ratiſponenſi, Francfordienſi, aliiſque habito in Noua Ciuitate proparandis armis contra Turcas Chriſtiani nominis auerſiſſimos hoſtes.

Abſens à Calliſto III. cum purpura Titulum S. Clementis accepit, & à Pio II. legationem Picenam, qua in Prouincia die 14. Aprilis anno ſalutis 1460. Maceratæ è vita migrauit. Corpus Mediolanum translatum in ſepulchro Maiorum conditum ſub hoc Titulo.

IOANNI CASTELLIONEO
Mediolanenſi,
Epiſcopo Papienſi
Tit. S. Clementis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Cardinali,
Cœleſtini IV.
Pontificis Maximi
Octauiani Gotifredi,
Et
Brandæ Cardinalium Gentili,
Qui cum legationis munere
Apud Federicum III.
Imperatorem concitandi
In Turcas exercitus cauſa
Sedis Apoſtolicæ
Nomine ſecundò fungeretur
A Calliſto III.
In ampliſſimum Ordinem
Abſens eſt cooptatus,

Eoque

Eoque defuncto
A Pio II.
Legatus Marchiæ Anconitanæ
Deſignatus,
Dum in ea Prouincia
Legislatoris ſtrenui, ſimul Ducis
Operam contra Piccininum nimis
Sollicitè impendit,
Inopinata febre præuentus, Maceratæ
Interijt 18. Kal. Maij
An.Sal.MCDLX.

Fuit Ioannes Oratoriæ, Ciuiliſque ſcientiæ peritiſſimus; extabat apud Sirlettum huiuſce Oratio, quam habuit legatus in Conuentu Ratiſponenſi.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Felix Conte orius in Elencho, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra & alij apud illos.

Ioannes Ceruantes Hiſpanus, Ciuis & Archidiaconus Hiſpalenſis, iuris vtriuſque Doctor, ex Epiſcopo Abulenſi, Segobienſis primò, mox Burgenſis, demum Archiepiſcopus Hiſpalenſis renuntiatus purpuram à Martino III, alijs V. habuit, ac præfuit Presbiter Cardinalis Eccleſiæ S. Petri ad vincula, & ſub Nicolao V. Epiſcopus Oſtienſi. legationis munere functus eſt apud Concilium Baſileenſe, & Concilij nomine apud Pontificem, Italiæque Principes. Deceſſit in Hiſpania diè 25. Nouembris Menſis, anno ſalutis humanę 1453. & ſepultus in Hiſpalenſi Cathedrali ſub hoc Elogio.

Poſtquam eximiò nitore virtutum
Reuerendiſſimus Dominus
IOANNES CERVANTES
Cum Titulo
Sancti Petri ad Vincula,

Galerum

Galerum optimè meruit,
Digniſſimoſque per Orbem edidit fructus,
Quoniam totius Eccleſiæ honeſtatis otium
Fuit iudicatus,
Oſtienſem Sedem obtinuit.
Tandem graueſcente iam ætate
Hiſpalenſem Metropolim
Sapienter adminiſtrans Eccleſiam
Vt Prælatum decet
Reliquit hæredem.
Tum inter probatiſſimas operationes
Hoſpitale famoſum,
Dotatiſſimumque in Ciuitate Hiſpalenſi
Primus ædificauit.
Obijt 25. Nouembris Anno Domini
MCCCCLIII.

Scripſit ſeptem Allegationes, totidemq; Auuiſamenta pro informatione Patrum Concilij Baſileenſis, circa Sacratiſſimæ Mariæ immaculatam Cõceptionem, nec nõ Tractatum de miraculis factis pro myſterio eiuſdem immaculatæ Conceptionis; quæ omnia ex antiquis M. SS. Codicibus prodierunt primò in publicam lucem anno ſeculi decimi ſeptimi ſexageſimo quarto, ſtudio, & opera Fr. Petri de Alua, & Aſtorga Ordinis Minorum ſub nomine Ioannis de Segouia Doctoris Hiſpani, qui alius non eſt, vt conſtat ex ipſius Concilij actis, à noſtro Ioanne Ceruante.

Meminere huius Balthaſſar de Porregno in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Felix Contelorius, & alij plures.

Ioannes Chempius, ſeu Kempius, vel Kemp Anglus ex Epiſcopo Ciceſtrenſi, Londinenſi, Eboracenſi, & Cantuarienſi Archiepiſcopo, ſummo totius Angliæ Magiſtratu, & Cancellarij munere à Rege, & à Romano Pontifice galero Cardinalitio, &

ktio, & Titulo S. Balbinæ ornatus eſt. Legati Apoſtolici officio Pontificis Maximi iuſſu dum in Anglia fungeretur. Epiſcopatum SS. Ruffinæ & Secundæ ſub Nicolao V. obtinuit, vir ſuo ſeculo pietatis, doctrinæque titulis celebris, ſupremum diem obijt Cantuariæ, die 22. Martij anno 1455. ſeu 1454. quædam eruditionis, ingenijque ſui literarum monumenta Poſteris reliquens, vt tradunt Polydorus Vigilius in hiſtoria Anglicana, Ciaconius cum Auctarijs, ac Pitſeo & alijs.

Ioannes Cioletti, & alijs Cholet, natione Gallus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ à Martino II. dicto IV. renuntiatus legationem Apoſtolicam geſſit apud Regem Galliæ; extant huius literæ ad diuerſos, & narratio ſuæ legationis directa ipſi Martino Pontifici. Deceſſit Romæ 15. Kal. Aprilis anno ab Orbe redempto 1592. ſeu 1595. iacebat in Eccleſia S. Cyriaci ad Thermas.

De hoc tractant præter Auctorem Galliæ Purpuratæ & Auberyum, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, alijque.

Ioannes Columna Romanus Presbyter Cardinalis S. Praxedis ſub Honorio III. literas plures ſcripſit cum legati munere fungeretur in Orientali Imperio; quorum aliquas refert Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſterciensis in Tomo III. Italiæ ſacræ. Scriptis etiam conſignauit Hiſtoriam ſacram quæ M. S. extabat in Bibliotheca Cardinalis Sirletti. Mortem obijt ſub Innocentio IV. anno ſalutis 1245.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Bzouium, & Odericum in Annalibus, apud Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Ferdinandum Vghellium de Cardinalibus Columnenſibus & alios.

Ioannes Columna alius à ſuperiori, nobilis & ipſe Romanus, virtute, morum ſuauitate, vitæque conſuetudine, vel eruditione literarum clarus, Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro piſcium ſub Ioanne XXI. dicto XXII. & Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis literas ſcripſit ad Sacerdotes eiuſdem Baſilicæ pro celebratione Anni Iubilæi. Elucubrauit etiam Vitas Romanorum Pontificum à D. Petro vſque ad Bonifacium VIII. Auenione deceſſit 3. kal. Iulij anno ab Orbe redempto 1348.

Meminere huius ijdem ſuperius laudati Scriptores.

Ioannes Tertius huius nominis Cardinalis Columnenſis Romanus, Antonij Principis Salerni filius, Proſperi Cardinalis nepos, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro renuntiatus, vti Ferdinandi Regis Neapolitani Sectator detentus aliquando eſt

in

In Mole Hadriani, pro quo Interamnenſes Ciues Oratoribus & ſupplicibus libellis Pontifici ſupplicarunt pro tanti Cardinalis libertate. E vita migrauit Romæ die 26. Septembris anno 1508. iacet in Eccleſia SS. Apoſtolorum ſub hoc titulo.

D. O. M.

IOANNES COLVMNA
Diaconus Cardinalis
Primarius Romani nominis, ſalutis,
Libertatiſque Publicæ columen
Hic ſitus eſt.
Obijt MDVIII. Septembris 26.

De hoc ijdem qui ſupra.

Ioannes Delphinus Patritius Venetus, Ioannis Cardinalis eiuſdem agnominis pronepos, Nicolai Senatoris filius ex Patriarcha Aquileiæ ab Alexandro VII. Pontifice Maximo inter Patres purpuratos cooptatus anno vertentis ſeculi ſexageſimo ſeptimo, plura ſcripſit, ſed non euulgauit.

Dialogos videlicet varios de materijs ſcientificis.

Diſcurſus in Cornelium Tacitum, & in Salluſtium.

Panxit etiam italico carmine Tragædias quatuor notatas, Craſſus, Cleopatra, Lucretia, & Medorus, & plures Odas.

De hoc adhuc inter viuos hoc preſenti anno 1675. plura habent Auctarij Ciaconij, Comes Galeazzus Gualdus Prioratus in Theatro Virorum illuſtrium, & Laurentius Craſſus in Elogijs.

Io: Dominicus de Cupis Romanus Archiepiſcopus Tranenſis & Presbyter Cardinalis renuntiatus à Leone X. Pontifice Maximo, in obitu, ſequuto Romæ die 10. Decembris anno 1553. reliquit M. SS. monumenta literaria plura de Eccleſiæ Romanæ iuribus quæ aſſeruabantur apud diuerſos, teſte Sirletto.

Celebrant hunc Cardinalem Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus in Vita, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Felix Contelorius in Elencho, alijque quamplures apud eoſdem.

Fr. Ioannes Dominici Florentinus Ordinis Prædicatorum ex Archiepiſcopo Raguſino Presbyter Cardinalis S. Sixti à Gregorio XII. Pontifice Maximo eu u lgatus, vir eruditionis eximiæ, miræ facundiæ, prudentiæque perraræ, Eccleſiæ Romanæ acerrimus Propugnator, contra Collutium Salutatum Poetam, virum alloquin clarum, qui librum ediderat de fortuna & fato, in quo non ſatis probè de fide Catholica videbatur ſentire Opus ſub titulo lucula noctis edidit.

Scripſit etiam Commentarios in Eccleſiaſticum

In Cantica Canticorum

In Euangelium S. Matthæi

Notationes egregias ſuper Magnificat

In Epiſtolam Pauli ad Romanos librum vnum, & alium in Epiſtolam ad Corinthios. Itinerarium deuotionis libro item vno comprhenſum.

De amore Charitatis librum vnum

De Conceptione Virginis Tractatum

Sermones de B. Maria ſemper Virgine, & de Sanctis.

Sermones Quadrageſimales

De Poſſeſſionibus librum vnum

Sermones quinquaginta in primos nouem Pſalmos Dauidicos.

Orationem in funere Ludouici Boniti Cardinalis

E vita exceſſit Budæ in Hungaria, quò legatus Apoſtolicus contra Huſſitas hæreticos Pontificis Martini III. alijs V. iuſſu ſe contulerat, die 10. Iunij anno ſalutis 1419 ſiuè 1420. Plura ad eius ſepulchrum patrata miracula, tanti Principis virtutes & merita explicarunt.

De hoc tractant Auctores plures Ordinis Prædicatorum, nec non Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Felix Contelorius in Elencho & alij multi.

Io: Dominicus Spinola Patritius Genuenſis ex Cameræ Apoſtolicæ Auditore ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo inter Preſbyteros Cardinales cooptatus cum Titulo Sancti Clementis, quem poſtea cum illo Sanctæ Cæciliæ commutauit Acheruntinam, & Materanam in Regno Neapolitano, deindè lunenſem & Sarzanenſem in liguria, demum Mazarienſem in Sicilia Eccleſias rexit; extant tanti Præſulis leges, ſeu Conſtitutiones, & Statuta quæ inſcripſit in Synodo Mazarienſi. Annos natus ſex ſupra ſexaginta vale huic ſeculo

dixit

dixit anno 1649. Iacet in Cathedrali ſolo nomine illuſtris

Agunt de hoc Cardinali Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Rocchus Pyrrus in notitijs Eccleſiæ Siciliæ, Michael Iuſtinianus in prima parte Catalogi Scriptorum ligurum, & alij.

Ioannes, alijs Ioannettinus Doria Genuenſis, Ioannis Andreæ Principis Melphitani, Claſſis maritimæ Hiſpanicæ Imperatoris ex Zenobia Carretta vxore filius, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiſcopus Panormitanus, Regni Siciliæ Prorex, cui ſupremus & lethalis fuit trigeſimus ſeculi decimi ſepimi ab orbe redempto annus, cum Synodum in Clericorum commodum euulgaſſet, extendiſſetque formularium iuramenti de tuenda immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, de qua Epiſtolam ad Vrbanum VIII. Pontificem Maximum miſit.

Meminere noſtri Ioannis Rocchus Pyrrus in Notitijs Eccleſiarum Siciliæ, Michael Iuſtinianus de Scriptoribus liguriæ, Auctarij Ciaconij & alij multi.

Ioannes Euerardus Nidardus, Auſtriacus, Ioannis, Cæſarij curatoris in Auſtria contra Hereticos filius, Theophili frater, Societatis Ieſu Sacerdos, in Academijs Germanicis publicus Philoſophiæ Profeſſor, Mariæ Annæ Reginæ Hiſpaniarum, ac Leopoldi Imperatoris Sorori à ſacris confeſſionibus, ſupremus Hiſpaniarum Quæſitor, hiſpanici Imperij Conſiliarius, Archiepiſcopus Edeſſæ, Orator regius apud Clementem X. Romanum Pontificem, & S. R. E. Presbyter Cardinalis ab ipſo Clemente X. inſtante Maria Anna Regina renunciatus.

Scripſit, publicique iuris fecit Examen Theologicum de quatuor propoſitionibus ſuper cultum, feſtiuitatem, & ſententiam piam Immaculatę Conceptionis Dominę noſtrę, & de Breui Alexandri VII.

Reſponſum ad libellum ſupplicem datum Philippo IV. Regi Catholico, nomine Prouincialis Caſtellæ Ordinis S. Dominici.

Eiuſdem literas hiſpanica & Italica lingua in ſuæ innocentiæ defenſione, euulgatas vidi.

Viuit, hoc anno quinto ſupra ſeptuageſimum ſeculi decimi ſeptimi à natiuitate Chriſti, Oratoris hiſpanici munere apud laudatum Clementem fungens, Regi Carolo, ac Reginæ Matri addictiſſimus.

Meminit huiuſce Cardinalis Nicolaus Antonius in Bibliotheca hiſpa-

ca hiſpanica edita Romæ duobus Tomis in fol. 1672.

Ioannes Fiſcherius Anglus Presbyter Cardinalis S. Vitalis à Paulo III. creatus ab Eccleſia cui præfuit Roffenſis cognominatus qui pro Romanæ Eccleſiæ primatu mortem ſubijt in Anglia die 22. Iunij anno 1535. plura reliquit ingenij ſui, ac doctrinæ qua maximè pollebat monumenta, videlicet

Epiſtolam reſponſoriam ad Lutherum:

Aliam contra captiuitatem Babylonicam Lutheri

Confutationem articulorum Lutheri, quos Leo X. Pont. Max. damnauerat.

Defenſionem Sacerdotij contra Lutherum

De veritate corporis & Chriſti & ſanguinis contra Oecolampadium, & Richardum Epiſcopum Vuintonienſem.

Concionem Anglicana lingua de libris Lutheri, Londini publicè combuſtis.

Pro damnatione eiuſdem Lutheri opus.

De vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum Stapulenſem

Additiones de Magdalena

De fructu orationis Opus, quod italicè editum Neapoli anno 1592.

Expoſitionem Orationis Dominicæ

Commentarium in Pſalmos VII. Pœnitentiales, interprete Io: Fennio

Concionem de Paſſione Domini

Concionem de iuſtitia Phariſæorum, & Chriſtianorum

Methodum perueniendi ad ſummam perfectionem religionis.

Ex carcere ſcripſit anglicè has lucubrationes quas latinas reddidit Ioannes Fennius.

Epiſtolam de charitate Chriſtiana
Tractatum de neceſſitate orandi
Pſalmorum, & precationum faſciculum ex Dauide, & nouo Teſtamento.
De Purgatorio opus.

Defenſorium matrimonij Regis Henrici cum Catarina Hiſpana

Contra Vrbicum Valenum quod Sanctus Petrus fuerit Romæ.

In Canticum Magnificat Carmen Paraphraſticum.

Sermonem de Natiuitate B. Mariæ

Omitto hic recenſere volumen de ſeptem Sacramentis contra

tra Lutherum quod ſub Regis Henrici nomine prodijt cum incertum ſit cuius nam fuerit Regis ne, an noſtri Cardinalis opus.

Eumdem Philippus Labbè Auctorem dixit librorum quinque de Euchariſtia, contra Ioannem Oecolapadium.

Omnia huius opera ſimul edita fuerunt VVirceburgi in folio anno 1557. cum breui de eius captiuitate, ac morte narratione, ab incerto quodam conſcripta.

Tribuitur eidem, ſed falsò liber de fiducia miſericordiæ Dei.

In huius Cardinalis vita, quæ Anglicè ſeruabatur Delauuariæ in Bibliotheca publica Benedictionorum Anglorum combuſtos fuiſſe ab Hæreticis tot eius M. S. libros, quot robuſtus equus iuſto onore portare poſſet.

Huius laudes explicarunt Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Hippolytus Marracciusin Purpura, & in Bibliotheca Mariana, Henricus Ludouicus Rupipozæus, Felix Conrelorius & alij apud eoſdem, præter Pitſeum de Script. Angliæ, & de Epiſcopis Roffenſibus.

Ioannes Flandrini natione Gallus, Decanus Laudunenſis, & Epiſcopus Carpentoratenſis ad Archiepiſcopi Auſcenenſis dignitatem aſcendit Canonicorum ſuffragijs, à Clemente VIII. Pſeudopontifice Presbyter SS. Io: & Pauli cuulgatus Benedicto XII. dicto XIII. adhæſit vſque ad obitum à quò Sabinenſem Eccleſiam ex aliquibus obtinuit. E vita migrauit anno nonageſimo primo ſeculi decimi quarti.

Hic Archiepiſcopus Auſcenſis anno 1383. nouas Conſtitutiones promulgauit, rei eccleſiaſticæ promouendæ opportunas.

De hoc agunt Auctores Galliæ Chriſtianæ, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Io: Franciſcus Commendonus Venetus, quem Donatus Calui Bergomo oriundum facit, peractis plurimis pro Sede Apoſtolica legationibus à Pio IV. Romano Pontifice Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis renuntiatus, quem titulum progreſſu temporis in illos S. Mariæ ad Thermas, deindè S. Marci commutauit, ſcripſit Orationes plures, quarum tres in laudem B. Virginis vidi M. SS apud Bernardinum Cardinalem Spadam cum relatione & Diſcurſu de Romana Curia.

Carmina etiam panxit in laudem diuerſorum quorum aliqua italica lingua de Aſſumptione Virginis Mariæ extabant apud eumdem laudatum Cardinalē Spadam. alia, ſeu eadem M. SS. aſſeruabātur in Collegio Romano apud Patres Societatis Ieſu; fuit enim eloquentia ſingulari præditus, claruitque non modo pietatis,

catis, ſed doctrinæ titulo. Obijt Patauij ex vigilia, ſeu ex inueterata epilepſia 7. Kal. Ianuarij anno ſalutis 1584. Corpus ibidem apud Capuccinos iacet ſub hoc Elogio.

IOANNI FRANCISCO
Tituli S. Marci
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Card. Commendono
Antonius Caucus Patritius
Venetus
Auunculo B. M. M. P.
Obijt 7. Kalendas Ianuarij
MDLXXXIV.

Celebrant tantum virum Gratianus olim à ſecretis eius, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus in Vita, Ludouicus Donius Dattichy in hiſtoria Cardinalium, & Hiſtorici omnes ſeculi præteriti.

Io: Franciſcus Gambara Brixienſis à Pio IV. inter Diaconos primùm, mox inter Presbyteros Cardinales cooptatus, optionis iure Titulos SS. Petri & Marcellini, S. Pudentianæ, S. Priſcæ, S. Anaſtaſiæ, ac S. Mariæ Tranſtyberim diuerſis temporibus obtinuit, rexitque Epiſcopus Albanenſem, Præneſtinam, & Viterbienſem Eccleſias; cum autem nuncium remiſiſſet Viterbienſi, literas Canonicis dedit, quibus rationes & motiua reſignationis explicauit. Extat eiuſdem Synodus Viterbij hàbita. Deceſſit Romæ 3. Nonas Maij anno à natiuitate Chriſti 1587. Corpus translatum ad B. Virginis Ædem de Quercu prope Viterbium in illa iacet ſine vllo Elogio.

De hoc tractant Petrus Correttinus de Epiſc. Viterbienſibus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auctarij Ciaconij, & alij plures.

Io: Franciſcus Paulus de Gondi natione Gallus, Henrici Cardinalis de Gondi Epiſcopi Pariſienſis, & Ioannis Franciſci primi Archiepiſcopi Pariſienſis nepos, Petri Cardinalis de Gondi Epiſcopi Pariſienſis pronepos, ex antiqua, & nobili Gondorum familia Etruſca progenitus, ex Archiepiſcopo Pariſienſi ab

Innocentio

Innocentio X. Presbyter Cardinalis renuntiatus obtinuit titulum S. Mariæ ſuper Mineruam, graueſque habuit ſimulationes cum Iulio Cardinali Mazzarino, poſt cuius obitum Eccleſiæ Pariſienſi nuncium remiſit, ſuperſtes hoc præſenti anno 1675. apud Gallos viuit.

Vidi huiuſce Cardinalis literas typis datas ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Galliarum in ſui, Archiepiſcopatus, Cardinalitiæque dignitatis defenſionem, quibus pugnaciſſimè ſuam cauſam contra æmulos defendit.

De hoc agunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, & Auctarij Ciaconij.

Ioannes de Grangia Gallus, Monachus S. Benedicti, atque ex Abbate ſui Ordinis Epiſcopus primum Ambianenſis, deindè Presbyter Cardinalis S. Marcelli à Gregorio X I. renuntiatus, plura poſteritati ſui ingenij monumenta reliquit, quæ autem fuerint, non explicant qui de illo ſcribunt. Clementis VII. Pſeudopontificis partes ſequutus ab illo Epiſcopatum Tuſculanum obtinuit, in cuius obedientia vita cum morte commutauit Ambiani in Gallia, die 24. Aprilis anno ſalutis 1402. iacet in Cathedrali eiuſdem Vrbis, Virgini Deiparæ ſacra, ſub hoc Epitaphio.

Hic iacet
Reuerendiſſimus in Chriſto Pater
Dominus
D. IOANNES DE GRANGIA
Abbas Fiſcanenſis.
Deindè Epiſcopus Ambianenſis,
Poſtremò verò
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis Tuſculanus
Qui obijt Anno Domini
MCCCCII.
Orate Deum pro eo vt requieſcat in pace
In Paradiſo.

 Memi-

Meminere huius Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, & alij plures.

Ioannes Gratianus patria Romanus, Archipresbyter Cardinalis in Titulo S. Ioannis ante portam latinam, qui ſub nomine Gregorij VI. Summum Pontificatum adminiſtrauit per annum vnum, menſes ſeptem, dieſque viginti, quo tempore elapſo in Concilio Sutrino ad tollendum ſchiſma nuncium illi remiſit. Epiſtolas nonnullas ſcripſit, quarum vnam ad S. Odilonem Abbatem Cluniacenſem apud ſe habere faſſus eſt Andreas Ducheſnius, alteram ad Rotlandum Eccleſiæ Florentinæ Præpoſitum datam inſeruit ſuo tertio Tomo Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius. In Monaſterio Cluniacenſi è vita abijt.

De hoc tractant Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures apud eoſdem.

Fr. Ioannes de la Grolaye, alij de Villarijs, ſeu Langrolaſio natione Gallus, Monachus, & Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, claruit doctrina, quare ex Abbate præſul primò Lambarienſis anno 1477. deinde Cordomienſis, & Vicarienſis renunciatus, ab Alexandro VI. purpura donatus eſt cum Titulo S. Sabinæ, ſub quo Pontifice octauo Idus Augusti anno 1499. in Vrbe deceſſit. poſt obitum in Sacello Vaticano Regum Franciæ, quod picturis, aliiſque ornamentis illuſtrauerat ſepulchrum habuit ſub ſequenti Elogio.

D. O. M.

IOANNI LANGROLASIO

Gallo

S. Dionyſij Abbati

Epiſcopo Lambarienſi

Presb. Card. Sanctæ Sabinæ

Cardd.

Alex. & Senen.

Et Preſtr. Rotæ Audit.

Executores Teſtamentarij MCCCCIC.

Ætatis ſuæ X . . . . . .

Noſtris

Noſtris huiuſce temporibus ſepulchrum hoc extat in Cryptis Vaticanis cum hoc lemmate.

Sepulchrum Cardinalis
IO. LANGROLASII
Galli
Epiſc. Lambarienſis
Tit. S. Sabinæ.

Cum claruiſſet, vt diximus ſcientijs, ſcripſit
In libros Sententiarum Commentaria
Collationes habitas cum Clero
Sermones ad Populum
Sermones de B. Maria ſemper Virgine
Orationem ad ſummum Pontificem, & Cardinales dictam pro Eccleſia Catholica.

De hoc agunt Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Ioannes Gropperus Germanus qui Presbyter Cardinalis à Paulo IV. abſens renuntiatus, gratias agens purpuram remiſit, ſcripſit.
Inſtitutionis Chriſtianæ Enchyridon, Concilij Conſtantienſis nomine
Inſtitutionem ad planiorem Chriſtianæ Religionis cognitionem.
De veritate corporis Chriſti, & ſanguinis in Euchariſtia.
De aſſeruatione Euchariſtiæ
De Chriſto in Euchariſtia adorando
De Communione ſub altera tantum ſpecie; opus profectò ſingulare à Laurentiò Surio Latino eloquio expreſſum
Apologeticum contra Hæreticos
Adhuc iuuenis Synodi Prouincialis per Adulphum Colonienſem Archiepiſcopum celebratæ deſcriptas leges iu quatuor, & decem libros admirabili ingenij acumine præclara eloquentia redegit.

Romæ è vita migrauit pridiè Idus Martij anno 1558. iacet in Eccleſia S. Mariæ de Anima ad pedes Hadriani VI. cum hoc Elogio.

D. O. M.

D. IOANNI GROPPERO
Religionis, fideique Catholicæ
Propugnatori accerrimo,
Poſt incredibiles labores ſummis
Cum periculis
Pro Eccleſię & Religionis conſeruatione,
Magno ſemper
Et inuicto animo exantlatos,
Multaque præterea literarum
Monumenta edita,
Ac
Perpetuam fidei,
Pietatique conſtantiam,
Incomparabilem doctrinam,
Summaſque virtutes abſenti,
Nec quicquam minus cogitanti,
In Sacrum
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
CardinaliumCollegium cooptato,
Præmatura adhuc morte,
Et quando ſui opera
In primis deſiderabatur
Ex humanis erepto.
Fratri pijſſimo, atque optimè merito
Godefridus & Gaſpar Gropperi Fratres,
Et Alumni mœſtiſſimi poſuere.

Vixit

Vixit Annos LVII. dies 18.
Obijt 3. Idus Martij
MDLVIII.

Et huiuſcæ mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Sfortiam Pallauicinum in hiſt. Concilij Tridentini & hiſtoricos omnes ſeculi præteriti.

Ioannes Halgrim, ſeu Höllegrin, vel Hailgrinus, aut de Abbatis Villa cognominatus, Ordinis Cluniacenſis Monachus, natione Gallus, Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, tum Epiſcopus Sabinenſis ſub Gregorio IX. Romano Pontifice omni diſciplinarum genere excultiſſimus Poſteris tradidit

Expoſitionem pulchram, plenamque in Cantica Canticorum, quæ vocatur Sexta, typis edita Lutetiæ anno ſalutis humanæ 1521.

Quæſtiones de ſeptem Sacramentis.

Conciones plures

Sermonum volumina duo de tempore, totidemque de Sanctis, & de feſtis B. Mariæ Virginis.

Tractatum in Epiſtolas & Euangelia Dominicarum totius anni

Vir de Eccleſia Romana optimè meritus Kal. Octobris anni ab Orbe redempto 1237. communem, æternamque vitam ingreſſus eſt; non 1240. vt ſcripſit Ciaconius.

Celebrant Ioannem hunc Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Hippolytus Marraccius in Bibl. Mariana, & alij plures cum Labbe in Bibliotheca M. SS.

Io: Hieronymus Albanus Bergomenſis legum peritia, & armis clarus Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Ioannis ante Portam Latinam Pij V. beneficio adſcriptus, literarum monumentis conſignauit

De Summi Pontificis & Concilij poteſtate opus in tres partes diuiſum, Venetijs typis euulgatum anno 1561.

De donatione Conſtantini facta Eccleſiæ, Tractatum in tres partes diuiſum. Romæ 1547.

De Cardinalatu librum vnum, Ibidem 1541.

De Eccleſiarum & eorum qui ad eas confugiunt immunitate librum vnum. Romæ 1553.

Com-

Cõmentaria in Bartolum de Saxoferrato. ibidem eodem ãno.
Concilia varia
Mortalitatem explevit Romæ 7. kal. Maij, anno à Chriſti natiuitate 1591. Iacet ad Sanctam Mariam de Populo ſub hoc Elogio.

IO: HIERONYMO ALBANO
Bergomenſi Card. I.C.
Generis nobilitate, morum elegantia,
Vitæ ſplendore,
Monimentis ingenij,
Doctrinæque clariſſ. Reipub.
Venetæ Collaterali generali,
Matrimonio, ac Cœlibatu
Aſperis, & ſecundis æquè probato,
Catholicæ religionis
Egregiè dictis, ac factis
Aſſertori, ac Vindici,
Ac
Ob eas res à Pio V. Sum. Pont.
Difficillimis
Populi Chriſtiani temporibus
In Collegium Cardinalium adſcripto
In ſententijs dicendis, facundia,
Grauitate, ſapientia
Singulari extrema iam ætate pios inter
Amplexus Carorum,
Et oſcula ſenſim extincto.
Io: Dom. Cœſ. Comes Parenti
Optimè merito
P. C.

Vixit

Vixit annos LXXXVII.
Obijt 7. Kal. Maijas.
Anno ſalutis.
MDXCI.

Eſt huiuſce mentio apud Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Donatum Calui & alios plures.

Io: Hieronymus Lomellinus Patritius Genuenſis, ex S. R. E. Theſaurario Presbyter Cardinalis S. Onuphrij ab Innocentio X. Pontifice Maximo euulgatus, Legatus Bononiam rexit ad ſexennium, ſcripſitque Problemata varia ex vtroque iure deſumpta & Elogium in Apotheoſi B. Thomæ à Villanoua celebrata ab Alexandro VII. è viuis abiit Romæ die 5. Aprilis anno ſalutis 1659. Oſſa iacent apud S. Carolum in ſtadij Romani via ſub hac Epigraphe.

IO: HIERONYMO LOMELLINO
Titulo Sancti Onuphrij
Presb. Card. Genuenſi,
Qui Tribus Pontificibus Max.
In arduis negotijs ſtrenuè probatus,
Vrbano VIII. Ferrariæ
Et Bononiæ Prolegatus,
Pontificij Exercitus
Commiſſarius Generalis,
Cameræ Apoſtolicæ Clericus,
Et Vrbis Gubernator.
Innocentio X. poſt continuatum
Vrbis regimen
Theſaurarius generalis
Ad purpuram euectus,
Bononiæ Legatus.

Alexan-

Alexandro VII.
Legatione in alterum triennium prorogata
Dein Vrbi redditus,
Rebus vbique mira conſtantia,
Iuſtitia, ſolertia, abſtinentia,
Geſtis bono publico
Maiora daturus interemptus eſt.
Animus illi ſupra curas,
Supra fortunam fuit,
Functuſque tam operoſis
Muneribus nuſquam occupatus,
Nuſquam anxius,
Semper viſus eſt prius negotium egiſſe
Quam agere,
Parique alacritate mortem pijſſimè
Obijt Prid. Non. Aprilis
Anno MDCLIX.
Æt. ſuæ L.
Aloyſius Card. Homodeus amoris,
Et deſiderij
Monumentum P.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij.

Io: Iacobus Panzirolus Romanus, cuius ingenium Io: Baptiſta Marinus ſūmopere commendabat ex Rotæ Romanæ Auditore, Nuncioque Apoſtolico apud Hiſpanos inter Presbyteros Cardinales ab Vrbano huius nominis octauo cooptatus, ab Innocentio X. ſucceſſore cum inſignibus Titulum S. Stephani in Cœlio Monte obtinuit.

Reliquit in Poſterorum commodum Deciſionum, quas Iudex in Rota Romana exarauerat volumen.

Vidi

Vidi apud ipſum M. S. Carmen de Aſſumptione B. Mariæ nec non Orationem de Natiuitate eiuſdem, quam italica lingua dixerat iuuenis in Academia Romana.

Æterna donatus vita die 3. Septembris anno à partu Virginis 1651. Sepulchrum habuit apud S. Silueſtrum in Quirinali cum ſequenti Epigraphe.

IOANNI IACOBO PANZIROLO
Romano
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Cardinali,
Viro ſuo nomine celebri.
Cui ſi quid addas, demis.
Melchior Panzirolus Patruo incomparabili
Mœſtiſſimus poſuit.
Obijt Anno ſalutis
MDCLI.
Die tertia Septembris
Ætatis LXVI.

Plura de hoc habent Auctarij Ciaconij, Galeazzus Gualdus in Theatro hominum illuſtrium; Nicolaus Angelus Caferrus in Syntemate vetuſtatis, Zaccarias de Aloyſijs Abbas Caſinenſis in Elogio, & Carmine, Antonius Diana Clericus Regularis, & Marcus Paulus Leo in Epiſtolis nuncupatorijs partis 9. reſol. moralium, & de vſu Pallij.

Ioannes Iuuenis Piccardus, Roberti Balliui Ambianenſis, Attrebatum Gubernatoris filius, & frater Domini Guillelmi de Contay ad Eugenium IV. Pontificem Max. Philippi Burgundiæ Ducis Oratoris, cuius Principis fauore Cardinalis creatus eſt anno 1439. 15. Kal. Ianuarij in Synodo generali Florentina, cui interfuit Ducis Legatus. Poſt exceſſum Eugenij, Romæ galero condecoratus cum alijs Cardinalibus, elegit Nicolaum V. Eugenij ſucceſſorem, cuius vitam Ioannes Cardinalis exarauit, teſte Iocrio. Electo Nicolao miſſus eſt Ferrariam anno 1447. pacis componendæ gratia. Epiſcopus rexit Conſeranenſem

primò, tum Ambianenſem, demum Morinenſem Eccleſiam. Romæ obijt ætatis anno 40. omnium ſui ſeculi Purpuratorum Patrum ditiſſimus, parumque abfuit quin defuncto Eugenio in Summum Pontificem poſtulatus ſit. Sepultus in Titulo Sancti Laurentij in Lucina, cui Eccleſiæ, vti etiam S. Praxedi præfuerat, cum hac Epigraphe.

Hic iacet
Corpus Reuerendi Patris
Et Domini,
D. IOANNIS
Titulo Sancti Laurentij
In Lucina,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyteri Cardinalis,
Morinenſis nuncupati,
Qui obijt anno MCCCCLI.
Die 9. Menſis Septembris.
Miſerere mei Deus quia in te ſperauit
Anima mea.

De hoc Cardinali tractant Ciaconius, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Frizonius, Auberyus, Monſtrel. tus in Chronico, Gazetus, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Claudius Robertus Ibid. Ferd. Vghellius in Addit ad Ciac. & alij.

Ioannes de Lugo Hiſpanus e Societate Ieſu, patria Hiſpalenſis ob celebrem doctrinæ famam, conſpicuaque virtutum merita ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo in ampliſſimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptatus, ſcripſit.

Commentarios in tertiam partem Summæ Theologicæ Sancti Thomæ de Incarnatione Verbi. Lugduni 1633.

Diſputationes item Scholaſticas & Morales de Sacramentis in genere, Ibidem. 1644.

De venerabili Euchariſtiæ Sacramento, & de Miſſæ ſacrificio Ibidem

De

De Sacramento Pœnitentiæ volumen vnum Ibidem 1638.
De Iuſtitia & iure Tomos duos Ibidem 1642. & 1652.
De fidei diuinæ virtute Tractatum Ibid. 1645.
Conſiliorum moralium Volumen. Ibid. 1660.

Reliquit M. SS. libros plures Theologicos, & Philoſophicos, quos in Scholis triginta annorum ſpatio cum plauſu dictauerat,

Extant etiam M. SS. Conciones, Sermoneſque diuerſi, præcipuè de B. M. ſemper Virg. & de puriſſima eiuſdē Cōceptione.

Iuuenis tranſtulit in linguam hiſpanicam Vitam B. Aloyſij Gonzagæ.

Huiuſce Cardinalis effigiem cum Epigrammate à ſe ſcripto inuenies apud Hieronymum Tetium in deſcriptione Ædium Barberinarum.

Corporis molem depoſuit Romæ die 30. Auguſti anno ſalutis 1660. ætatis 77. Oſſa iacent in Templo Farneſiano ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

IOANNI CARDINALI DE LVGO
Societatis Ieſu
Theologo Eminentiſſimo
Domus Profeſſorum Romana hæres
Vt vbi fuerat theſaurus eius,
Ibi eſſet & cor eius,
Prope Corpus S. Ignatij
Ex eius ſuprema voluntate
Monumentum P.
Obijt anno ſalutis MDCLX.
Ætatis LXXVII.

Celebrant tantum virum Auctarij Ciaconij, Ioannes Lucari in Oratione funebri, Io: Stephanus Menocchius de Republica Hebreorum, & alij plures.

Ioannes Maria de Monte, Italus, Epiſcopus Cardinalis Præ-

neſtinus, qui Petri Cathedram aſcendens ſub nomine Iulij III. rem ſacram adminiſtrauit per Menſem vnum, dieſque ſexdecim ſupra quinquennium, ſcripſit Orationes plures vernacula, & latina lingua, quarum vnam adhuc iuuenis in quinta Seſſione Lateranenſis Concilij ſub Iulio II. dixerat, alteram de Paſſione Domini habitam in Vaticano feria ſexta Maioris hebdomadæ, & aliam de Pace inuenies M. SS.

Literas item plures ad diuerſos, euulgatas inter illas Principũ, & alias M. SS. aſſeruatas in Vaticano, & in Collegio Romano cum Diſcurſibus dictis ad Patres in Concilio Tridentino, cui adſuit Præſidum vnus.

Ex officio Conſtitutiones nonnullas

Ab humanis deceſſit 10. Kal. Aprilis anno à Chriſto nato 1553. in Vrbe. ſepultus in Vaticano, ſolo nomine notatus.

Meminere Iulij Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, Sfortia Cardinalis Pallauicinus in hiſtoria Concilij Tridentini, Paulus Iouius, Franciſcus Rainerius, Ianus Vitalis & alij plures.

Ioannes Marſicanus S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus ab Vrbano II. renuntiatus ſcripſit contra Imperatorem Henricum huius nominis V. Orationem luculentam excitantem Populum Romanum ad defenſionem Paſchalis II. Pontificis, armaque pro eo capienda.

Obijt ſub eodem Paſchali, vti refert Ludouicus Iacobus à S. Carolo lib. 2. Bibliothecæ Pontificiæ.

Ioannes Martinus de Guiſo, ſeu Siliceus, alijs Ioannes natione Hiſpanus ex Archiepiſcopo Toletano Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei à Paulo huius nuncupationis IV. Pontifice Maximo renuntiatus, vir omni commendatione digniſſimus in ſacris literis, & in Theologia verſatus ſcripſit.

Libellum de nomine Ieſu populari ſermone

Dominicam orationem & Angelicam Salutationem locupletatam hieroglyphicis vulgari ſermone

Commentaria in Canticum Magnificat.

Tractatum pro Eccleſiæ Toletanæ Statutis, ſeu legibus.

Libellos plures de Aritmetica

Deceſſit Toleri pridiè kal. Iulij anno ſalutis humanæ 1557. Oſſa iacent in Eccleſia Cathedrali Toletana, ſeu ex alijs in Cœnobio Virginum à ſe extructo, ſub hoc Elogio.

IOAN-

IOANNES SILICEVS
Card.
Philippi II. Magiſter,
Pater Pauperum,
Et
In Eccleſia Toletana
Sanctarum legum
Reſtaurator.
Obijt 31. Maij MDLVII.

Tractant de Ioanne Siliceo Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Gaſpar Porregnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque plures præter Andream Peregrinum in Bibliotheca Hiſpanica.

Ioannes Medices Laurentij filius natione Italus, patria Florentinus, adhuc puer, annum enim decimum, ſeu ex alijs decimum quartum ætatis non excedebat, ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo Diaconis Cardinalibus adſcriptus præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Dominica, Legatus rexit D. Petri Patrimonium, & Bononiam; exulauit à patria, captiuus apud Gallos fuit. Tandem ad Petri Cathedram ſub nomine Leonis X. aſcendens, Iuuenum Cardinalium ſtudio, per annos octo, totidemque Menſes & dies 21 Apoſtolicam Sedem non ſine laude gubernauit.

Scripſit Epiſtolas elegantiſſimas ex Rupipozæo, ſed illæ Petri Bembi ſunt, non Leonis.

Habemus tamen aliquas ad Actium Syncerum Sannazarium, ad Angelum Troianum, Ioannem Antonium & Gentilem de Albertinis, quæ Leonis ſunt. extant etiam eiuſdem carmina vtraque lingua elegantiſſima, præter Apoſtolicas literas, Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas Binius collegit.

Animã emiſit anno à Virginis partu 1521. ætatis 47. kalendis Decembris. Corpus iacuit in temporario ſepulchro apud S. Petrum in Vaticano ſolo nomine prænotato.

LEO-

LEONIS DECIMI
Pontif. Maximi
Depoſitum.

Cui Poetæ plures carmina affixere, quorum tandem duo habemus apud Suuertium, & ſunt

Deliciæ humani generis, Leo Maxime, tecum
Vt ſimul illuxere, interiere ſimul.

Sub Paulo III. è Vaticana ad S. Mariæ ſuper Mineruam Eccleſiam Leonis cadauer translatum iuxta Clementem VII. in marmoreo monumento conditum eſt.

Laudibus plurimis celebrant Leonem Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & Hiſtorici omnes ſeculi decimi ſexti.

Ioannes de Mella Hiſpanus natione, patria Zamorenſis in iure tum Canonico cum Ciuili doctiſſimus, ex Rotæ Romanæ Auditore Epiſcopus Zamorenſis primùm, mox presbyter Cardinalis renuntiatus à Calliſto III. Titulum SS. Aquilæ & Priſcæ obtinuit, quem progreſſu temporis in illum S. Laurentij in Damaſo, & Cathedram Zamorenſem in Saguntinam commutauit. Septuagenario maior Romæ è vita exceſſit die 13. Octobris, ſeu ex alijs Decembris anno ſalutis 1467. cuius oſſa conditorium habuere apud Sanctum Iacobum nationis hiſpanicæ ſub hoc Elogio.

IO: DE MELLA
Genere Hiſpano,
Familia ingenua, Cæſarij,
Ac
Pontificij iuris Conſultiſſ.
S. Laur. in Damaſo
Presbyter Card. Zamoren.
Sacrum
Vixit An. LXX. obijt 18. Octobr.

Anno

Anno ſalutis noſtræ MCCCCLXVII.
Pont. Max. Pauli II.
Anno quarto.

Scripſit vt indicat Cardinalis Papienſis librum, cuius argumentum eſt, licitum Clericis non eſſe Vrbes peſtilenti lue infeſtas deſerere, ob iniuncti Sacerdotij curam.

De hoc agunt Auberyus, Panuinius, Gaſpar Porregnus, Ciaconius cum Auctarijs & alij apud coſdem.

Mag. Fr. Ioannes Minius Picenus Ordinis Minorum Generalis, & Epiſcopus Portuenſis, ac S. Rufinæ Bonifatij VIII. Pontificis Maximi beneficio proclamatus, ſcripſit Epiſtolam encycliam ad vniuerſos Ordinis Miniſtros de paupertate retinenda & conſeruanda.

Sermones item de B. Maria ſemper Virgine, & alios habitos in ſolemnioribus Anni feſtiuitatibus.

Auenione deceſſit anno à partu Virginis 1312. ſeu ex alijs 1313. ibidemque apud ſuos Conſodales ſepultus.

Vide Ciaconium & Auctarios, Panuinium, Auberyum in Vita, Fr. Lucam Vuadignum in Annal. Ordinis Minorum, & alios.

Ioannes Moles à Margaritis Hiſpanus, Ciuis, & Epiſcopus Gerundenſis, Theologia, iuriſprudentia, Coſmagraphia, eruditioneque clarus, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, Alphonſi Regis Nauarræ Orator interfuit Concilio Mantuano ſub Pio II. habito. Ferdinandi Regis Oratoris munere dum apud Sixtum IV. Romanũ Pontificem fungeretur inter Presbyteros Cardinales cooptatus Titulum S. Vitalis obtinuit, quem cum illo S. Balbinæ progreſſu temporis commutauit. adminiſtrauit etiam Oſcenſem in Hiſpania & Pactenſem in Sicilia Eccleſias, ſediſque Apoſtolicæ nomine legatione functus eſt in Prouincia Campaniæ & Maritimæ

Scripſit Hiſtoriam hiſpanicè, prænotatam Paralipomenon, & Tractatum de optimo Principe; & alia quædam.

Mortem obiuit Romæ ex calculo die 21. ſeu 9. vel 5. Nouembris anno ſalutis 1484. ætatis octogeſimo; Corpus in Æde S. Mariæ de Populo humatum.

Celebrant hunc purpuratum Gaſpar Porregnus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Ioannes

Ioannes cognomento Monachus, natione Gallus, vtriuſque iuris peritiſſimus Presbyter Card. SS. Petri, & Marcellini ſub Cœleſtino V. Romano Pontifice, Legatus Apoſtolicus apud Galliarum Regem, Gloſſam prorſus auream confecit, ſcripſiſque conſignauit Commentaria in Sextum Decretalium. Compoſuit etiam Statuta pro Collegio à ſe fundato, ac reliquit acta ſuę legationis in Gallia, aliaque plura quæ ad meam non peruenerunt notitiam.

Ampliſſimum ſui nominis Collegium Lutetiæ Pariſiorum erexit, & dotauit pro illis qui Theologiæ ſtudijs operam darent.

Meldenſium Epiſcopus Auenione 4. Nonas Maij, ſeu ex alijs 10. kal. Septembris anno ſalutis 1313. vitam amiſit. Corpus Pariſios translatum in Æde Collegij à ſe erecti ſub hoc Elogio.

Hic iacet
DOMINVS IOANNES
Monachus,
Ambianenſis Diœceſis,
Tituli Sanctorum Marcellini & Petri,
Presbyter Cardinalis
Fundator, huius Domus
Qui obijt Auenione
Anno Dom. MCCCXIII.
Die 22. Menſis Auguſti
Sepultus fuit hic prima die
Menſis Octobris anno eodem.
Orate pro eo.

Eſt huiuſce mentio apud Garimbertum, Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, Spondanum in Annalibus, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios in Vita, alioſque plures.

Mag. Fr. Ioannes Morlandinus Gallus, Ordinis Prędicatorum Magiſter Generalis Presbyteris Cardinalibus Tituli S. Sabinæ Clementis VI. beneficio adſcriptus elaborauit Tractatum de reparatione lapſi.

Sermones plures de tempore, de Sanctis, de B. Virgine Maria, ac de Paſſione Chriſti Domini, & alia, vt habet Paulus Corteſius.

E vita exceſſit Auenione die 23. Februarij anno 1358. alijs 1358. de hoc plura Ciaconius cum Auctarijs, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Panuinius, Rupipozæus, Fontana in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatij, & alij.

Ioannes Moronus natione Italus, patria Mediolanenſis Preſbyter Cardinalis S. Vitalis, tum S Stephani in Cœlio Monte, S. Laurentij in Lucina, ac S. Mariæ Tranſtyberim, mox Epiſcopus Albanenſis, Sabinenſis, Præneſtinus, Tuſculanus, Portuenſis, Oſtienſis & Sacri Collegi Decanus à Paulo III. Romano Pontifice ſacro Collegio adſcriptus, Poſteris tradidit Conſtitutiones Epiſcopatus Nouarienſis

Mutinenſis Synodi acta

Orationem in Concilio Tridentino habitam

Relationem de legatione ſua ad Concilium.

Epiſtolas plures ad Polum, & Corteſium Cardinales, ad Iouium, ad Federicum Nauſeam, claros doctrina viros.

Leges Reipublicæ Genuenſi datas

Curauit vt S. Hieronymi ſcripta ab Eraſmi Rotoredami erroribus emendata in lucem ederentur

Romæ vitam terminauit Kal. Decembris anno à partu Virginis 1580. iacetque in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ſub lapide cum ſequenti Elogio.

Hic iacet corpus
IOANNIS CARDINLIS MORONI
Patritij Mediolanenſis,
Et
Epiſcopi Oſtienſis,
Qui fuit Legatus Apoſtolicus
In Sacro Concilio Tridentino,
Et Præſes.
Vixit Annos LXXI.
Menſes X. dies 5.

Obijt 1. Decembris MDLXXX.
Orate Deum pro eo
Hieronymus Moronus Comes
Pontiſcoroni hæres,
Horatius Moronus Epiſc.
Sutrinus & Nepeſinus
Fratris filij Domino,
Ac
Patrono Optimo
Ex teſtamento mœrentes
PP.

De Morono tractant Ferdinandus. Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Ludouicus Iacobillus in Vita & alij plures apud eoſdem cum Philippo Picinello, in Atheneo Mediolanenſi.

Ioannes Mortonis Anglus iuris vtriuſque Doctor magni nominis, cujus virtutes, & doctrinam ſummè laudat Thomas Morus in Vita Picardi III. Angliæ Regis., Epiſcopus primòÆlienſis, deindè Archiepiſcopus Cantuarienſis, demū Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ ab Alexandro VI. Romano Pontifice renuntiatus aliqua ſui ingenij monumenta Poſteris mandauit ex Pitſæo, quitamen non explicat quæ fuerint. E vita in Anglia excedens annò ſalutis 1500. Menſe Octobris, ſepultus eſt in Sacello quod ſuis impenſis erexerat in principe Templo Vrbis Cantuarienſis

Vide plura apud Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium & alios.

Ioannes Oczko Boemus, Olumucenſis primò, deindè Pragenſis Epiſcopus Presbyter Cardinalis SS. XII Apoſtolorum ab Vrbano VI. electus, Apoſtolicus Legatus in Boëmia nominatus, orationem habuit in funere Caroli IV. Cæſaris, quæ extat typis publici iuris facta apud Raynerium Renuccium

Pragæ in Boemia rebus humanis exceſſit Menſe Martio anno 1380. conditus in Eccleſia Sanctis Erhardo, & Ottholæ ſacra.

De hoc

De hoc plura Ciaconius, eiuſdemque Auctarij, Panuinius, Auberyus, & alij apud eoſdem.

Io: Petrus Caraffa Neapolitanus, Theatinæ Eccleſiæ Præſul, Presbyter Cardinalis S. Clementis, ſeu S. Pancratij ſub Paulo III. Archiepiſcopus Neapolitanus, Epiſcopus Sabinus, & Oſtienſis, demùm Pontifex Maximus ſub nomine Pauli IV. Clericorum Regularium vulgò Theatinis ex Fundatoribus vnus, eloquentia, doctrina, ſapientia illuſtris Poſteris reliquit.

Orationem, & Epiſtolarum volumen

Commentaria in Ariſtotelis Ethicos & Politicos libros.

Regulas Clericorum Regularium

Epiſtolas ad diuerſos

Monita ſibi ipſi Pontifici electo exarata.

Commentarium pro Baſilica S. Petri, eiuſdemque priuilegia

Indicem librorum expurgandorum

Parenæſim ad Bernardinum Occhinum, quam Annales Capuccinorum & Clericorum Regularium hiſtoriæ referunt.

Publicam fidei profeſſionem, quam hodiè in ſolemni inauguratione Epiſcopi concipiunt.

De Eccleſia emendanda Opus

De obſeruatione quadrageſimali Tractatum

De Symbolo Opuſculum

Diſcurſus de Annatibus.

Orationem in Sadoletti Cardinalis funere

Conſtitutiones Eccleſiaſticas plures, quarum vna de Roſario B. Mariæ, plures de Lauretana domo; aliquæ pro Ordine Conceptionis, & vna eſt contra blaſphemos.

Cum alijs, Pontificis iuſſu, Officium paruum B. Mariæ correxit, atque ad meliorem formam redegit; huius dicta vnico volumine typis tradita poſt eius obitum.

Sub Pauli IV. Pontificis nomine eſt Epiſtola conſolatoria ad ſuos, quæ re vera non eſt Pauli.

Cum præfuiſſet Romanæ Eccleſiæ annis 4. Menſibus duobus, diebus 27. 15. ſeu 18. Kal. Septembris anno 1559. diem ſupremum vidit; Corpus iacet in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ſub hoc Elogio à Pio V. exarato.

Ieſu Chriſto ſpei & vitæ Fidelium
PAVLO IIII. CARAFFÆ
Pont. Maximo

Eloquentia doctrina, ſapientia ſingulari
Innocentia, liberalitate,
Animi magnitudine præſtanti
Scelerum vindici integerrimo
Catholicæ fidei acerrimo
Propugnatori
Pius V. Pontifex Maximus
Grati, & pij animi monumentum
Poſuit
Vixit Annos LXXXIII.
Menſem 1. dies 20.
Obijt MDLIX. 18. Kal. Septembris.
Pont. ſui Anno V.

Meminere Io: Petri, Panuinius in Elogio, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Hippolytus Marraccius in Pontificibus Marianis, Io: Baptiſta Tufus, & Ioſeph Silos in hiſt. ſui Ordinis, Ludouicus Donius Dattichy in hiſt. Cardinalium, Bartholomæus Chioccharellus in Catalogo Antiſtitum Neapolitanorum, Franciſcus Robertellus, Antonius Caracciolus, Hieronymus Maggius, Io: Baptiſta Caſtaldus, Ciaconius cum Auctarijs in Vita & alij plures.

Io: Petrus Iuliani Luſitanus patria Vlyſiponenſis, ab alijs Petrus Hiſpanus dictus, profeſſione olim Medicus, ex Epiſcopo Cardinali Tuſculano ſuffragijs decem Cardinalium in Comitijs Viterbienſibus renuntiatus Summus Pontifex nomen non mutauit, & dictus Ioannes XX. alijs XXI. præfuit Eccleſiæ Menſes octo & dies nonullos. Tamquam Philoſophus & Medicus celeberrimus ſcripſit plura, videlicet.

Summulas Logicales, quibus artiflexiones, & diuerticula exercere procliuè eſt. Hæ in lucem prodierunt cum expoſitione Verſorij Pariſienſis. In eadem commentaria ediderunt Petrus de Bruxellis, vulgò Crocatius Ordinis Prædicatorum, Gerardus Liſtrius Battauus; Nicolaus Orbellus Gallus Ordinis Minorum; Petrus Tattaretus, Matthæus de Bononia Carmelitarum

Generalis;

Generalis; Georgius Bruxellenſis; Thomas Bricotus, & alij; extant M. SS. Patauij, & Cremonæ in Biſiliotheca Nicolai Triulſani cum Commentarijs Ioannis de Perſico, & Florentiæ in Medicea.

Scripſit etiam parua logicalia quæ anno 1593. in partes, & capita diſtincta, Venetis typis eulgata ſunt.

Tractatus Logicales, ſex.

Problemata quædam Ariſtotelem imitatus.

Dialecticam, quæ extat M. S. Patauij in Bibliotheca, Sancti Ioannis in Viridario: in quam Chriſtophorus Hagendrophinus edidit Commentaria, ſeu Notas.

Dragmata.

In Phyſiognomia Ariſtotelis Commentaria, quæ M. SS. Cantabrigiæ ſunt in Bibliotheca S Petri.

Commentaria in Iſaacum Medicum, ſeu de Dictis vniuerſalibus & Particularibus, & de Vrinis, quæ cum operibus eiuſdem Iſaaci in lucem prodierunt Lugduni, apud Bartholomæum Troſt anno 1515.

Theſaurum Pauperum, ſeu de medendis humani corporis membris librum empiricum ex omni genere Auctorum, & experientia propria congeſtum. Qui typis datus eſt Lugduni anno 1525. Pariſijs vero 1577. cum alia parte elaborata à Ioanne Liebaultio Medico Diuinionenſi.

De medenda podagra Tractatum.

De Oculis, & formatione hominis.

In Hippocratem Gloſſas de natura Puerorum. extant M. SS. Patauij apud Canonicos Lateranenſes.

Canones Medicinæ.

Concilium de tuenda valetudine ad Blancam Matrem S. Ludouici Regis Galliarum.

Epiſtolarum Volumen M. S. in Vaticano aſſeruatum.

Sermones prædicabiles, & alia quæ Cremonæ in Bibliotheca Auguſtinianorum aſſeruantur.

Cum autem Viterbij dormiret repentina cubiculi recens conſtructi ruina oppreſſus eſt. Sepultus 18 Kal. Iunij anno ſalutis 1277. in Cathedrali eiuſdem Vrbis cum hoc Epitaphio.

IOANNI LVSITANO
XXI. Pontificatus

Maximi

Maximi ſui Menſe viij.
Moritur
MCCLXXVII.

De hoc agunt Panuinius, Ciaconius & reliqui omnes qui hiſtoriam Pontificiam elucubrarunt.

Ioannes de Raguſio Ordinis Prædicatorum, qui contra Boemos diſputauerat, à Felice V. inter Cardinales cooptatus ſcripſit de communione ſub vtraque ſpecie contra Ioannem Rokyzana, & ſeptem regulas ad habendum verum ſenſum Scripturarum

Collecta quædam, & excerpta ex Summa Benedicti Abbatis Maſſiliæ, ſuper caput firmiter credimus de Summa Trinitate Catholica, additis paucis contra impugnantes fidem Catholicam.

Tractatū cōtra auiſamētū Baſileenſe de appellatione Cōcilij

Plura de hoc Ciaconius eiuſdemque Auctarij.

Ioannes Raymundi, natione Gallus, ex Archiepiſcopo Toloſano Epiſcopus Cardinalis Portuenſis & S. Rufinæ, qui ſummum Pontificatum ea lege oblatum, ne vnquam Romam repeteret, reſpuit, aſſerens id cedere in Eccleſiæ detrimentum, ſcripſit

De Paſſione Domini Opuſculum

De Deiparæ Virginis & Sanctorum feſtis diebus Sermones

Georgius Draudius in ſua Bibliotheca claſſica eumdem Auctorem facit Commentariorum in Pſalmum 103. tum Epiſtolarum legalium, quæ anno 1549. typis Lugdunenſibus excuſę ſunt, in quibus varij iuris articuli continentur.

E vita migrauit die 20. Nouembris ſalutis anno 1348.

Eſt huiuſce mentio apud Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, apud Auberyum, Panuinium, Ciaconium & alios.

Ioannes Saluiatus natione Italus, patria Florentinus, Leonis X. ex Sorore nepos, ab ipſo Leone inter Diaconos Cardinales cooptatus, præfuit Diaconiæ SS. Coſmi & Damiani, & adminiſtrauit Eccleſias Ferrarienſem & Firmianam in Piceno, Volaterranam in Etruria, Tranenſem in Apulia, S. Seuerinæ in Calabria, Fanenſem in Vmbria, Thranenſem in Campania felici, ac Bitectenſem in Barenſi Ducatu, à Franciſco I Galliarum Rege, cui maximè gratus erat pro Sancti Populi, pro Biterrenſi, Olorenſi, ac Vaſionenſi Epiſcopatibus nominatus, legationem geſſit in Gallia, in Italia, & apud Cæſarem. Sub Paulo III. ex Diacono

cono Epiſcopus primùm Albanus, tum Sabinus, demùm Portuenſis extitit.

Rauennæ vitalem lucem amiſit 5. Kal. Nouembris anno 1553. oſſa quieſcunt Ferrariæ

Toleti dum eſſet anno noſtræ ſalutis 1525. Sedis Apoſtolicæ à Latere Legatus apud Cæſarem degentem in Hiſpania Diploma ſcripſit, quo Toletanæ Confraternitatis Conceptionis B. Mariæ Crucem publicè deferendi ius conceſſit. Typis quoque excuſæ ſunt eiuſdem literæ ad Cardinales Cybo, Corteſium, & alios datæ.

Celebrant Cardinalem Saluiatum Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Io: Stephanus Donghius Bartholomæi ex Iacoba de Bernardis filius, nobilis Genuenſis, ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ ab Vrbano VIII. Diaconus Cardinalis renuntiatus, S. Georgij in Velabro primùm, tum S. Agatæ in Suburra Diaconiam obtinuit. Sedis Apoſtolicæ Plenipotentiarius pacem cum fœderatis Italiæ Principibus tractauit, feliciſſimèque concluſit. Legatione Ferrarienſi ſub Vrbano, & ſub Innocentio Flaminiæ functus eſt. Epiſcopus Aiacenſem in Corſica, Imolenſem in Æmilia, ac Ferrarienſem Eccleſias rexit, ediditque decreta primæ Synodi Imolenſis quam conuocauerat anno noſtri ſeculi nono ſupra quinquageſimum. Eiuſdem literas aliquas inueni, s euulgatas in collectione facta à Michaele Iuſtiniano. Suprema huic Cardinali dies fuit 26. Nouembris anni 69. Corpus iacet Romæ in Templo Farneſiano donec transferatur Ferrariam.

De hoc eſt mentio apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, apud Auctarios Ciaconij & alios.

Ioannes Stephanus Ferrerius natione Italus ex oppido Biello ſeu Bugella Vercellenſis Diœceſis ex Romanæ Rotæ Auditore Epiſcopus Hipporellienſis, tum Veronenſis, tum Bononienſis demum Presbyter Cardinalis ab Alexandro VI. Pontifice Maximo renuntiatus in Titulum habuit Eccleſiam S. Vitalis, quam poſtea commutauit cum illa SS. Sergij & Bacchi, rei literariæ cultor exactiſſimus, induſtria ſua effecit vt Ariſtotelis magna Moralia priſcis ſeculis incognita, nobis communia faceret Iacobus Faber Stabulenſis. Ceremonias inſuper Cardinalitias cognoſcendi percupidus Paridi Graſſo Ciui & Canonico Bononienſi, deindè Epiſcopo Piſaurienſi negotium dedit vt librum de Ceremonijs Cardinalium conſcriberet. Vti propria verò monu-

monumenta Poſteris reliquit Deciſiones plures, quas ſcripſit Iudex Rotæ Romanæ.

Mortem oppetijt Romæ die 5. ſeu 13. Octobris anno ſeculi decimi ſexti, decimo. Corpus iacuit aliquando in Titulo S. Clementis ſub hac Epigraphe.

IOANNI STEPHANO FERRERIO
SS. Sergij & Bacchi
Presbytero Cardinali
Bononienſi
Viro ſanctitate, doctrinaque inſigni.
Vixit Annos XXXVI.
Menſes V.
Obijt Anno M D X.
3. Nonas Octobris
Iulio II. Pontifice Maximo.

De hoc tractant Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho & alij apud eoſdem.

Ioannes de Tauera de Pardo natione Hiſpanus, doctrina, eruditione, ingenuiſque moribus Ferdinando Regi pergratus, à quo Epiſcopatum Ciuitatis Roderici, & à Carolo I. Auſtriaco Legionenſem primò, mox Oxomenſem, demùm Compoſtellanum, Toletanum, & Supremam fidei Quæſituram obtinuit, ejuſdemque precibus inter Presbyteros Cardinales Titulo S. Ioannis ante Portam Latinam à Clemente VII. Romano Pontifice connumeratus anno 1531. vitam produxit vſque ad annum 1545. quo ætate maturus ex hac mortali vita ad cœleſtem euolauit die primo Auguſti, ſeu ex alijs 29. Septembris Valliſoleti. Cadauer Toletum relatum ſepulchrum habuit in Sacello Hoſpitalis cum hac inſcriptione,

D. O. M.
IOANNES TAVERA
Cardinalis,

Et Archie-

Et Archiepiſcopus Toletanus
Ampliſſimis honoribus perfunctus,
Regij Senatus Præſes,
Inquiſitor Gener.
Regnique aliquando Moderator
Vixit Annos LXXIII.
Feſſis tandem æuo,
Et labore oſſibus
Poſt hanc requiem ſepulturæ,
Deſignatam prius,
Deindè teſtamento delectam
Obijt Kalendis Auguſti
Anno MDXLV.

Extant huius Præſulis leges ſcriptæ pro Clericis Toletanis, & acta Synodus Toletanæ quam habuit.

Vide Panuinium, Auberyum, Gaſparem Porregnum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios qui plura de hoc narrant.

Ioannes de Thalaru, ſeu Talaru, Matthæi Domini de Talaru filius, Maior Cuſtos Lugdunenſis ex Decano circa annum 1376. renuntiatus Archiepiſcopus Lugdunenſis Synodum Prouincialem III. conuocauit, cuius acta habentur in Scrinijs Lugdunenſibus, & anno 1389. petitione Caroli VI. Francorum Regis Auenione degentis Cardinalis creatus à Pſeudopontifice Clemente VII. vti vir probus, & doctus commendatur in Annalibus Victorinis. mortalitatem expleuit 8. kal. Octobris anno 1392. Sepultus in ædis Metropolitanæ Cappella S. Petri, ab eo fundata. Extant eiuſdem literæ pro Clemente VII. & relatio hiſtorica ſchiſmatis, quas vidi adnotatas in Syllabo Bibliothecæ Vrbanitatis.

De hoc Ciaconius cum Auctarijs & alij apud eumdem.

Ioannes Theoresbius, natione Anglus, iuris vtriuſque peritus, & Theologus Oxonienſis propter pietatem, & eruditionem Eduuardo Regi tertio mirè charus; vnde accedente ad eximias viri virtutes ſingulari Regis gratia, & fauore ad ſupremos in Eccleſia, atque etiam in Republica euectus eſt honores. Fuit

enim Archiepiſcopus Eboracenſis, ſummus Angliæ Cancellarius, S. R. E. Presbyter Cardinalis. Eboraci mortuus, & ſepultus anno 1374 cum ſcripſiſſet

Doctrinæ Chriſtianæ Catechiſmum
Ad Eccleſiarum Patres librum vnum
Contra Monachos mendicantes librum alium.

De quo Pitſeus de Scriptoribus Anglicis, & in Catalogo Archiepiſcoporum Eboracenſium.

Ioannes de Turracremata netione Hiſpanus Ordinis Prædicatorum, vir in diuinis Scripturibus egregiè verſatus, ac Iuris Pontificij Interpres conſultiſſimus, propter eximiam eruditionem, & morum probitatem ab Eugenio IX. Pontifice Maximo ad ampliſſimum S. R. E. Cardinalatus apicem ſublimatus, à Pio II. fidei Catholicæ Patronus, & Propugnator nominatus, ſcripſit

In Gratiani Decreta volumina quatuor
De Pœnitentia Opus
De Concilo Florentino Volumen
De Conſecratione Tractatum
De Concilijs opus
De Conceptione Domini libros tres
De Corpore Chriſti contra Boemorum errores
De Aqua luſtrali
Meditationes in vitam Chriſti
Contra Iſmaelitas
De animæ ſalute
De poteſtate Papæ
De vnitate Græcorum cum latinis
De Sacramentis librum vnum
Reſponſionem ad Oratorem Baſileenſem
Summam Eccleſiæ libris ſex
Contra Alcoranum Machometi
De auctoritate Romanæ Eccleſiæ
In Regulam S. Benedicti Commentarium in 4. Coloniæ 1575.
Librum contra eos qui arcebant Hebræos ne ad Chriſti fidem venirent.
Quæſtiones, ſeu ſcolaſticam poſtillam in totius anni Euangelia.
Reuellationes S. Brigittæ recognouit, & commentarijs illuſtrauit.

Ser-

Sermones de tempore, de Sanctis, & de B. Mariæ ſemper Virginis feſtiuitatibus

Commentaria ſeu Paraphraſim breuiſſimam, locupletiſſimam, lucidiſſimamque ſimplici & aperto ſermone ad Pium II. dictatam in omnes Dauidicos Pſalmos

De Conceptione B. Mariæ libros tredecim, Romæ impreſſos anno 1547.

Theologicarum Theſium Toſtati impugnationem.

Et alia plura.

Cum vſque ad nonum ſupra ſeptuageſimum ſuæ ætatis annum vitam produxiſſet die 26. Septembris anno ſalutis 1468. Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſuper Mineruam ſpiritum Deo reddidit. Oſſa iacent in Eccleſia proxima ſub hoc Elogio.

Hic requieſcit
Dominus
IOANNES DE TVRRECREMATA
Natione Hiſpanus,
Epiſc. Sabinus
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis S. Sixti
Qui obijt 26. Septembris
Anno Dom.
MCDLXVIII.
Requieſcat in pace.

Summis laudibus extollunt Cardinalem hunc hiſtorici omnes Eccleſiaſtici, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Rupipozæus, Scriptores omnes Dominicani, & alij multi.

Ioannes le Veneur, alijs de Beneur Gallus ex Epiſcopo Lexouienſi Presbyter Cardinalis Tituli S. Bartholomæi in Inſula à Clemente VII. renuntiatus Eccleſiæ Catholicæ partes contra Hæreticos forti pectore ſuſtinuit, & Statuta ſacrarum Ædium Pariſienſium correxit, ac in meliorem formam redegit. E viuis abijt Romæ, alijs in Gallia die 7 Auguſti, ſeu Nonis Ianuarij anno quadrageſimo tertio ſeculi decimi ſexti ab Orbe redempto

Vide plura apud Auctores Galliæ Chriſtianę & Purpuratæ, Auberyum, Ciaconium, & alios plures.

Ioannes de Villa Vezzoſa natione Hiſpanus, patria Segobienſis, Theologus ſuo æuo clarus, Archidiaconus Ouetenſis, interfuit Concilio Baſileenſi, vnuſque ex Hiſpanis Electoribus in Comitijs pro Felice huius nuncupationis quinto ſuffragium tulit, à quo in ſecunda Patrum enuntiatione inter Presbyteros Cardinales Titulo S. Mariæ Tranſtyberim cooptatus, legationis munere functus eſt in Conuentu Bituricenſi. Poſt Felicis abdicationem Cardinalis Titulum & ipſe ſpontè dimiſit, rebuſque mortalibus valere iuſſis, ſeceſſit in ſolitudinem cum veſte Patrum Dominicanorum, vbi reliquum vitæ in Dei obſequium ſanctiſſimè duxit.

Hic Alcoranum in quo falſæ, & euanidæ religionis typum Maometes procudit in latinam linguam conuertit, eiuſdemque mendacia tum veris rationibus, tum argumentis exploſit.

Concordantias inſuper partium orationis indeclinabilium in Biblijs collegit, ediditque volumina duo de actis Concilij Baſileenſis.

De hoc agunt Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Ioannus de Viridico natione Gallus ex nobili proſapia Toparcharum Vſitenſium ex Præpoſito Magalonenſi à Ioanne XXI, alijs XXII. Pontifice, Auditor primùm Cameræ Apoſtolicæ, tum Epiſcopus Magalonenſis, demùm ex aliquibus S. R. E. Cardinalis renuntiatus, cuius tamen Cardinalatus nullum certum monumentum vidi in Tabulario Vaticano. Petrus Garie'lus in ſua hiſtoria Magalonenſi Cardinalem Ioannem enuntiat primò, tum Epiſcopum, qui Synodum per Vicarium collegit, ipſe vero Statuta edidit, quibus ſingulis ſuæ Eccleſiæ dignitatibus & Canonicis leges viuendi optimas præfixit. Extinctus demum eſt 28. Auguſti die, anno 1338. iacet Magalonæ.

De hoc tractant Sammarthani in Gallia Chriſt. Arnaldus de Verdala in Catalogo Epiſcoporum Magalonenſium, Auctarij Ciaconij, præter Gariellum ſuperius enuntiatum.

Ioannes Vrſinus nobilis Romanus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, qui in Summo Eccleſiæ Principatu dictus eſt Nicolaus III. ſcripſit de electione ad dignitates librum, & Epiſtolas plures, quarum Regiſtra duobus voluminibus aſſeruantur M. SS. in Vaticano; inſuper pro Canonicis Baſilicæ Vaticanæ Conſtitutiones, & literas illuſtri Regi Succiæ, & Iacobo

electo,

electo Vpſalenſi ſcriptas publici iuris fecit Io: Vaſtonus in Viti Aquilonia.

Subita apoplexia proſtratus exceſſit è vita in Oppido Suriani prope Viterbium die 23. Auguſti anno ſalutis 1280. cum præfuiſſet rebus ſacris annos duos, menſes octo, dieſque vndetriginta.

Meminere Ioannis præter Ciaconium, & alios de Romanis Pontificibus Scriptores, Fr. Lucas Vadingus in Annal. Minorum, Odericus, & Bzouius in Eccleſ. Ægidius Viterbienſis in hiſt. 20. Secul. Genebrardus, Bernardus in Chronico, S. Antoninus & alij.

Iſidorus Theſſalonicenſis natione Græcus primò Monachus S. Baſilij, & Abbas S. Demetrij Conſtantinopolitani, deindè Archiepiſcopus Ruthenorum, & S. R. E. Presbyter Cardinalis ab Eugenio IV. in Concilio Florentino cui aderat, euulgatus, ſcripſit latinè

De capta Conſtantinopoli & Nigroponte opus.

Diſputationes actis Concilij Florentini inſperſas.

Græcè verò Orationes quatuor, in Natiuitatem Virginis unã, alteram in Præſentationem, tertiam in Annuntiationem, & quartam in Aſſumptionem, quas in latinam vertit linguam Io: Matthæus Caryophilus, patria Cretenſis, Archiepiſcopus Iconienſis.

Romæ Iſidorus ſub Pio II. die 8. Martij anno 1464. ſeu ex alijs die 27. Aprilis anni 1463. vitam relinquens ſepulchrum habuit in Vaticano.

Celebrant tantum virum Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Acta Concilij Florentini, Rupipozæus in Nomenclatore, Marraccius in Bibliotheca Mariana, & alij multi.

Iulianus Cæſarinus Romanus, generis nobilitate, ac iuriſprudentiæ ſcientia, quam in Academia Patauina publicè profeſſus eſt, Orbi notiſſimus, à Martino III. alijs V. Diaconus Cardinalis euulgatus, Diaconiæ S. Angeli in foro piſcium, & Presbyter Titulo S. Sabinæ, Epiſcopus verò Sabinenſi Eccleſiæ præfuit, eiuſdemque Pontificis iuſſu legatione in Boemia ad hæreſim eradicandam dum fungeretur anno ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto, Chriſti 1444. ſeu 1445. a Turcis occiſus, Poſteris reliquit

De poteſtate Concilij Baſileenſis opus

Orationem ad Boemos pro Religione Catholica habitam

Apologias pro Sede Apoſtolica.

Epiſtolas

Epiſtolas plures, quarum aliquas typis excuſas vidi
De proceſſione Sancti Spiritus contra Græcos
Diſceptationes in Concilio Ferrarienſi, & Florentino, cum Marco Epheſino Epiſcopo habitas.

De Iuliano noſtro tractant Rupipozæus in Nomenclatore, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Iulianus de Ruerre ligur, patria Sauonenſis, Sixti IV. ex fratre nepos, Epiſcopus Oſtienſis, ac Maior Pœnitentiarius primò, deindè omnium ſuffragijs ſummus Pontifex electus, Iulij II. nomine aſſumpto, Petri nauim per menſes tres, dieſque viginti & vnum ſupra nouennium rexit, Auctor fuit literarum Apoſtolicarum; & Conſtitutionum Eccleſiaſticarum quas ex officio ſcripſit. Sunt eiuſdem literæ familiares ad Decium clariſſimum Iuriſconſultum euulgatæ cum vita ipſius Decij

Deceſſit Romæ die 21. Februarij anno ſalutis 1513.

De hoc tractant Vbertus Folietta in Elogijs; Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Rodulphus de geſtis Iulij, Bizarus in hiſt. Genuenſi, Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia, Franciſcus Maria Torrigius de Baſilica Vaticana, Ciaconius cum reliquis.

Iulius Ruſtico Patre natus in Vrbe ex Diacono Cardinali Petri Cathedram aſcendens in illa annis XV. Menſibus v. diebus 17. rectiſſimè ſedens duas ſcripſit Epiſtolas, quæ inter Decretales inueniũtur, illa verò ad Dionyſiũ Corinthi Epiſcopum de Incarnatione Domini non eſt noſtri Iulij Papæ, ſed Arianorum, vel Apollinaris hæretici, vt validis rationibus probat Leontius Byzantius in ſuis Commentarijs.

Tandem multis præclarè geſtis quieuit in pace pridie Idus Aprilis anno Chriſti 352.

De Iulio agunt Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Beda, Vſuardus, Ado, Anaſtaſius, Platina, Panuinius; Ciaconius cum Auctarijs & alij multi.

Iulius S. R. E. Cardinalis opus Græcum congeſſit contra Græcos de octaua Synodo, & Eugenio IV. Papa; extabat olim M.S. Conſtantinopoli apud Manuelem Eugenicum, vt refert Ludouicus Iacobus à S. Carolo lib. 2. Bibliothecæ Pontificiæ;

Iulius Antonius Sanctorius Caſertanus ex S. Seuerinæ Archiepiſcopo Presbyter Cardinalis S Barbaræ à Pio V. Pontifice Maximo renuntiatus claruit doctrina, ac pietate ſeculo decimo ſexto ab Orbe redempto, quo ſcripſit

De moribus Hæreticorum opus

De cala-

De calamitate ſuorum temporum volumen
De poteſtate Romanorũ Pontificum ſuper Franciæ Regnum.
De Monarchia Siciliæ
Ad Neſtorianos,& Græcos de illorum erroribus
De vſuris Iudæorum interdicendis
Apologias duas pro ſe contra detractores
Apologiam ad Philippum II. Regem Hiſpanorum pro Ordine S. Baſilij.
De Græcorum ritibus tractatum
Rituale Romanum purpuratum
Diariorum volumina plura
Sanctorum plurimorum acta collegit ex Baronio in Notis ad Martirologium Romanum.
Et præcipuè collegit in vnum Vitas Sanctorum totius Prouinciæ Campaniæ
Hiſtorias Feſtiuitatum B. Mariæ, quibus originem illarum explicat, & progreſſus
Ad Regni Neapolitani hiſtorias manus adiecit, at illas non perfecit.
Exceſſit è vita Romæ die 7. Iunij, anno à partu Virginis 1602. ætatis 70. Oſſa iacẽt in Baſilicæ Lateranenſis Sacello à ſe extructo ſub hoc Elogio

Deo Saluatori
IVLIO ANTONIO SANCTORIO
Caſertano
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali
Sanctæ Seuerinæ nuncupato,
Epiſcopo Præneſtino,
Summo Inquiſit.
Et
Maiori Pœnitentiario
Morum caſtimonia, chriſtiana liberalitate,
Diſciplinarum eruditione,

Et elo

Et eloquentia clariſſimo,
Iuris Sedis Apoſtol. propugnatori acerrimo,
Plurium Religionum,
Et exterarum Nationum
Protectori peruigili,
Pari animi magnitudine
Inter proſpera, & aduerſa
A Pio V. Sanctiſſimo Pontifice
In ſacrum Cardd. Collegium
Cooptato
In magna exiſtimatione habito,
Et
Ab omnibus etiam ſubſequentibus
Pontificibus
Propter eius fidem, religionem, pietatem
Paulus Æmilius
Archiepiſcopus Vrbinas,
Et
Iulius Antonius Archiepiſcopus
Coſentinus
Germani Fratres Patruo meritiſſimo
Monumentum excitandum,
Et
Sacellum perficiendum curarunt.
Vixit annos LXX.
In Cardinalatu verò xxxij.
Obijt 7. Idus Iunij Anno
MDCII.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Panuinium, Auberyum, Ciaconium, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, & alios.

Iulius Cananius Ferrarienſis ex Adrienſi Epiſcopo inter Preſbyteros Cardinales cum Titulo S. Euſebij, quem progreſſu temporis cum alio S. Anaſtaſiæ commutauit, à Gregorio XIII. Pontifice Max. cooptatus, publici iuris fecit Conſtitutiones Adrienſes quas Epiſcopus in Clericorum vtilitatem ſcripſerat. Supremum diem obijt Ferrariæ 5. Kal. Decembris anno nonageſimo ſecundo ſeculi, noſtræ ſalutis decimi ſextij iacet ibidem in Eccleſia S. Dominico ſacra cum ſequenti memoria Ducis Ferrarienſis iuſſu & ſumptu Sepulchro ſuperimpoſita.

D. O. M.

IVLIO CANANO
Nobili Ferrarien.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Card.
Ex
Cananorum Byzantij ſtirpe
Palæologis Imperatoribus
Vna propagata,
Qui
Iulio III. Pont. Max.
Iuuenis admodum
A Secretis adeò acceptus inſeruiuit,
Vt in eum Pontificiam auctoritatem,
Supplicationes quaſcumque, Scripturaſuè
Signandi fidenter,
Qui
Adriæ & Mutinæ Epiſcopatus
Veneficia coibendo,

Hæreſes extirpando,
Ac
Templa reſtituendo,
Vigilanter rexit.
Qui
Sacroſanctæ Tridentinæ Synodo,
Interfuit,
Qui à Gregorio XIII.
Poſtrema illa promotione
Inter Cardinales cooptatus fuit.
Qui deindè Sixti V.
Legatus Æmiliam tam æquè,
Iuſtèque eſt moderatus,
Vt nomen eius perpetuò glorioſum ſit
Permanſurum.
Alexander S. Iacobi Eques,
Et Sapientium Iudex
Patri optimo gratæ teſtificationis ergo,
P. I.
Vixit Annos LXVIII.
Obijt 5 Kalend. Decembris
MDXCII.

Meminere Canani Cardinalis Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij quamplures.

Iulius Feltrius Robereus, Franciſci Vrbini Ducis filius Diaconus Cardinalis à Paulo III. creatus, deindè Epiſcopus Albanenſis, ſeu Sabinenſis, ac Prænestinus, Legatus Peruſinus ſcripſit Conſtitutiones quæ à Gregorio XIII. in Prouinciæ illius bonum confirmatæ fuerunt, atque in lucem editæ anno 1572. vti etiam

Decreta

Decreta Synodi Rauennatenſis quam conuocauerat, & literas plures, quarum aliquas excuſas vidi Venetijs anno 1674. Supremum diem vidit 3. Nonas, ſeu Nonis Septembris anno eiuſdem ſeculi ſeptuageſimuo octauo apud Foroſempronienſes. Corpus Vrbinum translatum in Æde S. Claræ ſepelitur cum hoc Epitaphio.

IVLIO MONFILTRIO
E Ruere
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali,
Vmbriæ bis Legatione magna
Cum laude functo, Vrbini,
Rauennæ, aliarumque Eccleſiarum
Antiſtiti,
Lauretanæ domus,
Ac
S. Franciſci Ordinum Patrono
Iuſtitia, pietate, beneuolentia Principi
Celeberrimo.
Mortalitatem expleuit
Non. Septembris
Anno Domini MDLXXVIII.
Ætatis vero XLIV.

Celebrant Iulium hunc Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra; Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Auctarij Ciaconij, Michael Iuſtinianus in Syllabo Scriptorum ligurum & alij multi.

Iulius Gabrielius Romanus, Horatij Cardinalis Lancellotti ex Sorore nepos, ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ ab Vrbano VIII. ad purpuram aſſumptus præfuit Diaconus Eccleſijs S. Agathæ in Suburra; Presbyter S. Priſcæ, S. Praxedi, & S. Laurentio in Lucina, Epiſcopus verò Sabinenſi, Aſculanæ & Reatinæ, quibus

 duabus

duabus poſtremis nuncium remiſit; Viuit legatus in Æmilia hoc preſenti anno 1675.

Huiuſce Cardinalis Synodum Aſculanam, euulgatam anno ſalutis 1649. præ manibus habui, vti etiam Orationem de S. Spiritus aduentu, quam dixit in Sacello Pontificio coram Gregorio XV. Pontifice Maximo. de hoc plura Auctarij Ciaconij.

Iulius Mazarinus Romanus, è liguria oriundus, Mineruæ primò, poſtmodum Martis, demum Eccleſiaſticæ vitæ ſectator, magnanimitate, munificentia, in aduerſis firmitate animi, rerum geſtarum gloria, ac felicitate ſi qua in terris, planè admirabilis, ita vt Italiæ decus, Romanæ purpuræ ſplendor, Galliarum honos, Europæ totius ornamentum, & meritò, & iurè ſit appellatus. Adhuc puber Pater publicæ pacis nominatus ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo ad publicas curas vocatus, in omnibus prompto ingenio clarus omnibus ſemper vixit. In Gallia Armandi Cardinalis Richeliu amorem ab æſtimatione adeptus, dignior meruit iudicari ſucceſſor, Ludouici XIII. Regis propenſione, & electione gallici imperij deſignatus moderator, regnaturum Infantem è ſacris vndis ſuſcepit, regiæque Soboli regiæ Tutricis imperio Conſiliarius. Gallia è directore numquam maior, aut felicior. Tandem firmata pace, & regio coniugio primarijs Europæ Principibus affinitate coniunctus, cum Deo inſeruiſſet. & Regi viuendi finem fecit die 9. Martij anno ſalutis 1661. ætatis 58. Menſibus ſeptem, diebus 22. Extant tanti viri volumina plura literarum negotiatium, quarum aliquas publici iuris fecit Michael Abbas Iuſtinianus.

Meminere Iulij Cardinalis Mazarini Auctarij Ciaconij, & Auctor Vitæ italicè deſcriptæ,

Iulius Medices Florentinus Iuliani filius, Leonis X. frater patruelis, Miles Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, Archiepiſcopus Florentinus, Diaconis primò, mox Presbyteris Cardinalibus adſcriptus S. R. E. Vicecancellariatum obtinuit, & poſt Adriani VI. obitum Petri Cathedram aſcendens, dictus Clemens VII. ſedit annos X. totidem menſes, ac dies 7. ſeu 8. Mortuus Romæ 7. Kal. Octobris anno Chriſti 1534. ſepulchrum habuit primò in Vaticano, deindè apud S. Mariam ſuper Mineruam. In Vaticano ſub hac Epigraphe iacuit.

C L E M E N T I S V I I.
Pont. Max.

Cuius

Cuius inuicta virtus ſola clementia.
Superata eſt.
Obijt anno MDXXXIV.
7. Kal. Octobris
Sedit annos X. Menſes x.
Dies 8.

Scripſit Epiſtolas varias, quarum vndecim inuenies inter Principum literas euulgatas; plures aſſeruabantur M. SS. in Bibliotheca Bodleiana; plures typis editas Venetijs anno 1574. cum illis Virorum illuſtrium eiuſdem ſeculi; vnam ſupra quadraginta pro ſolis Fratribus Minoribus reſcriptas inuenies apud Fr. Lucam Vadingum. Quadraginta eiuſdem Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & variæ Bullæ leguntur apud Rodericum, Cherubinum, & Confectium. Eiuſdem Apologia aduerſus Carolum V. Cæſarem extat Romæ in Bibliotheca Barberina. Sunt typis excuſæ eiuſdem literæ, quibus culpam omnem belli, Vrbiſque direptionis à ſe in alios vertit.

Celebrant Clementem præter Auctarios Ciaconij, alioſque qui de Romanus Pontificibus ſcripſerunt, Laurentius Granius in Oratione funebri, Ioannes Longiacus in Panegyrico, Hippolytus Marraccius in Pontif. Marianis, Iacobus Sannazarius, Henricus Spondanus & alij multi.

Iulius Roma Mediolanenſis Presbyter Cardinalis ſub Paulo V. cum Titulo S. Mariæ ſuper Mineruam, deindè Epiſcopus Tuſculanus, Portuenſis, Oſtienſis, & Sacri Collegij Decanus, edidit Orationem in laudem S. Caroli Boromæi, & Diœceſanã Synodum Lauretanam, celebratam anno voluentis ſeculi vigeſimo ſexto, die 8. Ianuarij.

Extrema clauſit Romæ ex dolore calculi die 16. Septembris anno eiuſdem ſeculi quinquageſimo ſecundo, ætatis 68. eadem die & hora qua natus. Corpus eſt Romæ apud S. Carolum in ſtadio Romano ſub hac inſcriptione

Hic iacet
I V L I V S R O M A
Mediolanenſis

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis,
Epiſcopus Oſtienſis,
Et Tiburtin.
Sacri Collegij Decanus
Vixit Annos L X V I I I.
Eadem qua natus die, ac hora
Obijt 16. Septembris
MDCLII.
Nudam hanc inſcriptionem
Vti teſtamento præſcriptam
In fraternæ modeſtiæ,
Ac
Propriæ obedientiæ monumentum
Gregorius Roma
Poſuit.

Plura de hoc Cardinali habent Ludouicus Donius DAttichy in hiſtoria Cardinalium, Auctarij Ciaconij, Michael Iuſtinianus, & Ferdinandus Vghellius de Epiſcopis Tiburtinis, & alij multi.

Iulius Roſpilioſus natione Etruſcus, patria Piſtorienſis Presbyter Cardinalis S. Sixti ab Alexandro VII. renuntiatus, eiuſdem in Pontificatu ſucceſſit ſub nomine Clementis IX. & Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per annos duos, menſes quinque, & dies vndeuiginti. Vir hic ſummo ingenio præditus Poeſim coluit, ac ſcripſit Alexium, Ægiſtum, Bonifacium, & Diſcurſus in Poema Franciſ. Bracciolini, aliaque his ſimilia cecinit. Quæ extant apud ſuos. euulgatam vidi eiuſdem Orationem dictam in Academia Humoriſtarum. Supremus illi fuit dies 9. Decembris anni vndeſeptuageſimi noſtri ſeculi. Oſſa iacent in Templo Liberiano ſub hac Epigraphe à Clemento X. in Sepulcro excitato, deſcripta.

CLEMEN-

CLEMENTIS IX.
Æternæ memoriæ Pontificis
Magni cineres
Ne abſque vllo ſepulchrali honore
Sicut ipſe iuſſerat
humi laterent
CLEMENS X.
Pont. Max.
Benefactori ſuo,
Et
Ob ſpectatum fidei zelum,
Ob
Egregiam erga omnes beneficientiam,
Et caritatem
De re chriſtiana optimè merito
Grati animi monumentum Poſuit
Anno Dom.
MDCLXXI.

Plura de hoc habent Auctarij Ciaconij, Patres Soc. Ieſu in Opuſculo prænotato Sacræ, & Profanæ Romæ obſequia Clementi repræſentata, in Collegio Romano, Auguſtinus Fauoritus in Oratione funebri, alijque quamplures.

Iulius Sacchettus Florentinus ex Nuncio Hiſpanico Presbyteris Cardinalibus Vrbani VIII. beneficientia adſcriptus dignitatem ſuſtinuit tanto omnium plauſu, vt poſt Vrbani, Innocentijque obitum iteratis Comitijs, quibus interfuit futurus acclamatus Pontifex inter meliores optimus, ſemel atque iterum diiudicatus fuerit.

Vidimus typis editam Epiſtolam, vernaculo exaratam ſermone, Alexandro VII. Pontifici Maximo inſcriptam ſub nomine Iulij Cardinalis Sacchetti, qua explicantur humiles preces, & repetitæ

petitæ inſtantiæ viua voce, & inter priuatos parietes ab ipſo Cardinale Pontifici factæ, vt ad Cardinalitiam dignitatem promoueret nobilem Anglum de re chriſtiana optimè meritum. Habuimus aliquandò præ manibus eiuſdem relationes ſuarum legationum, hiſpanicæ videlicet, Ferrarienſis, & Bononienſis, & Apotheoſis B. Thomæ à Villanoua. Animam Creatori ſuo reddidit 4. Kal. Iulias anno reparatæ ſalutis 1663. ætatis LXXVI. Sepultus in Eccl. S. Ioañis Bapt. nationis florentinæ apud Maiores

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ioannes Toincus & alij.

Iulius Spinola Genuenſis virtute, genere, gloria, rebus geſtis ampliſſimus, etenim clericali indutus veſte Referendarijs Signaturæ in Romana Curia adſcriptus, Peruſij, aliarumque Vrbium ditionis Eccleſiaſticæ Prætor, Nuncius Apoſtolicus tum apud Proregem Neapolitanum, tum apud Cæſarem, Archiepiſcopus Laodiceæ, ac S. R. E Cardinalis ab Alexandro VII. Pontifice Maximo renuntiatus; & à Clemente X. Legatus ad Polonos deſtinatus, Epiſcopus Sutrinus & Nepeſinus euulgatus habet apud ſe M. SS. volumina plura literarum tum familiarium, tum negotialium, quarum aliquas publici iuris fecit Michael Iuſtinianus in ſuis memoralibus Epiſtolis & in hiſt. Contagij Auellini. Edidit etiam Acta Synodus Sutrinç, & Nepeſinç.

Vide plura apud Auctarios Ciaconij.

Iuuenchus natione Hiſpanus, familia inſigni, maximèque illuſtri natus, poeſi floruit Imperatoribus Conſtantio, & Conſtante, ac ſcripſit quatuor Euangelia hexametris verſibus; qua in re maiori diligentia vſus eſt in ſeruanda rerum hiſtoria, quam in demonſtranda ingenij ſui elegantia. Edidit etiam Hymnos aliquot, quibus facile ſe indicauit optimè meritum de Religione noſtra Chriſtiana. Neque dubium eſt fuiſſe illum relatum inter Sacerdotes, vt veteres Auctores teſtantur, quorum nullus, vno excepto Iacobo Corello, Auctore proletario inter Presbyteros Cardinalis illum numerat. Solus Corellus illum renuntiatum fuiſſe Presbyterum Cardinalem S. Vitalis à Sancto Silueſtro Papa, cuius ætate uixit, affirmat. Extant hi libri quatuor Iuuenci in Tomo 8. Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis ſecundæ; in Choro Poetarum & ſeorſim pluries varijs in locis euulgati.

De Iuuencho tractant S. Hieronymus tum in libro de Script. Eccl. tum in Epiſtola ad Magnum, ac in Commentario ad cap. 7. Matthæi. Bellarminus, Andreas Peregrinus in Bibl. Hiſpanica Petrus Crinitus in Vita, Petrus Courcerius Soc. Ieſu in Negotio ſeculorum ad annum Chriſti 328.

L

MAg. Laborans Diaconus primò Cardinalis S. Mariæ in Porticu, Mox Presbyter S. Mariæ Tranſtyberim ab Alexandro III. Pontifice Maximo renunciatus ſcripſit Opus quadripartitum de Iuſti, Iuſtitiæque rationibus ad Maiorē Maynũ Siciliæ Admiratũ.

De vera libertate Opus tripartitum, & Epiſtolam ad Epiſcopum Panormitanum.

Epiſtolam de appellationibus

Epiſtolam contra Sabellianos

Canonum collectionem

Decretorum compillationem ad Petrum Præſulem Pampilonenſem

E vita exceſſit ſub Clemente III. Pontifice Maximo, ſeu ex alijs anno 1189.

De hoc plura apud Ciaconium, Panuinium, Ioſephum Mariam Suareſium in Diſſertatione huius Cardinalis, Baronium in Annal. & alios.

Lambertus Cribellus Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis, & Archiepiſcopus Patriæ, deindè Romanus Pontifex. ſub nomine Vrbani III. rexit Eccleſiam menſes decem, dieſque 25. ſupra annum vnum, pluresque literas ad diuerſos miſit, ac ſcripſit piam metaphraſim in Pſalmum 50. Miſerere mei Deus.

Ferrariæ quò Verona diſcedens ſe receperat Romam profecturus 14. Kal. Nouembris anno ſalutis 1185. è viuis abijt, ibidem tumulo traditus ſub hoc Epitaphio.

Hic iacet
Sacræ memoriæ
VRBANVS PAPA III.
Natione Mediolanenſis,
Genere Cribellorum
Sepultus MCLXXXV.
Menſe Aug. 11. Indict. 3.

Temporibus Fr. Vindonis Ferrarienſis Epiſc. Ioannis Archipresb. Et Bonagratiæ Præpoſiti;

De hoc tractant Baronius in Annal. Gottifridus Viterbienſis in Hiſtoria, Neubrigenſis, Rogerius, Bernardinus Coirus in hiſt. Mediolanenſi, Ciaconius cum Auctarijs, & alij cum Philippo Picinello in Atheneo Mediolanenſis

Lambertus Fagnanus natione Italus, patria Bononienſis, Epiſcopus Oſtienſis à Paſchali II. electus; qui Petri Cathedram aſcendens dictus eſt Honorius II. ſcripſit leges aliquot Eccleſiaſticas in Concilio Troiano euulgatas

Reſcriptum pro Concilio Nannetenſi

De pace Epiſtolas duas ad Romanos

Literarum plures ad diuerſos, quarum quinque referunt Baronius Tomo 12. Annalium, & Binius Tomo 7. Conciliorum

Cum autem præfuiſſet Eccleſiæ annis quinque, menſe vno, diebus decem & ſeptem, 14. kal. Martij anno reparatæ ſalutis 1130. è vita exceſſit in Vrbe, & ſepultus in Laterano.

Meminere Honorij S. Antoninus, Io: Stella, Carolus Sigonius, Ferdinandus Vghellius de Epiſcopis Bononienſibus, Pandulphus, Baronius in Annal. Eccl. Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Platina, & alij plures.

Lanfraucus Margotius Parmenſis in conſcribendis Epiſtolis clarus, & gratus Clementi VIII. ac Paulo V. Romanis Pontificibus, à quorum poſtremo inter Presbyteros Cardinales cum Titulo Calliſti cooptatus, edidit inſigne volumen italica lingua Epiſtolarum.

Deceſſit Romæ pridie kal. Decembris anno à Natiuitate Chriſti 1611. ætatis 53. ſepultus apud S. Petrum ad vincula, quem titulum poſt primum Caliſti obtinuerat, ſub ſequenti Elogio.

LANFRANCO MARGOTIO
Parmenſi
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Presb.

Presb. Card.
Titulo S. Petri ad Vincula
Duor. Pontiff. Maxx.
Clementis VIII. & Pauli V.
Negotijs cum Orbis Principibus
Summa prudentia,
Stiloque aptiſſimo, candidiſſimoque
Pertractatis; in eoque
Vnus omnem ætate ſua laudem
Prometitus
A Paulo V. in Sac. Cardd. Coll.
Cooptatus
Prius vitæ, quam gloriæ curſum
Viſus eſt obijſſe.
Octauius Margotius Fr.
M. P.
Vixit Annos LII. Men. ij.
Obijt Anno M D C X I.
Prid. Kal. Decemb.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, & alij plures.

Latinus Frangipanis, ſeu Malabranca Romanus Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis ſub auunculo Nicolao III. Romano Pontifice, cuius erat ex Sorore nepos, vir ſummo ingenio, & ad rerum vſum maximè accommodato, nobilitate quidem ſanguinis, ac familiæ ſplendore clarus, ſed clarior virtutibus atque doctrina Poſteris tranſmiſit Proſas de B. Virgine, quarum duas verè pias ex antiquo codice pergameno M. S. anno ſalutis 1651. in fine Marialis Iſidori Theſſalonicenſis, & anno 1654. in Purpura Mariana Hippolytus Marraccius Clericus Regularis Congregationis Matris Dei patria Lucenſis, in lucem emiſit. Auctor fuit Proſæ, ex aliquibus quæ recitatur in Miſſis

Defunctorum, cuius initium eſt, *Dies illa, dies iræ*, & Orationis quam ad Cardinales in Comitijs habuit, quaque omnium animos ad concordiam adduxit.

Obijt Peruſij anno à Chriſto nato 1294. 4. Idus Auguſti ſub Cœleſtino V. Corpus Romam tranſlatum, ſepulturæ traditum apud S. Mariam ſuper Mineruam ſub hac Epigraphe communi ſibi & Matthæo Vrſino.

Ven. Mem.
FF. LATINI, ET MATTHÆI VRSINORVM
Ordinis Prædicatorum
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalium.

Eſt Latini mentio apud Ciaconium, & Auctarios, Panuinium, Auberyum, Felicem Contelorium, & alios.

Laudiuius Zacchia Ligur è Vectiano, Gaſparis ac Veronicæ Nobilis filius, Pauli Æmilij Cardinalis germanus frater, mortua vxore Romam ſe conferens Commiſſarij munere primùm, mox Aduocati Conſiſtorialis, ac Protheſaurarij generalis ſub Clemente VIII. functus eſt. Poſt Clementis, ac Pauli Æmilij fratris obitum Epiſcopus Montis faliſci & Corneti euulgatus, Prouinciæ Patrimonij Vicelegatus præfuit. Sub Gregorio XV. apud Venetam Rempublicam Nuncij Apoſtolici partes peregit. Ab Vrbano VIII. Pontificiæ domus Præfectus & Presbyter Cardinalis S. Sixti renuntiatur, quem Titulum cum illo Eudoxiæ commutauit. Morte ereptus Romæ die 7. Menſis Auguſti anno noſtri ſeculi ſeptimo ſupra trigeſimum. Habeo apud me huiuſce Cardinalis relationem M. S. de ſua legatione Veneta, & volumen literarum negotialium.

Laudant Laudiuium Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium & alij multi.

L. Cardinalis de Monticello, ab alijs Laurentius dictus italico carmine & octonis Rythmis tranſtulit Lucani Farſaliam, quod Opus cum Latino euulgatum eſt Mediolani anno ſalutis 1492. cum hoc Titulo liber Lucani Cordubenſis Poetæ clariſſimi editus in uulgari, ſermone metrico tamen per R. Patrem & Dominum

num L. Cardinalem de Monticello digniſſimum; qui liber habetur in Bibliotheca Aproſiana S. Auguſtini Abintimilij. Nulla L. Cardinalis de Montichiello, ſeu de Monticello memoria apud Auctores Hiſtoriam Cardinalium pertractantes, neque in Monumentis Vaticanis.

Laurentius Blanchettus Bononienſis ex Rotæ Romanæ Auditore à Clemente VIII. cuius ſocius fuerat, & miniſter in Legatione Polonica ad Sigiſmundum Poloniæ Regem, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in pane, & perna euulgatus, obijt Romæ ſub Paulo V. die 12. Martij anno ætatis 67. ſalutis 1612. cuius corpus in Eccleſia Soc. Ieſu quam Patres Profeſſi incolunt tumulum habuit ſub Epigraphe.

D. O. M.

LAVRENTIO

Tituli S. Laurentij

In pane, & perna,

S. R. E.

Cardinali Blanchetto,

Patritio Bononien.

Doctrina, meritis, virtute inſigni;

Obijt anno ætatis LXVII.

Salutis MDCXII.

Marcus Antonius Blanchettus

Eques Calatrauæ,

Et Senator Bononienſis

Cæſar Marci Antonij filius

Fratri, Patruoque

Opt. Poſſ.

Huius Deciſiones impreſſæ in parte 1. Deciſ. diuer. aliæ M. SS. apud hæredes aſſeruantur.

De quo

De quo Ciaconius cum Auctarijs, Petramellarius, Silos in hiſt. Cleric. Regul. Vizanus in hiſt. Bononienſi, Guido Card. Bentiuolus in Memorijs hiſt. Io:Nicolaus Paſchalis Alidoſius de Vrbe Bonon. Cantalm. in ſyntaxi Aud. Rotæ, Antonius Bumaldus in Biblioth. Bononienſi.

Laurentius Campeggius Bononienſis annos natus nouendecim Patauij, & Bononiæ ius Cæſareum incredibili Auditorum admiratione, vna cum Ioanne parente, cuius opera in pretio ſunt, publicè profeſſus, filium ex legitimo matrimonio natum, Alexandrum nominatum, habuit, qui à Iulio III. Cardinalium Senatui adſcriptus eſt. Præmortua vxore Laurentius Epiſcopus Feltrenſis, tum Iudex Rotæ Romanæ, Nuncius Apoſtolicus apud Cæſarem, & Presbyter Cardinalis S. Thomæ in Parione renuntiatus, Legati Apoſtolici munere Leonis X. iuſſu in Anglia, ſub Clemente VII. tum in Germania, tum Vicentiæ functus eſt, Eccleſiamque Bononienſem ſanctiſſimè rexit, ac Præneſtinam. Romæ diem ſupremum obijt 8. ſeu 14. Kal. Auguſti anno ſalutis 1539. & ſepultus in Æde S. Mariæ Tranſtyberim, tale obtinuit Epitaphium, cum filio

LAVRENTII
Tit. S. Mariæ Tranſtyberim Patris,
Et
Alexandri S. Luciæ
In Silice filij ex legitimo
Matrimonio ante Sacerdotium ſuſcepti
Ex
Nobili Campegiorum Bononienſium
Familia,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalium
Oſſa ex eminenti loco
Anno ſalutis MDLXXXI.
Huc tranſlata in vnum requieſcunt.

Scripſit

Scripſit Laurentius aduerſus ſui Temporis Hæreticos quædam, vt Auctor eſt Sanderus

Reformationem item Cleri Germanici Tomo Conciliorum quinto inſertam, & Conſtitutiones pro illa.

Deciſiones Rotæ plures

Epiſtolas ad diuerſos, quarum viginti publici iuris ſunt cum Orationibus dictis in Synodo Tridentina, & in Conuentibus Germanicis in Eccleſiæ Catholicæ commodum.

Celebrant tantum virum Carolus Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Stortia Cardinalis Pallauicinus in hiſtoria Concilij Tridentini, Auberyus, Ciaconius, Antonius Bumaldus in Bibliot. Bonon. & alij apud eoſdem.

Laurentius Magalottus Franciſci & Antonij Cardinalium Barberinorum ex Sorore Auunculus ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo Diaconis Cardinalibus, tum Presbyteris ſub Titulo Pammachij adſcriptus, ab eodem Eccleſiam Ferrarienſem regendam ſuſcepit, quam adminiſtrauit ſanctè, pièque Synodum habuit, pluraque decreta in Eccleſiaſticorum præcipuè bonum edidit. Poſt nouennium in eiuſdem Eccleſiæ regimine animam emiſit die 18. Septembris anno voluentis ſeculi trigeſimo ſeptimo; iacet in Cathedrali ſine vlla memoria.

De hoc plura Auctarij Ciaconij, & Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra.

Laurentius Priulus Patritius Venetus ex Patriarcha Venetiarum Presbyter Cardinalis S. Mariæ Tranſtyberim à Clemente VIII. renuntiatus edidit Conſtitutiones ſaluberrimas pro Clericis in Synodis Venetijs habitis. Cum autem ſedem ſibi comiſſam annis pluribus adminiſtraſſet è viuis abijt die 2. Ianuarij, Anni Iobelei 1600. in Patriarchali Sede ſepultus ſub hoc Titulo.

L A V R E N T I I
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. Priuli
Patriarchæ Veneti pium monumentum
Anno ſui Patriarchatus ſexto
Marino Grimano
Duce Venetiarum.

Tractant

Tractant de hoc Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auctarij Ciaconij, & alij plures.

Laurentius Puccius Florentinus ſub Leone X. Presbyterorum Cardinalium Collegio ſub Titulo SS. IV. Coronatorum adſcriptus, & Maior Pœnitentiarius electus, rexit Epiſcopus Venetenſem in Gallia, Amalphitanam, Caputaquenſem, & Melphitenſem in Regno Neapolitano, Piſtorienſem in Etruria, Montiſflaſconis ad lacum Vulſinenſem, Albanenſem, & Præneſtinam Eccleſias, cuius præſtantem ingenij dexteritatem Iulius II. Pont. Max conſpicatus, non modo ad ſui lateris aſſiſtentiā ſub Datarij nomine aſciuerat, ſed etiam ab eodem ad Florentinam Rempublicam Legatus, in eo Senatu luculentam habuit Orationem, vt Ciues illos Pontifici Maximo ſociaret contra Gallos. Interfuit Synodo Lateranenſi; Scripſit Opus de Gratijs, & Expectatiuis.

Romæ ſupremum diem obijt anno ſalutis 1531. ætatis 73. die 16. vel 19. aut 26. Septembris. Iacet apud S. Mariam ſuper Mineruam ad pedes Leonis X. ſub hoc Titulo.

LAVRENTIO PVCCIO
Epiſcopo Præneſtino
Cardinali SS. IV.
Maiori Pœnitentiario
Singularis probitatis, & amabilitatis,
Et
In Apoſtolicis negotijs experto
Qui
Vixit Annos LXXIII.
Menſem vnum, dies 9.
Iuxta Leonis PP. X.
Vt mandauerat ſepulchrum.
Robertus Puccius
Cardinalis Sanctorum Quatuor
Maior Pœnitentiarius

Fatri

Fratri optimo, ac benemerenti
Fac. cur.
Mortem obijt Anno
MDXXXI.

De hoc agunt Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ioſeph Maria Soareſius de Epiſc. Prænestinis, Stephanus Ioannenſis in Medicea Monarchia, Sadoletus, & Bembus Cardinales in literis, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, præter Auberyum, Panuinium, Ciaconium, & alios.

Laurentius Raggius Octauiani ex fratre Nepos S. R. E. Cardinalis ab Innocentio X. ex Apoſtolici Ærarij Præfecto euulgatus, Philoſophiæ ſtadio feliciſſimè in Vrbe perfecto, eiuſdem poſitiones publicè propugnauit, qua occaſione Seculum Barberinum carmine cecinit. Huiuſce Cardinalis vitam degentis hoc anno 1675. præter Auctarios Ciaconij, ac Scriptorum ligurum Collectores, meminit Galeatius Gualdus in ſuo Theatro.

Leo Quinctiani filius natione Tuſcus ex S. R. E. Archidiacono renuntiatus Pontifex Maximus, magni agnomen ſortitus, ſcripſit

Tractatum aduerſus errores Eutychetis, aliorumque hereticorum.
Enchiridion, ſeu Enarrationem in Chriſti Paſſionem
Iſagogen, ſiue Introductionem in eamdem.
Aduerſus Eutychetem libros duos
De Symbolo Niceno librum vnum
Alium ad Leonem Imperatorem
Ad inquiſitiones Ianuarij librum vnum.
Alterum prænotatum Confeſſio Leonis.
De Incarnatione Verbi Commentarium aduerſus Pelagianos
De Pelagianis conuerſis quomodo recipi debeant
Sententias ex Concilio ſecundo Arauſicano.
De conflictu Virtutum, & Vitiorum opus.
Homilias eloquentiſſimas 97. de præcipuis Domini, & Sanctorum ſolemnitatibus.
Epiſtolas de Tranſlatione S. Apoſtoli
Epiſtolas decretales, & familiares decem ſupra centum.
De partu Virginis Sermones 10.

Homiliam ſuper Miſſus eſt

Et Sermones de Natiuitate Virginis.

Cum autem ſediſſet in Petri Cathedra annos XX. Menſes xj. obijt Romæ die 11. Aprilis noſtræ ſalutis anno CCCCLXI. & ſepultus in Vaticano ſub his Carminibus

Huius Apoſtolici, primùm eſt hic corpus humatum
Quod foret, & tumulo dignatus in arce Petri:
Hunc Vatum, Procerumque cohors, quos cernis adeſſe
Membra ſub egregia ſunt adaperta domo.
Sed dudum, vt Paſtor Magnus Leo, ſepta, gregemq;
Chriſticolam ſeruans ianitor arcis erat.
Commouet è tumulo quod geſſerat ipſe ſuperſtes.
Inſidians ne Lupus vaſtet ouile Dei.
Teſtantur miſſi pro recto dogmate libri,
Quis pia corda volunt, quos praua turba timet.
Ruggijt, & pauida ſtupuerunt corda ferarum,
Paſtoriſque ſui iuſſa ſequuntur oues.
Hic tamen extremo iacuit ſub marmore templi
Quem iam Pontificatum plura ſepulchra celant.
Sergius Antiſtes diuino impulſus amore
Hunc in fronte ſacræ tranſtulit indè domus
Exornans rutilo pretioſo marmore tubam
In qua paſcentes mira ſuperna vident.
Et quia præmicuit miris virtutibus olim
Vltima Pontificis gloria maior erit.

De Leone tractant Martyrologium Romanum, Beda, Baronius in notis & in Annal. Anaſtaſius Bibliothecarius, Genebrardus, Bellarminus, Binius, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, & alij multi.

Leo ex Cedella territorio Vallis Siciliæ in Prouincia vlterioris Aprutij Patre Paulo Meneio Medico S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Pontifex Maximus, vir doctiſſimus, latinis, ac Græcis literis eruditus, adeòque muſices peritus vt Pſalmodiam compoſuerit, hymnoſque ad meliorem concentum redegerit; Epiſtolas multas ſcripſit, quarum ſolum quinque ad noſtram perueneverunt notitiam, Synodum Oecumenicam Conſtantinopolitanam in latinam vertit linguam, aliaque plura proſa, & metro, latinè, græcèque ex Anaſtaſio Bibliothecario compoſuit; breuis fuit huius ſanctiſſimi Pontificis vita, ſed gloria tanta, vt diutius

vixiſſe

vixiſſe apparet: rexit enim Petri Nauim Menſes tantum x. dieſque vndeuiginti, eius tamen nomen omnium laudibus celebratur in ſacris faſtis 4. Kal. Iulij, eo autem die è viuis abijt anno ſalutis 684.

Celebrant Leonem II. Martyrologium Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis, Baronius in notis, & in Annal. Binius, Anaſtaſius Bibliot. Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Leo patria Romanus Azzuphij filius, Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, tum Pontifex Maximus Eccleſiam rexit ſub nomine Leonis III. annis viginti, Menſibusquinque, diebus duodeuiginti, ſcripſitque Epiſtolas nonnullas de tranſlatione corporis S. Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam, nec non Enchiridion contra omnia Mundi pericula, & Epiſtolas quatuor, quarum tres inueniuntur cum notis Binij in Tomo 5. Conciliorum, & quartam refert Ioannes Iicuræus. literas etiam dedit Formino Iaderenſis Eccleſiæ, & Gregorio Nonenſis Vrbis Epiſcopis, cuius fragmentum recitant Chronici Salonitani Auctor, & Ferdinandus Vghellius in Tomo 5. Italiæ ſacræ. Tandem in Vrbe die 16. ſeu 12. Iunij anno ſalutis 816. è vita exceſſit.

Laudant hunc Leonem Annales Francorum, Theophanes in Coronographia, Conſtantinus Manaſſes, Frodoardus in Chronico, Baronius in Annalibus, Monachus Engoliſmenſis, nec non Sangalenſis, & Poeta Saxonicus in Vita Caroli Magni, Zonaras, Theophanes, Albinus Flaccus, Alemannus de Parietinis Lateranen. Anaſtaſius Bibliot. Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Leo Rodulphi filius natione Italus, patria Romanus, Presbyter Cardinalis SS. IV. Coronatorum, deindè Pontifex Maximus rexit Eccleſiam ſub Leonis IV. nuncupatione Annos octo, menſes ſex, totidemque dies, ſcripſitque homiliam de cura paſtorali, eiuſque officio, ac munere, quam per Epiſcopos omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus intimari voluit. extat Tomo 6. Conciliorum, & Tomo 10. Annalium Baronij, & apud Anſelmum Lucenſem Epiſcopum. Scripſit etiam Epiſtolas plures, quarum duæ ſunt in Tomo 6. Conciliorum. Apud Gratianum leguntur fragmenta aliarum literarum miſſarum ad Ducem Britanniæ, ad Regem Francorum, ad Epiſcopos aliquos, & ad Lotharium Imperatorem. Flodoardus alias indicat, & nos in Vita illas ad Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem Sancti Marcelli innuimus. Dies 6. kal. Auguſti anni 855. fuit Leoni

huic poſtrema. Poſt obitum in Vaticano ſepulchrum habuit.
Res ab hoc viro præclarè geſtas deſcripſere Anaſtaſius Biblioth. Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Petrus in Catal. Auctor Romæ ſubterraneæ, Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.
Leo Marſicanus Monachus Caſſinas S. R.E. Diaconus Cardinalis ſcripſit ſub Vrbani II. nomine Epiſtolas plures.
Meminere huius Ciaconius, & Auctarij.
Leo Marſicanus alius à ſuperiori. Monachus Caſſinas S.R.E. Diaconus Cardinalis ſub Paſchali II. Pontifice Maximo, alijs Epiſcopus Oſtienſis, Chronicon Caſſinenſe intexuit in tres libros digeſtum, cuius exordium à S. Benedicto Patriarcha deſcripſit, & vſque ad Abbatem Deſiderium perduxit.
Scripſit etiam Sermones aliquot de Paſchate, de Natiuitate Domini, & de B. Maria ſemper Virgine
Epiſtolas plures
Hiſtoriam peregrinorum
Vitas SS. Mennatis & Ianuarij Monachorum Caſſinenſium.
Dierum plenus ſupremum obijt anno ſalutis 1115.
De hoc tractant Ciaconius cum Auctarijs.
Leonardus Datus, alijs Statius, patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum Magiſter generalis, ſpectatæ virtutis, multiplicis eruditionis, ac rerum variarum cognitione illuſtris, Presbyterorum Cardinalium Collegio Martini III. alijs V. beneficio adſcriptus, edidit.
Sermones de Paſſione Chriſti, ſub Titulo Sermones de flagellis
De B. Maria ſemper Virgine
De Tempore, & de Sanctis
Et feſtiuos, quorum aliqui habentur inter acta Concilij Conſtantienſis.
Explicauit inſuper Meteoram Ariſtotelis verſibus elegantiſſimis
Et opus elaborauit Concionatoribus, ac Theologis admodum gratum, prænotatum Petitiones, quod extat M. S. in Cœnobio Florentino.
E vita exceſſit Florentiæ anno ſalutis humanæ 1425. 17. Kal. Aprilis, ſeu ex alijs die 22. Iunij 1426. Ibidem ſepulchro æneo reconditus ſub hac Epigraphe

Celebris

Celebris hic memoria colitur clari
Religioſi
FR. LEONARDI STATII
De Florent.
Sacræ Theologiæ, ac Totius Ordinis
Magiſtri Generalis.

Plura habent Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & hiſtorici ſui Ordinis. Vide Fontanam in Syllabo Magiſtrorum Sacri Palatij.

Leonardus de Rubeis natione Italus, patria Giffonenſis. Giffonium Campaniæ fœlicis oppidum eſt non ignobile; Ordinis Minorum Theologus, & Miniſter Generalis ab Vrbano VI. Romano Pontifice Cardinalitia dignitate donatus, illam reſpuit, quam tamen recepit à Clemente VII. Pſeudopontifice, cum eſſet in diuinis Scripturis doctiſſimus, & in profanis literis apprimè eruditus ſcripſit in Canticam ingens volumen, in centum quadraginta capita diuiſum, multa continens abſtruſioris Theologiæ arcana, quod S. Antoninus ſe vidiſſe teſtatur, & laudat.

Commentaria item in quatuor libros Magiſtri ſententiarum.

Summam Theologiæ moralis

Tractatum de modo extinguendi Schiſmatis Pontificij, qui teſte Fr. Luca Vadingo extat M. S. in Bibliotheca Toletana

Sermonum volumen, diuiſum in Sermones de B. Maria, de Sanctis, ac de tempore

Obijt Auenione in obedientia Benedicti XII. dicti XIII. poſt annum 1407. & ſepultus apud Minores eiuſdem Vrbis.

Præter laudatos Auctores celebrant Leonardum Cardinalem Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, & alij multi.

Leonardus de Ruuere, alijs Groſſus de Ruuere, patria Sauonenſis, Cardinalis, Clementis germanus frater, & Sixti IV. ex Sorore nepos, à Iulio II. inter Presbyteros Cardinales cum Titulo SS. XII. Apoſtolorum cooptatus, & Maior Pœnitentiarius renuntiatus, rexit Epiſcopus Agennenſem in Gallia Eccleſiam, Legatus Apoſtolicus Patrimonium D. Petri, & Archipreſbyter Baſilicam liberianam. Iuuenis funebrem Orationem habuit in parentalibus cuiuſdam Cardinalis, quæ extabat apud Sirlettum M. S.

Mortem

Mortem ſubiit Romæ die 27. Septembris, anno ſalutis humanę 1520. & ſepulchrum habuit apud laudatam Baſilicam.

Eſt huiuſce mentio apud Auctores Galliæ Chriſtianæ, apud Auberyum, Panuinium, Felicem Contelorium in Elencho, Ciaconium, & alios.

Liberius Auguſti filius, Patria Romanus, Diaconus primò Cardinalis, deindè Pontifex ſedit annos XV. Menſes iv. dies 17. obijtque Romæ 8. Kal. Octobris anno à Chriſto nato 367. cum ſcripſiſſet Epiſtolam vnam ad Oſium Epiſcopum Cordubenſem, plures ad Euſebium Vercellenſem, aliaſque ad Conſtantinum Imperatorem, quarum aliquæ ex Baronio, & Binio falsò Liberio tribuuntur. Eiuſdem Auctoris ſunt Dialogus cum Conſtantino, relatio curationis eiuſdem, nec non Sermo in Conſecratione Virginis.

Vide Baronium in Annalibus, Panuinium, Ciaconium cum Auctarijs in Vita, & alios plures apud eoſdem.

Sanctus Linus natione Italus, patria Volaterranus ex Presbytero S. R. E. Pontifex poſt Petrum electus, ſcripſit Petri & Pauli acta paſſionis, & hiſtoriam altercationis Petri cum Simone Mago. at primum opus ab Hęreticis vitiatum, Veſuntione in Gallia purum aſſeruari teſtatur Chifflletius. Cum autem ſediſſet annos XI. totidemque Menſes & dies 23. Romę ab Ethnicis martyrio affectus 9. kal. Octobris anno Domini LXXIX.

Huiuſce acta referunt Baronius in Annal. Irenæus, Euſebius in Chron. & in hiſt. Optatus, Epiphanius, Hieronimus, Bellarminus de Script. Eccl. Nicephorus vterque in Chronico, & in hiſt. Gregorius Turonenſis in hiſt. Ciaconius & reliqui omnes qui ſcripſerunt de Romanis Pontificibus.

Lotharius ex Comitibus Signiæ, Anagninus, Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi, deindè Romanus Pontifex Innocentius III. edidit

De Purgatorio Tractatum

Conciones duas parœneticas dictas ante initium Concilij Lateranenſis

Acta Concilij Lateranenſis, & Decreta

De clauſtro animæ opus.

Sermones de B. Maria, de Tempore, & de Sanctis

De Eleemoſiyna tractatum

De laude & commendatione Charitatis opuſculum

Ordinationem expeditionis pro Terra ſancta

Precationes

De

De miſeria conditionis humanæ opus
In ſeptem Pſalmos Pœnitentiales Commentaria
In Magiſtrum Sententiarum notas
De contemptu Mundi libros tres
De eruditione Principum librum vnum, qui ex Bibliotheca Tomaſini Patauij aſſeruatur in Bibliotheca Benedictinorum
De officio Miſſæ, ſeu de ſacri altaris myſterijs libros ſex
Expoſitionem Canonis Miſſæ
De Sacramento Batipſmi librum vnum
De conſecratione Pontificis homilias quatuor
De Sanctorum veneratione libros tres
Encomium in Chriſtum,& in eius Matrem
Hymnos plures, inter quos Stabat Mater doloroſa, & Aue Mundi ſpes Maria.
Singularia in iure, quæ M.SS. inueniebantur in Bibliotheca Bodleiana
Moralitatem de Scaccario M.S.Cantabriæ in Bibliotheca Collegij S. Benedicti
Conſtitutionum libros quinque
Regiſtrum ſui Pontificatus libris 18.
Eiuſdem literæ ad Ioannem, nec non ad Regem Sueciæ, atq; ad Valerium Archiepiſcopum Vpſalenſem inueniuntur apud Ioannem Vaſtonum Gothum in Viti Aquilonia.

Apud Ferdinandum verò Vghellium in Italia ſacra deſcriptæ plures aliæ eiuſdem ſunt, datæ Epiſcopis Terdonenſi, Vercellenſi, & Taurinenſi, Abbati de Tillieto, & Presbytero Alberto; Oberto Abbati Monaſterij S. Iacobi Vallis Vmbroſæ, & Ioanni Priori S. Mariæ nouæ Ordinis S. Auguſtini Aſtenſis; aliæ item Capitulo Nouarienſi, Patriarchæ Hieroſolymitano, Apoſtolicæ Sedis Legato, Gerardo Nouarienſi electo, Abbati Cluſini Monaſterij, Othoni Ianuenſi Archiepiſcopo, Magiſtro Nicolao de Sala, Canonico Vercellenſi; Cōmuni Aſtenſi, Aquenſi Capitulo; ac Nicolao Archipresbytero, Florano Archidiacono, & Canonicis Vicentinis. Leguntur ibidem aliæ miſſæ ad Cremonenſem Epiſcopum, ad Ioannem Gradenſem Patriarcham, ad Piebanum, & vniuerſum Clerum Caſtellanenſis Epiſcopatus; nec non ad Furconienſem; ad Albertum Eugubinum, ad Ægidium Fulginenſem, ad Gualterum Lunenſem, Ildebrandum Vulterranum, Gumerium Placentinum, Epiſcopos, & ad Vbaldum Archiepiſcopum Piſanum; Aliæ ibidem deſcriptæ ſunt, nēpe illæ ad Archiepiſcopum Turritanum in Sardinia, ad Epiſ-

copos

copos Fundanum, Pennenſem, Muranum, ad Canonicos S. Pelini Valuenſis, & S. Pamphili Sulmonenſis, ad Abbatem S. Sepulchri, & ad Priorem S. Sauini Placentini, ad Michaelem Abbatem S. Michaelis Verrucenſis, ad Archipresbyterum, Capitulum, & Canonicos Piſanos, nec non ad Clericos S. Pamphili Sulmonenſis: lectu dignæ quidem ſunt illæ ad Petrum Epo-[illegible]dienſem Epiſcopum electum, qui cum ad Eccleſiam ſibi creditam acceſſiſſet, poſt paucos dies quieti, & diuinæ contemplationi intentus, illa abſque Romani Pontificis licentia, relicta, eremum petijt, fugitque in abditis, nondum conſecratus; quod cum accepiſſet Innocentius doctiſſimam eidem ſcripſit Epiſtolam, qua Patrum, Canonumque ſacrorum auctoritate pleniſſimè docuit, electum aliquandò Epiſcopum haud à Sponſę vinculo abſolui, & diuelli poſſe abſque Romani Pontificis auctoritate.

Cum ſediſſet annos duodeuiginti, Menſes ſex, dies nouem, ad cœleſtem patriam commigrauit anno Incarnationis Dominicæ 1216. Peruſiæ 13. Kal. Auguſti.

Huius Pontificis acta referunt Conradus Vrſpergenſis Abbas, Ioannes Trithemius, Nicetas, S. Bonauentura in Vita S. Franciſci Minorum Inſtitutoris, Matthæus Pariſius in Angliæ, Bzouius & Odericus in Annal. Eccl. Auctor Nomenclatoris Cardinalium, Aubertus Miræus, Ciaconius cum Auctarijs, Boſquetus Epiſcopus Monſpelienſis in Notis ad eiuſdem Epiſtolas, & Altaſerra Doctor Iuris in Academia Toloſana in Commentarijs ad eius Decretales, alijque quamplures.

Fr. Lucas Manzolius, vel Manzolus Florentinus Ordinis Humiliatorum, ex Præpoſito ſui Monaſterij, Republica Florentina petente Epiſcopus Feſulanus electus, deindè Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina à Gregorio XII. renuntiatus ſcripſit.

Summam caſuum conſcientiæ

Tractatum de auguſtiſſimo Sacramento

Et ſimulato nomine Conſilium Laurentij de Ridolphis pro Collegio Cardinalium contra Antipapas.

Deceſſit octogenarius Florentiæ die 14. Septembris anno à partu Virginis 1411. & ſepultus in Eccleſia Sanctis omnibus ſacra, cum ſubiectis carminibus à Florentina Republica ſarcophago appoſitis.

Exemplar vitæ, morum, virtutis, & almæ
Profeſſor legis, qualem vix nouerat ætas
Noſtra parem; fuit hic Lucas ex ordine noſtro

Cardinis

Cardinis ad culmen Romanæ ſpontè vocatus,
Eccleſiæ verùm Legatus poſtea Summi
Pontificis moritur, Cœlum mens ipſa volauit.
Anno Domini MCCCCXI. die 14. Septembris.

De hoc Cardinali agunt Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Felix Contelorius in Elencho, Poccìantius de ſcript. Florentinis, alijque quamplures.

Lucius Romanus ex Presbytero Cardinali Pontifex, atq; ex Pontifice Chriſti Martyr factus 4. Nonas Martij, anno Chriſti CCLVIII. ſcripſit plures Epiſtolas, temporis tamen iniuria vnam tantum habemus ad Galliæ, ſeu Galleciæ Epiſcopos directam.

Huius laudes decantant Martyrologium Romanum, Beda, Vſuardus, Ado, Baronius in Notis & in Annal. Optatus contra Parmen. Auguſtinus epiſt. 165. liber Romanorum Pontificum inſcriptus Damaſus, Ciaconius, & alij.

Lucius Sanſeuerinus Neapolitanus ex Roſſanenſi Archiepiſcopo, Salernitanus, & Nuncius Apoſtolicus apud Belgas, deindè ſub Gregorio XV. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis cum Titulo S. Stephani in Cœlio Monte renuntiatus, deceſſit Salerni die 25. Decembris anno ſalutis 1623. ætatis 58. ſepultuſque in Cathedrali ſub hac inſcriptione.

LVCIO
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali Sanſeuerino
Salernitano Archiepiſcopo
Non minus virtutum omnium
Omnibus charo
Quam familiæ ſplendore claro
Viuenti humili loco humile ſepulchrum
Iubenti
D. Aloyſius Sanſeuerinus
Biſiniani Princep.

Ex Fratre nepos Poſuit
25. Decembriss MDCXXIII.

Synodum conuocauit, & acta deſcripſit, vt ad puriores mores Clerum reformaret.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Auctarios Ciaconij, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Ioannem Superantium in Simulacro veri Paſtoris S. R. E. & apud alios.

Ludouicus Alemandus, ſeu Alemanus natione Gallus Preſbyter Cardinalis S. Cæciliæ à Martino III. aliis V. renuntiatus, vir doctiſſimus, atque eloquentiſſimus, qui Baſileenſi Synodo Patrum omnium conſenſu præfuit, cum multa edidiſſet opuſcula, non ſine magna ſanctitatis opinione, miraculis pluribus confirmata deceſſit ſexagenarius die 16. Septembris anno 1450. Oſſa recondita in Eccleſia principe Arelatenſi cum hac ſepulchrali iuſciptione, ſunt.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filio;
Et ſubito caſu, quo valuere ruunt.
Vnde ſicut Deo placuit
Anno MCCCCL.
Luce verò Menſis Septembris
Sexta decima
Bonæ memoriæ
Reuerendus in Chriſto Pater,
Et Dominus
L V D O V I C V S
Sacro
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Titulo Sanctæ Cæciliæ
Presbyter Cardinalis Arelatenſis
Vulgariter nuncupatus,

Sacræ

Sacræ huius Baſilicæ Adminiſtrator
Benè meritus, & Princeps,
Vitæ laudabilis,
Et conuerſationis honeſtæ
Ad maius vocatus
Tribunal, deuotè viam
Eſt vniuerſæ carnis,
Et
Catholicè ingreſſus.
Orate pro eo,
Vt eius anima requieſcat in pace.

Plura de hoc habent Auctores Galliæ Chriſtianæ & Purpuratæ, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs & alij multi apud eoſdem.

Ludouicus de Barro natione Gallus, ex Epiſcopo Virdunenſi Diaconus Cardinalis S. Agathæ à Benedicto XII. dicto XIII. electus, ſchiſmatis extinguendi ſtudio, Benedicto deſerto, interfuit Synodo Piſanæ, & pro Alexandro V. ſtetit, à quo Titulum SS. XII. Apoſtolorum, & à Ioanne XXIII. Epiſcopatum Portuenſem obtinuit, obijtque in Gallia Menſe Iunij, ſeu Iulij anno ſalutis 1430. Corpus iacet in Eccleſia Virdunenſi B. Mariæ Virginis ſacra, cum ſequenti Epitaphio.

Hic ſitus eſt fulgens LVDOVICVS laude perenni
Quem Barri genuit gens generoſa Ducum.
Filia Regis erat Genitrix, de culmine ſummo
Francorum, & cuncta nobilitatis apex.
Hunc decus, & mores quondam celebrare ſolebant
Dum Portuenſi Cardine dignus erat.
Egregius pariter præſentis Paſtor ouilis,
Ac Virdunenſis Pontificalis honos.
Ambiguus certa præponens, tuta timendis
Spreuit opes Orbis Religione fruens.
At quia non moritur virtus, quid Parca tuliſti?
Clara per æternos ſtat tibi fama dies.

 Mille

Mille quatuor centum ter denos iunxerat annos
Delius , & Iunij tempora menſis erat
Nunc Matris precibus , æternæ dona quietis
Illi pro meritis det Deus omnipotens.

Edidit Eccleſiæ Lingonienſis, cuius fuerat Epiſcopus, Statuta Synodalia.

De hoc agunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Petrus Frizonius in in Gallia purpurata, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius , & alij.

Ludouicus de Borbonio natione Gallus , regio ſanguine nobilis, primùm Antiſtes Laudunenſis Eccleſiæ, tum Trecenſis, Lucionenſis, Cenomanenſis, demùm Presbyter Cardinalis ſub Titulo SS. Silueſtri, & Martini in Montibus à Leone X. abſens euulgatus Archiptæſul rexit Senonenſem, & Epiſcopus Præneſtinam Diœceſim, ſcripſitque Epiſtolas nonnullas , quarum aliquas Andreas Sauſſay in ſuo de Myſticis Galliæ ſcriptoribus Tractatu typis tradidit . Ad Deum migrauit Lutetiæ die decima, ſeu vndecima Martij anno ſalutis 1556. ætatis 63. Corpus ſicut mandauerat in Eccleſiæ Laudunenſis Choro ſine ſepulchrali inſcriptione tumulatur.

Plura de hoc Cardinali habent Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ , Panuinius , Felix Contelorius , Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs & alii plures.

Ludouicus Ludouiſius Bononienſis, Gregorij XV Pontificis Maximi nepos , ingenio totius naturæ capaci ornatus , Referendarijs primò vtriuſque Signaturæ, deinde Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Mariæ Tranſpontinæ à Patruo adſcriptus, S. R. E. Camerariato , mox Vicecancellariato , & Archiepiſcopatu Bononienſi obtento, ſcripſit Sermones ſeu Diſcurſus italica lingua plures , Bononiæ publicæ luci datos anno voluentis ſeculi 25. inter quos vnus eſt de puriſſima B. Mariæ Conceptione, & Panegyrim in laudem S. Ignatij Societatis Ieſu Fundatoris, in cuius honorem Templum in Vrbe erexit peramplum.

Extant etiam M.SS. volumina plura literarum negotialium ad diuerſos quarum aliquę tipys Romanis ſunt publici iuris opera, & ſtudio Abbatis Michaelis Iuſtiniani.

Podagra vexatus Bononiæ interijt die 18. Menſis Nouembris anno noſtri ſeculi ſecundo ſupra trigeſimum. Corpus Romam delatum , conditum in temporario ſepulchro apud Templum S. Ignatio ſacrum cum hac Epigraphe .

LVDO-

LVDOVICVS
Cardinalis Ludouiſius
S. R. E.
Vicecancellarius.

Huius acta explicarunt Hippolytus Marraccius in purpura Mariana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Franciſcus Caetanus in Speculo Ludouiſio, Auctarij Ciaconij in Vita, Virgilius Cæſarinus in Carmine, Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi.

Ludouicus Scarampus, ſeu Mediarota natione Italus, Patria Patauinus, Medicæ facultatis ſtudijs, armorumque tractatione illuſtris, Tragurienſem Epiſcopus, Archiepiſcopus Florentinam, & Patriarcha Aquileiæ rexit Eccleſias. Inter Presbyteros deindè Cardinales cooptatus ab Eugenio IV. cuius amorem promeritus fuerat victoria de Piccino, re ipſa magno Duce, Eccleſiæ Romanæ hoſte intenſiſſimo apud Anglariam Florentinorum oppidum obtenta; S.R.E. Camerarius, ſeu ex alijs Vicecancellarius ab eodem nominatus, ſcriptis conſignauit Epiſtolas plures mira eruditione refertas, quę in Bibliotheca Laurentij Pignorij olim aſſeruabātur. publici iuris ſunt illæ quas Legatus Apoſtolicus apud Hungaros, Ioanni de Capiſtrano ſanctitate illuſtri inter Minores dederat. Romæ ſub Paulo II. die 13. ſeu 22 Martij anno 1465. ſupremum dièm cum vidiſſet, Pontificis iuſſu funebri pompa ad S. Laurentium in Damaſo tumulatur ſub Elogio.

LVDOVICO MEDIAROTA
Patauino,
Patriarchæ Aquileienſi
Epiſcopo
Cardinali Albano,
Et
D. Laurentij in Damaſo
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cancellario

Cancellario,
Quod animi magnitudine,
Et
Singulari præditus prudentia
Cum rem Romanam multitudine
Hoſtium laborantem Legatus
Ab Eugenio IV.
In priſtinum armis,
Et victorijs vindicaſſet,
Nicolaum Piccinum
Apud Anglariam profligaſſet,
Agrum Picenum
A Franciſci Sfortiæ dominatu
In deditionem Romanæ Eccleſiæ
Recuperaſſet,
Turcas Sub Calliſto III.
In naualibus prælijs contudiſſet,
Auctoritatem Rom. Pontificatus longè,
Latèque propagaſſet,
Domeſticis quoque virtutibus
Conſilio, grauitate, continentia,
Plurimis deniquè
In omnes bonos liberalitatis,
Et Beneficientiæ monumentis
Bellicas laudes ornatiores redidiſſet
Henricus Hunis
Archiepiſcopus Tarentinus,
Pontificis,

Sacri-

Sacrique Senatu à ſecretis,
Ærarij Apoſtolici Præfectus,
Tantæ virtutis
In lucem reuocandi cauſa,
Veterem quoque ſuam
In eum obſeruantiam
Hoc recenti pietatis officio teſtaretur
Hoc illi monumentum XL.
Ab eius morte
Anno ſaluti CIƆ IƆ. V.
2. Kal. Aprilis.
Vixit annos LXIII. Menſes IV.
Dies 8.

Meminere huius Cardinalis præter Panuinium, & Ciaconium, Auberyumque, Hiſtorici omnes ſui ſeculi.

Ludouicus de Torres Romanus Presbyter Cardinalis S. Pancratij ſub Paulo V. & S. R. E. Bibliothecarius Cæſaris Cardinalis Baronij Annotationes in Martyrologium recognouit, edíditq; Synodum in Monte regali habitam à Patruo Archiepiſcopo.

Regulas quoque pro Sanctimonialibus elucubrauit, ac Vitam Ioannis Verzeræ, Poetæ clari nominis apud Hiſpanos, Hiſtoriamque Montis Regalis Templi, ac Monaſterij S. Mariæ nouæ eiuſdem Vrbis, quas hiſtorias publici iuris fecit ſub nomine Io: Ludouici Lelli. Auctor etiam fuit Diſcurſuum in Antiphonam *Salue Regina*. Hos tamen alij alteri Ludouico de Torres Dominicano Hiſpano tribuunt. Inſuper Auctorem dicunt,

Sanctionum Pragmaticarum pro Regno Siciliæ

Hiſtoriæ Romanorum Pontificum

Et Epiſtolæ ad Andream Spinolam Cameræ Apoſtolicæ Clericum.

E vita migrauit Romæ die 9. Iulij, anno voluentis ſeculi nono. Corpus iacet in Titulo S. Pancratij, cui præfuerat, ſub hoc Elogio:

LVDOVICI DE TORRES
Archiepiſcopi
Cardinalis Montiſregalis,
Bibliothecarij Apoſt.
Vixit Ann. LVIII.
Obijt 7. Iulij MDCIX.

Celebrant tantum virum Rocchus Pyrrhus in Notit. Eccl. Sicil. Michael Monachus in Sanctuario Capuano, Cæſar Baronius in Notis ad Martyrol. Rom. Ludouicus Iacobus à S. Carolo in Biblioth. Pont. Hippolytus Marraccius in Purpura, & in Bibliotheca Mariana, Auctarij Ciaconij & alij apud eoſdem.

Prætermiſſimus Coſmum de Torres Epiſcopum Peruſiæ, S. R. E. Cardinalem à Gregorio XV. Pontifice Maximo die 5. Septembris, anno 1623. renuntiatum, poſt legationem Polonicam, & ab Vrbano VIII. ſucceſſore Epiſcopatu Peruſino primùm, & à Rege Hiſpanarum Montis Regalis in Sicilia donatum. Hic cum preeſſet Eccleſiæ Peruſinæ anno ſalutis noſtræ 1632. edidit Decreta Synodalia in Synodo Diœceſana promulgata, cui literas ad vniuerſum Clerum Ciuitatis, & Diœceſis directas, præfixit.

E viuis deceſſit die prima Maij anno poſt Chriſtum natum 1624. ætatis 56. ſeu 58. poſt obitum infertur, ex aliquibus, in ſepulchrum Maiorum ſuorum ad S. Catharinam de Roſa nucupatam, vulgo de Funarijs, ſeu verius propè Tumulum Ludouici patrui, vt ex ſequenti Epigraphe habemus.

D. O. M.

COSMVS
Tit. antea Sancti Pancratij
Et poſteà
Sanctæ Mariæ Tranſtyberim
S. R. E.

Presby-

Presbyter Card. de Torres
Tertius de familia
Archiepiſc. Montis Regalis
Poloniæ Protector
Præſtantiſſimi Patrui virtutes, merita,
Dignitates,
Fortunamque imitatus.
Proximè etiam,
Et pari tumulo ſepeliri voluit.
Anno Domini MDCXLII.
Obiit Cal. Maij
Ætatis Anno LVIII.

Celebrant Coſmum Auctarij Ciaconij cum Ferdinando Vghellio in Italia ſacra, & Rhocco Pyrrho in notit. Eccleſiarum Siciliæ.

M

MAphæus Barberinus natione Italus, patria Florentinus, ex Presbytero Cardinali, Tituli S. Onuphrij, euulgatus Pontifex Maximus, ſacrum principatum ſub nomine Vrbani VIII. ſanctiſſimè geſſit per annos vnum & viginti, octo tantum diebus exceptis, vir magni ingenij, & prudens, ſemper humaniſſimus, ac in familiares munificus.

Habemus à tanto viro in aliquos Pſalmos, & Canticos noui & veteris Teſtamenti Paraphraſim.

In Chriſti Domini, Beatæ Mariæ Virginis & aliorum Sanctorum feſtos dies, Hymnos & Odas.

In viros illuſtres Epigrammata.

Odem exhortatoriam ad virtutem Franciſco Cardinali Barberino Fratris filio dicatam.

Poeſes etruſco idiomate editas Romæ 1640.

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini verſu heroico elucubratam.

Pœmata varia. Epiſtolas plures ad diuerſos, quarum illas ad Henricum Spondanum Appamearum Epiſcopum typis euulgarunt Sammarthani Tomo 2. Galliæ Chriſtianæ, & illas ad Io. Baptiſtam Laurum, cum eiuſdem Centuria ſelectarum Epiſtolarum publici iuris factas inuenies.

Ex officio Conſtitutiones Eccleſiaſticas, & literas Apoſtolicas, quarum collectionem habes Tomo 4. Bullarij.

Literarum familiarum volumina plura, quæ aſſeruantur M. SS. apud Nepotes. Auctor Maieſtatis Panormitanæ illarum aliquas euulgauit. Alias ad Iuſtinianos Chij Abbas Michael Iuſtinianus Tomo 3. memorabilium Epiſtolarum.

Mortalem vitam deſeruit, immortalem conſequturus die 29. Iulij, anno ſalutis reparatæ 1644.

Poſt obitum in Vaticana Baſilica ſepulchrum habuit ſub hac Epigraphe.

VRBANVS VIII.
Barberinus
Pontifex Maximus.

De Mapheo Barberino tractāt omnes qui Romanorū Pōtificū Vitas deſcripſerūt poſt Ciaconiū, Memoriæ Academicorū Gelatorū Bononienſium, alijque quamplures, cum Auctarijs Ciaconij

Marcellinus Proiecti filius patria Romanus, eiuſdemque Eccleſiæ Presbyter primùm, mox Pontifex duas exarauit Epiſtolas, vnam ad Salomonem, qui ipſum conſuluerat de hæreticis nuper emergentibus, alteram ad Epiſcopos Orientis, qua illos hortatur ne Eccleſiæ litigia apud profanos Iudices dirimant. ſecuri deindè capite truncatus 6. Kal. Maij anno ſalutis humanæ 304. martyrium pro Chriſto conſtanti & gaudenti animo ſubijt, imbellicitatem prius conceptam ardore, & auiditate certaminis ſubeundi compenſans cum ſediſſet in Cathedra Pontificia annos ſeptem, menſes nouem, dies ſeptem ſupra viginti. De S. Marcellino tractant Martyrologia omnia, Baronius in Notis, & in Annal. Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Marcellus Benedicti filius patria Romanus qui ex Presbytero Cardinali Summus Pontifex renuntiatus præfuit Eccleſiæ annis V. Menſibus ſex, diebus vno & viginti, Scripſit Epiſtolas plures, quarum duæ ſunt apud Binium, & alias indicat Ciaconius, quæ apud Baronium dubiæ ſunt fidei, cum non aptis conſignatæ ſint Conſulibus atque parum ſibi cohereant. Martyrio deindè Romæ coronatus die 16. Ianuarij anno ſalutis 309. ſepultus in Cæmeterio Priſcillæ Via ſalaria ſub hoc Epitaphio à Damaſo concinnato.

Veridicus Rector, lapſos quia crimine flere
Prædixit miſeris, fuit omnibus hoſtis amarus.
Hinc furor, hinc obitum, ſequitur, diſcordia, lites
Seditio, cædes, ſoluuntur fœdera pacis
Crimen ob alterius Chriſtum, qui in pace negauit.
Finibus expulſus patriæ eſt feritate Tiranni.
Hæc breuiter Damaſus voluit comperta referre
Marcelli, vt populus meritum cognoſcere poſſit.

Celebrant Marcellum Martyrologia omnia, Petrus Mauriacenus, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs Io: Bollandus, Duchesnius, Sauſſay & alij multi.

Marcellus Ceruinus natione Italus, patria Politanus, Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hieruſalem, qui ad ſupremum rei ſacræ culmen euectus nomen ſibi in ſacro fonte impoſitum retinendo dictus eſt Marcellus ſecundus, præfuitque Eccleſiæ dies

tantum duos ſupra viginti, ac ſcripſit relationem de his quæ euenerant in Concilio Tridentino, tempore quo illi legatus adfuit, Diſcurſum ibidem dictum de libris Canonicis Sacræ Scripturę.

Conſilium de Cultu ſacratiſſimæ lauretanæ Ædis longè, latèque propagando.

Literas plures, quarum volumen ſeruatur M. S. in Collegio Romano. illas ad Paulum III. euulgauit Michael Iuſtinianus Tomo III. Epiſtolarum memorabilium.

Chriſtiano Orbi ereptus Kal. Maij anno Incarnationis Dominicæ 1555. ſepulchrum habuit in Vaticano cum ſequenti inſcriptione.

MARCELLVS II.
Ceruinus Politanus
Pont. Max.
Sedit dies 22. Vixit Annos LIV.
Obijt Kalendis Maij
MDLV.

Vide plura apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Hippolytum Marraccium in Pontif. Marianis, Ludouicum Donium d'Attichy, Bzouium, Spondanum, Vghellium, & alios.

Marcellus Creſcentius nobilis Romanus Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli, tum S. Marcelli à Paulo III. Pontifice Maximo renuntiatus, ſcripſit Rotæ Romanæ Deciſiones, & Epiſtolas ad diuerſos, quarum volumen extabat M. S. apud Marcellum abnepotem, cum aliquibus opuſculis de materijs in Concilio Tridentino agitatis.

Supremum diem obijt Veronæ dum Romam è Concilio Tridentino repereret, Kalendis Iunij anno ſalutis 1552. Corpus iacet Romæ in Baſilica liberiana ſub tali Elogio.

D. O. M.
MARCELLO CARDINALI CRESCENTIO
Qui
Ob inſignem præſtantis ingenij laudem

XXV.

XXV. natus anno
A Clemente VII. Rotæ Auditor
Deindè Epiſc. factus,
A Paulo III.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Cardinalis creatus
Principum Virorum,
Regumque in primis gratia,
Et beneuolentia floruit.
Sub Iulio III.
Bononiæ perpetuus,
Tridentini Concilij ſolus
Apoſt. Sedis Legatus
In Orthodoxæ fidei cauſam
Cum totus incumberet graui morbo
Conſumptus Veronæ deceſſit anno
Ætat. ſuæ LII.
Humanæ ſal. M D L I I.
5. Kal. Iunij
Alexander Creſcentius Fratri B. M.
Et ſibi,
Poſteriſque ſuis T. F. I.
Marius Creſcentius
Hippolyti filius, Alexandri nepos
Marij Pronepos fecit.
MDLXXXVII.

De hoc tractant Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, Auberyus, & alij

Marcus filius Priſci, natione Italus, patria Romanus ex Diacono

Cardinali omnium ſuffragijs renuntiatus Summus Pontifex Rempublicam Chriananam adminiſtrauit Menſibus octo, diebus 22. ac defunctus Nonis Octobris anno à Chriſto nato,339. cuius ſepulchrum his verſibus adnotauit Damaſus.

Inclyta vita fuit Marci, quem nouimus omnes
Scilicet ore Dei poſſet qui temnere Mundum,
Præſertim orauit Populus, quod diſceret omnis
Clarus honor vitæ grandis contemptus habendi.
Inuicti virtus tenuit penetralia cordis
Seruat te Cuſtos Chriſtus perfectus amicus
Et tibi dat Damaſus tumulum cui reddit honorem.
Hic Marcus Marci vita, nomine conſors,
Et meritis, firmaque fide, fideique vigore.

Huiuſce Pontificis literas ad Athanaſium, cœteroſque Ægypti Epiſcopos datas de miſſione Capitulorum Concilij Nicæni; è græco & arabico in latinum conuertit ſermonem Alphonſus Piſanus è Societate Ieſu, quas tamen Baronius, & Bellarminus Cardinales fictas, & falſò huic Pontifici adſcriptas putant.

Huius acta explicant quotque hiſtoriam, vel Pontificiam, aut profanam deſcripſerunt, vide Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, & alios, nec non Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vſuardi, & Adonis.

Marcus Antonius Amulius Venetus à Pio IV. Diaconus primò, mox Presbyter S. Marcelli creatus, nec non S. R. E. Bibliothecarius. ſcriptis conſignauit Epiſtolas plures, quarum aliquæ typis excuſæ leguntur inter literas virorum illuſtrium.

Orationes item italicas, & latinas

Et tractatum de ſublimi dicendi genere.

Finem vitæ ſuæ impoſuit Romæ 3. Idus Martij anno ſeptuageſimo ſeculi decimi ſexti à partu Virginis. Corpus Venetias tranſlatum in S. Iob apud Fratres Minores de obſeruãtia conditum, ſine vlla ſepulchrali memoria publica.

Vide plura apud Panuinium, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios & alios.

Marcus Antonius Boba Caſalenſis Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Silueſtri Pij IV. beneficio adſcriptus, conſilio, fide, magnoque in rebus omnibus ingenio præclarus, poetica, & oratoria arte inſignis, ſcripſit Orationes elegantiſſimas habitas in Concilio Tridentino, & Carmina quædam ad Carolum Sabaudum Principem, quæ ſunt in lucem edita Tomo ſecundo illuſtrium Poetarum Italorum, & alia in commendationem

Simonis

Simonis Paſchæ Crdinalis : illorum tamen plurima aſſeruantur M. SS. apud diuerſos. E terris ſublatus Romæ 15. Kal. Aprilis anno 1575. Oſſa iacent in S. Mariæ ad Thermas ſine vlla memoria

De hoc tractant Sammarthani in Galiia Chriſtiana, Petramellarius, Auberyus, Panuinius, Auctarij Ciaconij, & alij.

Marcus Antonius Columna Romanus ſub Pio IV. Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula, tum S. Laurentij in lucina, Epiſcopus Pręneſtinus, Archiepiſcopus Tarentinus, mox Salernitanus edidit relationem Vitæ & miraculorum S. Didaci, habitam coram Sixto V. & Cardinalium Collegio. Obijt Zagarolæ in Diœceſi Præneſtina 3. Idus Maij, anno 1597. ibidem apud Franciſcanos iacet.

Vide Petramellarium, Panuinium, Auctarios Ciaconij, & alios plures apud eoſdem.

Marcus Antonius Franciottus, natione Italus, patria Lucenſis, ex Auditore Cameræ Apoſtolicæ Presbyterorum Cardinalium Senatui ab Vrbano VIII. adiunctus, pietate, doctrina, charitate in Pauperes noſtro ſeculo illuſtris carmine latiali Hieronymi Tetij, Auctoris libri prænotati Ædes Barberinæ laudes cecinit, ſolutaque oratione B. Thomæ à villanoua, quando ab Alexandro huius nominis ſeptimo Pontifice Maximo relatus eſt inter Sanctos. Deceſſit Romæ diæ 9. Februarij anno à partu Virginis 1666. ætatis quarto ſupra ſeptuageſimum. Corpus iacet in Eccleſia nominis Ieſu ſub hoc Elogio.

MARCO ANTONIO FRANCIOTTO
Epiſc. Lucenſi
Qui
Apoſtolicæ Cam. Clericus;
Ac
Gener. Auditor
Ab Vrbano VIII. Purpuræ admotus
Et Flaminiæ
E latere legatus,
Mox grauiſſimis in Vrbe

De

De republica Chriſtiana conſilijs
Ab Innocentio X.
Et
Alexandro VII. adhibitus;
Vti ſummis mortalium
Prudentia, & fide,
Sic infimis acceptus manſuetudine,
Ac
Liberalitate deceſſit ſanctiſſimæ vitæ
Sanctiori exitu.
Ætatis Ann. LXXIV.
Seculi MDCLXVI.

Laudant tantum virum Lucas Guido Vanninius in Panegyrico carmine, Ioannes Lucari in oratione funebri, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auctarij Ciaconij in Vita, Victorius Siri in ſua hiſtoria, & alij multi.

Marcus Barbus Venetus Pauli II. Pontificis Maximi patruelis, ex Epiſcopo Vicentino Presbyter primò Cardinalis Tituli Sancti Marci, poſteà Patriarcha Aquileienſis, demùm Epiſcopus Prænestinus renuntiatus legationem geſſit ſub Sixto IV. ad Cæſarem, ad Hungaros, ad Polonos, vt eos ad concordiam reuocaret. Patriarcha Prouinciale Concilium Epiſcoporum conuocauit, in quo multa ad Eccleſiaſticorum diſciplinam, ad tranquillitatem Eccleſiaſticorum ſanxit, & Decreta plura edidit. reliquit etiam pro poſteris relationem ſuæ legationis in partibus Septentrionalibus. E vita migrauit Romæ die 11. Martij anno ſalutis 1490. iacet in Æde S. Marco ſacra cum hoc Epitaphio.

MARCVS BARBVS
Cardinalis S. Marci
Patriarcha Aquileienſis
Ita ſibi viuens fieri voluit
Orate pro eo ad Dominum.

Obijt

Obijt Anno ſalutis MCDXC.
Die 11. Martij
Oliuerius, & Franciſcus
Cardinales Executores
B. M. poſuerunt.

De hoc agunt Ioſeph Maria Suareſios in Præneſt. Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, & alij.

Fr. Marcus Vigerius natione Italus, patria Sauonenſis, Ordinis Minorum inter Presbyteros Cardinales Titulo S. Mariæ Transtyberim à Iulio II. cooptatus, mox Epiſcopus Præneſtinus electus, & Archipresbyter Baſilicæ Vaticanæ, Theologus excellentiſſimus, quam ſcientiam tum Patauij, tum Romæ publicè explicauerat, & coram Pontifice propoſitas de Theologia quæſtiones facillimè ſoluerat, Apologiam contra Piſanum Conciliabulum ſcripſit, & libellum vnum Decachordum Chriſtianum prænotatum, & alterum de ferro lanceæ, & Chriſti indumentis, eorumque dignitate; Vnum item de excellentia inſtrumentorum Paſſionis Chriſti.

Reliquit M. SS. opuſcula plura, videlicet
De Sacerdotis officio
De Compaternitate
De vniuerſalibus actiuorum
Sermonum, ſeu Homiliarum volumen
In Ethicam Ariſtotelis Commentaria
De Antichriſto tractatum
De tollendis abuſibus Dialogum
De Annuntiatione B. Virginis librum vnum, qui excuſus eſt teſte Hippolyto Marraccio in ſua Bibliotheca Mariana Fani anno 1506. E vita migrauit Romæ ſub Leone X. die 18. Iunij anno ſalutis 1516. ætatis 70. Sepultus ad S. Mariam Tranſtyberim ſine vlla ſepulchrali inſcriptione.

Celebrant Vigerium Cardinalem Fr. Lucas Vadingus de Scriptoribus Minorum, Ioſeph Maria Suareſius in hiſt. Præneſt. Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Mag. Fr. Marcus Viterbienſis Ordinis Minorum, vigeſimus ſecundus Miniſter Generalis, Presbyter Cardinalis tituli S. Praxe-

dis ſub Vrbano V. ſcripſit Summam Caſuum Conſcientiæ. Non diù vixit in vltima dignitate, nam Menſe Auguſti, ſeu verius die 3. Septembris anno ſalutis 1369 ex hac vita Viterbij migrauit. Corpus ibidem iacet apud Minores ſub hac Epigrapho

MARCVS VITERBIENSIS
Ex
Ordine Minorum Conuentualium
Cardinalis
Ab Vrbano V.
Ob inſignem in omni virtute gloriam
Kalend. Ianuarij MCCCLXVI. creatus,
Viterbij vitam
Vir ſanctitate vitæ conſpicuus
Obiens nomen ſuum immortalitati
Conſacrauit
Anno Virginei partus MCCCLXIX.

Quam tibi plus MARCE longè huic Vetulonia dedit
Nam tu illi eſſe dedit, ille bene eſſe tibi.

Plura inuenies apud Paulum Corteſium, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, cum Auctarijs, & alios.

Marinus, quem aliqui Martinum nominant, ex nobili familia Neapolitana Caracciola exortus in Romana Curia verſatus, Protonotarius Apoſtolicus, Legatus ad Carolum V. Cæſarem, & ad Henricum Regem Anglum, pacem cum Cæſare Anglicano Regno peperit, quare à Paulo III. Romano Pontifice in eiuſdem Imperatoris gratiam publicatus eſt Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro, anno 1535. & iterum Legatus in Germaniam pro pace componenda inter ipſum Cæſarem, & Franciſcum I. Regem Gallicum. Repentino morbo extinctus eſt Mediolani, quam Prouinciam regebat Caroli Imperatoris nomine, die 28. Ianuarij anno ſalutis 1538. ætatis 69. In Metropolitana eiuſdem Ciuitatis iacet ſub hac Epigraphe.

MARINO

MARINO CARACCIOLO
Cardinali Neapolitano
Illuſtri genere orto,
Qui plurimis pro Pontifice,
Cæſareque functus Legationibus primam
à Carolo V. Imp.
Ad Aquiſgranum coronam impoſuit.
Anglos ei coniunxit,
Et Venetos:
Ac demum à Paulo III.
P. M.
In Cardd. numerum cooptatus,
Dum Prouinciam Mediolan.
Ab eodem Carolo
Sbi creditam regeret importuna morte maxima
Cum Reipubicæ Chriſtianæ
Iactura ſublatus eſt
5. Kal. Februar. MDXXXVIII.
Annos natus LXIX.
Io: Baptiſta Fratri opt. Poſ.

Huius literas typis editas inuenies anno 1574.

De hoc plura Scipio Ammiratus, Franciſcus de Petris in familia Caracciola, Petrus Aretinus in Epiſtolis, & Ciaconius cum Auctarijs in vita.

Marinus Grimanus Venetus, Dominici eiuſdem agnominis Cardinalis nepos, literarum Mœcenas, vir doctiſſimus, & eloquentia clarus ex Patriarcha Aquileienſi à Clemente VII. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis Tituli Veſtinæ creatus, progreſſu temporis, optionis, vt dicunt ergo Titulos alios obtinuit, nempè S. Marcelli, ac S. Mariæ Tranſtyberim. Epiſcopus præ-

fuit Portuenſi Eccleſiæ, legationeſque plures geſſit, non ſine laude, fructuque ſingulari. Cum autem animi gratia Vrbem veterem conceſſiſſet, ibi 28. Septembris, anno 1546. mortem oppetijt. Corpus Venetias relatum iacet apud S. Franciſcum de Vinea. in temporario ſepulchro, quod habuit in Vrbe veteri hæc extabat memoria ab Auctore Nomenclatoris collecta

D. O. M.

MARINO GRIMANO

Veneto

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Cardinali

Cuius virtutum in omnes gentes

Egreſſa memoria,

Magis apud animorum cuiuſcumque, quam apud

Tumulum hoſpitatur.

Illuſtrium ergo Virorum

Verum ſepulchrum animus hominum.

Æditui beneficiorum memores

Ex

Publico decreto inſtaurarunt.

Scripſit in D. Pauli Epiſtolas nō cōtemnendū opuſculū. Extat eiuſdem Oratio habita in Conſiſtorio coram Carolo V. Cæſare pro pace cum Franciſco Galliarum Rege, aliaque ad Scotos pro concordia, & pace firmanda cum Rege Chriſtianiſſimo præmortuo eorum Rege.

Meminere huius cum laude Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Martinus natione italus, patria Tudertinus, Fabritij filius ex S.R.E. Cardinali, Populique, ac Cleri Romani ſuffragijs electus Pontifex Maximus, vt Eccleſiam ab Hæreticis expurgaret Synodum congregauit centum, & quinque Epiſcoporum, eaq; abſoluta Epiſtolam ad omnes Chriſti fideles vbique degentes

de his

de his quæ pro fide Catholica contra Hæreticos geſta erant, miſit. Aliam Conſtanti Auguſto, Tertiam Epiſcopis Africæ, & quartam Ioanni Epiſcopo Philadelphiæ dedit. Deſcriptæ apud Anaſtaſium plures huius Martini Epiſtolæ Pontificis inueniuntur, quarum prima eſt, de his quæ Romæ patrarētur à Thodora Calliopa; alia ad Eliterum, vel Eliſæum, de his quæ paſſus eſt in itinere, dum captiuus duceretur Conſtantinopolim; Tertia de his quæ acciderunt cum relegaretur in Cherſoneſum; duæ aliæ quibus deplorat ærumnas ſuas, ac fidei proditionem. Vitam inter ærumnas protraxit ſuam vſque ad diem 12. Menſis Nouembris anni 654. quo die martyrij corona inſignitus ad ſuperos euolauit in Cherſoneſo exul.

De hoc Martyrologium Romanum, Bedæ, Vſuardi, Adonis, Menologium Græcorum idibus Aprilis, & 16. Kal. Octobris tractant. Vide acta apud Surium, Anaſtaſium, Panuinium, Ciaconium, & alios.

Martius Ginettus natione Italus, patria Veliternenſis natus 6. Aprilis anno 1584. in ſacrum Purpuratorum Senatum ab Vrbano VIII. cooptatus, Legatus Apoſtolicus ad Principes Germaniæ, Romanorum Pontificum Vicarius in Vrbe ſcripſit legationis ſuæ narrationem, & Elogia in Conſecrationibus BB. Thomæ à Villanoua, Franciſci de Sales, Petri de Alcantara, Mariæ Magdalenæ de Pazzis, nec non vernacula lingua Italica literas, publici iuris factas ab Abbate Michaele Iuſtiniano Parte 2. memorabilium literarum. Epiſcopus Portuenſis proſpera ſenectute vitam duxit ad annum 1671. poſt Chriſtum natum, quo in Vrbe Calendis Martij obijt, ſepultus in Æde S. Andræ de Valle.

Cum laude de hoc Cardinali agunt Auctarij Ciaconij, Bonauentura Theuli in Theatro Veliternenſi, Vincentius Armanus in literis, & alij plures.

Frater Matthæus de Aquaſparta Tudertinæ Diœceſis natione Italus ex Ordinis Minorum Miniſtro Generali à Nicolao IV. Presbyter Cardinalis renuntiatus ſub Titulo S. Laurentij in Damaſo, deinde Epiſcopus Portuenſis ſcientijs pluribus ornatus ſcriptis conſignauit

Commentaria in Iob

Poſtillas in Pſalmos

Expoſitiones in Epiſtolas Pauli

Commentaria in quatuor libros Sententiarum.

Quæſtiones quodlibeticas

Centiloquium de potentia Papæ

Sermones

Sermones varios , inter quos plures de B. Maria ſemper Virgine
Inuentarium Sententiarum
Indices per ſeriem literarum in libros Sententiarum.
Theologica Paradoxa
Hunc aliqui Auctorem dicunt ſequentiæ Mortuorum *Dies illa dies iræ &c.* Quieuit in Domino anno ſalutis 1302. ſepultus apud S. Mariam de Aracœli in pernobili ſepulchro marmoreo ſine vlla memoria.

Eſt tanti Cardinalis mentio apud Fr. Lucam Vadingum in Chronico, & de ſcriptoribus Minoritis, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, alioſque.

Matthæus Polonus Magiſter in Theologia, & Epiſcopus Vormacienſis inter Presbyteros Cardinales ſub Titulo S. Cyriaci à Gregorio XII cooptatus ſcripſit
De amore Charitatis opus
Expoſitiones, ſeu Commentationes Cantici Canticorum
Commentaria in Eccleſiaſten
In Matthæi Euangelium
In Epiſtolas Pauli ad Romanos
Aliaque plura quæ M. SS. aſſeruantur in Monaſterio Franckhentalenſis Vormaciæ, vale dixit huic ſeculo anno ſalutis 1410. ſepultus in Baſilica Vormacienſi

Celebrant tantum virum Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs apud eoſdem.

Matthæus natione Italus Presbyter Cardinalis Tituli Equitij, Anacleti II. Pſeudopontificis Cancellarius literas plures pro ipſo Anacleto ad diuerſos ſcripſit
De illo Ciaconius.

Matthæus Rubeus Vrſinus Romanus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu ab Vrbano IV. renuntiatus, vir non minus ingenio, quam pietate conſpicuus, poſteris reliquit de Auctoritate Eccleſiæ Opus, nec non Quædam in Theologia
Et Epiſtolas nonnullas, quarum aliquas extare Bononiæ in Tabulario Monaſterij S. Franciſci, ſcripſit Toſſignanus.
Diem clauſit extremum Peruſij anno 1306. Corpus iacet Romæ.

Celebrant Matthæum Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Felix Contelorius & alij multi.

Mauritius quarto gentius Caroli Emanuelis, & Catharinæ Auſtriacæ, Sabaudiæ ducum, Taurini anno nonageſimo ter-

tio

tio ſupra milleſimum quingenteſimum, 4. Idus Ianuarij natus, à Paulo V. Pontifice Maximo anno 1608. qui Mauritio quartus decimus erat Cardinalium Senatui adſcriptus præfuit primùm Diaconiæ S. Mariæ nouæ, poſtea S. Euſtachij, demùm S. Mariæ in via lata; exeunte deindè anno quadrageſimo ſecundo eiuſdem ſeculi Cardinalitia purpura, annuente Pontifice, dimiſſa, Sereniſſimam Principem Mariam, Victoris Amedei Ducis primogenitam duxit, cum qua vixit vſque ad annum 1658. quo ad ſuperos euolauit; relictis pro poſteris in ſuæ pietatis, ſuiquæ in Catholicam religionem affectus ſignum, literis ad Comitem Stabuli Franciæ, publici iuris factis ab Abbate Michaele Iuſtiniano typis Romanis in tertia Parte Epiſtolarum memorabilium.

Meminere huiuſce Cardinalis, & Principis Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia in hiſtoria Pedemontana, Victorius Siri in hiſt. noſtrorum temporum, Gualdus, Capriata, Ioſeph Silos præter Auctarios Ciaconij, aliosque plures.

Maynardus Campanus Monachus Caſſinenſis Presbyter primò, mox Epiſcopus Cardinalis Syluæ Candidæ ſub Leone huius nuncupationis nono Romano Pontifice leges Mediolanenſibus ſcripſit, propriaque manu ſubnotauit, clarebat enim doctrina, prudentiaque ſingulari, præfuit Bibliothecæ Vaticanæ & Vicecancellarius Cancellariæ Apoſtolicæ. Vide Ciaconium.

Melchiades, alijs Militiades natione Afer ex Presbytero Cardinali creatus Summus Pontifex ſedit in Petri Cathedra annos tres, menſes duos, dies vnum ſupra viginti, vnamque ſcripſit Epiſtolam ad Hiſpaniarum Epiſcopos, quam notis illuſtrauit Binius. Eidem à nonullis adſcribitur Epiſtola de primitiua Eccleſia, & de munificentia Conſtantini Magni Imperatoris. Spiritum Deo reddidit 4. Id. Decembris anno Chriſti 315.

Tanti Pontificis vitam deſcripſere S. Bernardus Abbas Claræuallis, Panuinius, Ciaconius, eſtque eiuſdem mentio apud Martyrologium Romanum, Bedam, Vſuardum, Adonem, Euſebium in Chronico & alios

Mercurius ſeu Mercurinus Arboreus, alijs Gattinaria vel de Gettinaria, quem Panuinius, Mercurium de Herborio nominat, Pedemontanus, Vercellis natus, Iuriſconſultus ſuo ſeculo illuſtris à Clemente VII. Pontifice Maximo abſens, & viduus ſacra purpura inſignitus, cum Titulo S. Ioannis ante Portam Latiuam, Religionis Catholicæ ſtudio ſcripſit nonnullas Epiſtolas ad Eraſmum, quæ ex Nomenclatoris Auctore extant. Mortem

tem ſubijt apud Vindelicos Oeniponti die 5. Iunij anno ſalutis 1530. Cadauer vt ſupremis Tabulis mandauerat Gattinariam deportatum, in Æde D. Petri Canonicorum Regularium ab ſe ædificata cum hoc ſepulchrali inſcriptione, quieſcit.

D. O. M.

MERCVRIVS ARBORENSIS
De Gattinaria
Poſt multos honores,
Rariſſimaque dignitatum inſignia,
Quæ ſumma virtutum fide
Apud omnes ferè
Chriſtianos Principes promeruit,
Sedatis tandem ſuo conſilio
Totius Chriſtianitatis tumultibus,
Firmato fortunatiſſimi Caroli
Per coronationis triumphum
Cæſareo ſceptro,
Placida in pace in Iſpruch naturæ concedens
In patriam cineres referri iuſſit,
Suorumq; paucis his monumentum laborum
Poſteris adnotari.
Vixit annos LXV.
Illuſtriſſimi Ducis Sabaudiæ
Ann. nouem Conſiliarius;
Annos duodecim
Magnæ Burgundiæ Præſidens;
Annos duodecim ſupremus,
Et acceptiſſimus

Cæſari

Cæſari Cancellarius, poſtremò
Ad Cardinalatum euectus,
Gattinaiæ, Valentiæ,
Ac
Sartiranæ Comes,
Marchio Romagnani,
Heros Montisferrati,
Ac
Vtriuſque Siciliæ,
5. Iunij diem felix clauſit eſtremum
Qui viuens publicis ſemper negotiis
Oppreſſus extitit,
Moriens publicis etiam pedibus
Conculcari ſtatuit.

Tractant de hoc Cardinali Panuinius, Ciaconius, Aubcryus, Felix Contelorius, & alij apud illos.

Mag. Fr. Michael Bonellus, Pij V. Pontificis Maximi ex Gardina Sorore pronepos, natus Boſchi diœceſis Dertonenſis anno ſalutis humanæ 1541. Ordinis Prædicatorum Alumnus, non maior annis quinque, & viginti Presbyter Cardinalis ſub Titulo S. Mariæ ſuper Mineruam ab ipſo Patruo renuntiatus, legationem geſſit ſub eodem Pontifice in Hiſpania, & in Gallia; Camerarij munere aliquando functus eſt, quem tamen Magiſtratum pro cogenda pecunia contra Turcas ſpontè remiſit. Obijt in Vrbe anno ſeculi decimi ſexti octauo ſupra nonageſimum, ætatis 57. iacet in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam ſub hoc Elogio à Petro Cardinali Aldobrandino exaratò.

FR. MICHAELI BONELLO
Ordinis Predicatorum
S. R. E.
Cardinali Alexandrino

Epiſcopo Albanenſi
Pij V.
Ex eodem Ordine
Sanctiſſimi Pontificis Sororis Nepotis,
Ab eoque ad grauiſſima Sedis Apoſt.
Negocia moderanda adhibito
Legato
SacriFœderis iniendi cauſa ad Reges
In Galliam, Hiſpaniam,
Luſitanam cunctis à ſe
Pro Reipublicæ iuſceptis ſtrenuè,
Ac
Feliciter perfuncto,
Religionis, prudentiæ, integritatis,
Eximiæque virtutis laude
Præſtantiſſimo.
Vixit Annos LVI. Menſes IV.
Dies 6.
Obijt 4. Kal. Apr. MDXCVIII.
Quod illi monumentum
Ob Ioannem Aldobrandinum
Fratrem
In Scrum Collegium à Pio cooptatum;
Aliaque eius Auunculi in ſe,
Familiamq; ſuam merita
Clemens VIII. Pontifex Max.
Inſtituerat
Petrus Cardinalis Aldobrandinus
S. R. E. Camerarius

Gra-

Gratiam Patrui voluntatem ſecutus
Collegæ Opt. Poſ.
Anno MDCXI.

Tanti Cardinalis Volumina duo M. SS. Commentariorum earum rerum quæ in ſuo itinere legationum ad tres Reges acciderunt complectentia ſe vidiſſe faſſus eſt Andreas Victorellus.

Eiuſdem ordinationes pro Prouincia Romana Prædicatorum reſcripſit Fr. Vincentius Fontana in dcca Volumine, euulgato typis Romanis anno 1670.

Literas verò negotiales eiuſdem collegerunt alij, & tribus voluminibus collectas vidi ipſemet apud diuerſos; earumdem nonnullas inueniʼs apud laudatum Fontanam.

De hoc Cardinali plura referunt Auctores Dominicani, Auctarij Ciaconij, Bzouius Tomo vltimo, & alij apud eoſdem.

Michael Ghiſlerius Boſchi in liguria natus, Ordinis Prædicatorum Alumnus ex Presbytero Cardinali S. Mariæ ſuper Mineruam renuntiatus Pontifex ſub nomine Pij V. Petri nauim rexit per annos, ſex, menſ.s tres, dieſque 23. cum autem eſſet Philoſophiæ ac Theolog. æ ſtudio clarus, ſcripſit

Catechiſmum pro inſtructione Sacerdotum
Contra hæreſes tractatum
Extrauagantes Regulas Cancellariæ
Conſtitutiones, & literas Apoſtolicas
Motum proprium ſuper cenſus
Bullam in cœna Domini, & plures pro B. Virgine Maria

Deceſſit die prima Maij anno ſalutis 1572. ſepultus in Vaticano ſub hoc Elogio:

PIVS V. PONT. MAXIMVS
Religionis, ac prudentiæ vindex
Recti, ac iuſti aſſertor
Morum, & diſciplinæ reſtitutor,
Chriſtianæ Reipublicæ
Defenſor
Salutaribus editis legibus

Gallia conſeruata
Principibus fœdere iunctis
Parta de Turcis victoria
Ingentibus auſis, & factis
Pacis, bellique gloria
Maximus
Pius, Felix, Opt. Princeps.

E Vaticano Corpus translatum ad Baſilicam liberianam in qua iacet ſub alijs Elogijs; Beatis deindè adſcriptus à Clemente X.

Tanti Pontificis vitam deſcripſerunt Antonius Gabutius, Catena, Bzouius, Piò de viris illuſt. Prædicatorum, Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano, Ciaconius cum Auctarijs & alij plures.

Michael Syluius Luſitanus, nobiliſſima Comitum Portalegriæ prole natus Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum primò, tum S. Praxedis, S. Marcelli, S. Pancratij, ac S. Mariæ Transtyberim à Paulo III. Pontifice Maximo renuntiatus, eruditione ac poeſi clarus ſcriptis conſignauit.

Carmen Romæ tabulis marmoreis inſculptum.

Verſus in laudem Titi Pictoris.

Ex Alijs Vitelotij Vitelli, ſtrenuiſſimi, ac fortiſſimi ducis acta explicauit, & verſu heroico aquæ argenteæ virtutes, ac proprietates notas fecit.

Romæ vitæ coronidem impoſuit die 3. alijs 5. Iunij anno ſeculi decimi ſexti, ſexto ſupra quinquageſimum. Iacet ſine vllà memoria in S. Maria Transtyberim.

Laudant Michaelem noſtrum Auberyus, Felix Contelorius, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Andreas Peregrinus in Bibl. Hiſpanica, & alij multi.

Neapolco

N

NEapoleo Vrſinus nobilis Romanus Diaconus Cardinalis S. Hadriani ſub Nicolao IV. Romano Pontifice, Sedis Apoſtolicæ Legatus in diuerſis Prouincijs Italiæ Inſularumque adiacentium ſcripſit Vitam, & miracula B. Claræ de Cruce, aliàs dè Montefalco, cuius exemplum extat in Bibliothecis Vrbis S. Auguſtini, S. Mariæ in Vallicella, & in Monaſterio de Monte falco. Miracula etiam B. Margaretæ Cortonenſis collegit, & approbauit. è vita exceſſit Auenione anno à partu Virginis 1347.

De hoc plura habent Auberyus, Panuinius cnm Auctarijs, Sanſouinus de familia Vrſina, & alij.

Nicolaus filius Theodori patria Romanus Diaconus Cardinalis primò, tum Pontifex Maximus ſub nomine Nicolai cognomento Magni rexit Ecclefiam per menſes ſex, dieſque viginti ſupra nouennium, ſcripſitque Epiſtolas decretales quamplurimas, quarũ octoginta duas Baronius, Binius verò vnã ſupra nonaginta profert. Euulgauit etiam refutationem decem calumniarum à Græcis Latinis obiectarum, & librum Reſponſionum ad conſulta Bulgarorum. Auctorem eumdem faciunt aliqui Vitæ S. Ioannis Eleemoſynarij. Deceſſit idibus Nouembris anno ſalutis humanæ 867. cuius ſepulchrum ante fores Baſilicæ Vaticanæ poſitum huiuſmodi Epitaphio tuit inſignitum.

Conditur hoc antro ſacræ ſubſtantia carnis
Præſulis egregij Nicolai dogmate ſancto
Qui fulſit cunctis, mundumqꝫ repleuit, & Vrbem,
Intactis nituit membris, caſtoque pudore.
Quæ docuit verbis, actuque peregit opime
Sidereę plenus manſit, doctuſque Sophiæ,
Cælorum claris qua ſeruat Regna triumphis,
Vt regnet ſolijs procerum per ſecula natus.

Tantum virum ſummis laudibus proſequuti ſunt Hadrianus II. Pont. literis ad Orientales datis, Gratianus in Decret. Annales Fuldenſes, Anaſtaſius in Biblioth. Aubertus Miræus, Io: Baptiſta Egnatius, Auctor Romæ ſubterraneæ, Baronius in Annal. præter Panuinium, Ciaconium, eiuſdemq; Auct. & alios multos

Nicolaus Albanenſis Epiſcopus natione Anglicus, qui Pontificale ſolium aſcendens dictus eſt Hadrianus huius nuncupationis 4. librum vnum de Conceptione Beatiſſimæ Virginis Mariæ elaborauit, & librum alterum de ſua legatione, alium ad Petrum Pontinianum, ac homilias quaſdam, & Catechiſmaticas leges ad Populum Noruegiæ, & Sueuiæ. Romanus renuntiatus Pontifex literas miſit ad diuerſos, quarum plures extant apud Baronium, Radeuicum, Vghellium, & alios; inter quas celebres ſunt illæ ad Fredericum I. Imperatorem, & aliæ ad Henricum Angliæ Regem pro expeditione Hiberniæ.

Anagniæ anginæ morbo correptus Kal. Septembris anno Dominicæ Natiuitatis 1159. breui eſt mortuus cum rexiſſet Eccleſiam menſes octo & dies duodetriginta ſupra annos quatuor.

De hoc tractant Nicolaus Neubrigenſis Anglus hiſtoricus, Otho Saresberienſis, Otho, & Radeuicus Friſingenſes, Dodechenius, nec non Baronius in Annal. Villelmus Thyrius, Ioannes Pitſæus de Script. Angliæ, Matthæus Paris, præter Ciaconium, & alios.

Nicolaus Albergatus natione Italus, patria Bononienſis, non modò Carthuſienſis Ordinis, ſed Eccleſiæ Catholicæ ornamentum, Bononienſis Eccleſiæ Antiſtes, S. R. E. Presbyter Cardinalis in Titulo S. Crucis in Hieruſalem à Martino III. alijs V. renuntiatus, Eugenij IV. iuſſu Legatus Apoſtolicus præfuit Concilio Baſileenſi, quo munere ſanctiſſimè perfunctus Maioris Pœnitentiarij, ac Camerarij officia, nec non Archipresbyteratum Baſilicæ liberianæ ab eodem inuitus accepit, ſcripſitque.

Recollecta multæ lectionis

De inexcuſabili peccatorum nequitia Opus.

Orationes plures habitas ad Venetos, & ad Philippum Vicecomitem Ducem Mediolani pro pace.

Sermonum volumen

Epiſtolas eruditiſſimas

Tantus hic vir vſquequaque doctiſſimus, pijſſimus, ac prudentiſſimus magni nominis, magnorumque meritorum, & apud omnes illius temporis Auctores laudatiſſimus, Senis in Etruria die 9. Maij anno ſalutis humanæ 1443. ætatis verò ſuæ LXVII. calculi dolore vita ceſſit, piamque animam Deo reddidit. Corpus ad Carthuſiam Florentinam, vt ipſe mandauerat delatum, piè, religioſèque inea conditum eſt cum hoc Epitaphio.

Sepulchrum
Omni laude digniſſimi,
Et
Reuerendiſſimi Patris
N I C O L A I
Tituli S. Crucis in Hieruſalem
Presb. Cardinalis.
Hic natus Bononiæ
Primùm ex Priore Carthuſienſi
Petente Populo Bononienſi Epiſcopus,
Tum à Martino V. Pontifice
Cardinalis deſignatus
Poſt plurimas legationes
Senis diem ſuum obijt
Ætatis ſuæ anno ſexageſimo octauo.
Vir pijſſimus, mitiſſimuſque
Vitæ integritate,
Singularique virtute, omnium
Teſtimonio comprobatus.

Ad gradus eiuſdem marmorei tumuli hi ſunt verſus
Carthuſiæ me terra tegit quem ſumpſit alumnum
Ac dedit eſſe Patrem natiua Bononia tandem
Me ſibi Paſtorem tenuit de iure vocatum
Cardinis Eccleſiæ compulſus pondeſa ſumpſi
Et Crucis in Titulo mihi fulſit rubra Tiara.
Mille quatercentum denos quater egerat annos,
Tres etiam cyclus ſolaris dum Nicolaus
Mente petens Cœlum, ſub ſaxo corpore claudor.

Huius Cardinalis vitam edidere Ciaconius cum Auctarijs,
Auberyus, Panuinius, Carolus Sigonius, Ludouicus Donius
Dattichi

Dattichy Io: Baptiſta Zeno. De eodem tractant Poggius in oratione funebri, Paulus Corteſius; S. Antoninus, Theodorus Petreius in Bibliotheca Carthuſiana, Æneas Syluius in Commentarijs, Polydorus Virgilius in hiſtoria Anglicana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Bzouius in Annal. Antonius Bumaldus in Bibl. Bononien.

Nicolaus Albergatus iunior Bononienſis poſt purpuram acceptam ab Innocentio X. in Ludouiſiam familiam adſcitus. Marchionis Hugonis Albergati ex Franciſca Bouia filius, præfuit Cardinalis Titulis S. Auguſtini, tum S. Mariæ Angelorum, & hoc præſenti anno 1675. præeſt illi S. Mariæ Tranſtyberim. rexit Archiepiſcopus Bononiam; functuſque legatione eſt apud Annam Auſtriacam, Ferdinandi III. Cæſaris filiã, Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Sponſam; Summi Pœnitentiarij munus poſt obitum Horatij Cardinalis Iuſtiniani mandate ipſo Innocentio aſſumpſit, & exercet ad præſentẽ annum ſeptuageſimũ quintũ ſeculi decimi ſeptimi poſt Chriſtum natum.

Scripſit hic Cardinalis ſuę legationis hiſtoriam, quam Innocentio exhibuit, & ſeruatur M. S. in Tabulario Eccleſiæ Romanæ.

Vide de hoc plura apud Auctarios Ciaconij, & apud Nicolaum Angelum Caferrum in ſuo Syntemate vetuſtatis.

Mag. Fr. Nicolaus de Albertis, ſeu Nicolaus Martini de Albertinis natione Italus, patria Pratenſis Ordinis Prædicatorum. Epiſcopus Oſtienſis à Benedicto X. dicto XI. renuntiatus ex Epiſcopo Spoletano, vir doctiſſimus, magnoque ingenio præditus ſcriptis conſignauit opera duo, de Paradiſo vnum; Alterum de Pontificali Comitiorum habendorum ratione. Kalendis Aprilis anno ſalutis humanæ 1321. Auenione è vita exceſſit, ibidemque ſepulchro datus cum hoc Elogio.

NICOLAI PRATENSIS Epiſc. Cardinal. Oſtien.
Eloquium, bona vita virens, diſcretio fulta,
Conſilium, doctrina vigens, prudentia multa
Iſta ſilent hic, illa docent, ſunt cuncta ſepulta.
Virginis à partu numeratis mille trecentis
Annis bis denis vno, quartiſque Kalendis.
Quem genuit Pratum, Spoletum Pontificatum
Oſtia quem dedit Romano cardine gratum.

De hoc cum laude tractant Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra,

Plodius

Pio de Viris illuſtribus , Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano, & alij multi.

Nicolaus Ardinghellus Florentinus Presb. Cardinalis S. Apollinaris ſub Paulo III. Pontifice Maximo quædam, ex Michaele Pocciantio de ſcriptoribus Florentinis, politioribus literis admodum vtilia dictauit, & italica lingua Epiſtolas plures luci publicæ commiſit. reliquit etiam M. S. librum de ſua legatione pro pace ineunda mediante Paulo III inter Franciſcum primum Regem Chriſtianiſſimum, & Carolum V Cæſarem. Mortem ſubijt Romæ die 23. Auguſti anno præteriti ſeculi decimi ſexti quadrageſimo ſeptimo. Corpus iacet apud S. Mariam ſuper Mineruam ſequenti Elogio à Poſteris exornatum.

D. O. M.

NICOLAO ARDINGHELLO
Florentino
Primariæ nobilitatis Viro
Quem iuris vtriuſque conſultiſſimum,
Omnique virtute
Ac ſapienti laude præſtantem
Ad Epiſcopatum Foroſempronienſem
Prouectum
Cum Paulus III. Pont. Max.
Piceno primum
Cum honore vicariæ legationis imponeret
Deindè ſupplicibus libellis præficeret
Demum in ſacrum Cardinalium Collegium
Adoptaret,
Tituloque S. Apollinaris inſigniret
Non tam hominem,
Quam honorem cohoneſtaſſe viſus eſt.
Annos natus quatuor & quadraginta,

 In medio

In medio virtutum,
Et honorum curriculo ereptus
Acerbum ſui deſiderium
Reliquit omnibus.
Decimo Kalendas Septembris
MDXLVII.
Alexander Ruſpolus Bartholomei,
Et
Mariæ Ardinghellæ filius
Ob memorem
Erga conſanguineum optimum voluntatem
Poſuit anno poſt conditam ſalutem
MDCV.

Meminere huius Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque plures.

Mag. Nicolaus Boccaſinus Taruiſinus, Theologus magni nominis, Ordinis Prædicatorum Magiſter generalis, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ primò, mox Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus à Bonifacio VIII. renuntiatus, legationis munere functus in Polonia, Dalmatia, Croatia, Dania, Seruia, Hungaria, & Gallia ſcripſit.

Commentaria ſuper Pſalmos, Iob, & Apocalypſim

Sermones item plures ſuper Euangelium S. Matthæi

Commentaria alia ſuper idem Euangelium tribus voluminibus diſtincta, quorum ſecundum quod caput tantum comprehendit in lucem publicam tum Taruiſij, cum Venetijs prodijt ſtudio, ac notis Georgij de Lazaris Dominicani, Epiſcopi Minoris. Primum verò, & Tertium M. SS. aſſeruantur apud plures teſte Bartholomæo Burchelato.

Extant eiuſdem Epiſtolæ tres ad ſui Ordinis Patres datæ, quando illos moderabatur.

Poſt Bonifacij VIII. obitum ſub nomine Benedicti X. alijs XI. Apoſtolicam nauim Pontifex Maximus per menſes octo, & ſeptemdecim dies rexit. Obijt Peruſij anno ſuæ ætatis LXIV. ſalutis

ſalutis 1304. Nonis Iulij. Sepultus ibidem in Templo apud Prædicatores ſequenti inſcriptione exornatus.

O quam laudandus, quam dulciter eſt venerandus
Inclytus ille Pater, prius extitit Ordinis frater
Sancti Dominici, Chriſti vigilantis amici
Lector honoratus prius extitit ipſe vocatus
Effectus talis frater, quoque Dux Generalis
Sic Rom. doctrinæ poſt hæc ſit Cardo Sabinæ
Oſtia Vellitris titulis ſibi dant pia lætis,
Perficit Hungariæ legatus iuſſa Sophiæ
Fit Pater ipſe Patris, Caput Orbis, gloria fratris.
Eſt meritò dictus re, nomine vir Benedictus.
Treuiſij datus, hic primò ſed Pontificatus
Anno deceſſit, ſibi rectè ſub dicta rexit
In nonò menſe is mortis proſternitur enſe;
Hunc hominem ſanctum reddunt miracula tantum
Innumeris ſignis dant grata iuuamina dignis,
Lector habe menti, currebant mille trecenti
Quatuor appenſis dum tranſijt hic homo mitis
Menſe, die ſexta Iulij ſuat talia geſta.

Laudant Benedictum Scriptores omnes ſui Ordinis vna cum Ægidio Viterbienſi in hiſt. 20. ſecul. Panuinio in Chronico, Sancto Antonino, Raphaele Volaterrano, Oderico, Bzouio in Annal. Eccl. Bernardo in Chronico, Ciaconio cum Auctarijs, Bartholomæo Burchelaro, Georgio Lazaro in Vita, alijſque multis.

Nicolaus Brepeare, alijs Haſtifragus vide Nicolaus Epiſcopus Albanenſis.

Nicolaus Capoccius Romanus. Honorij IV. Pontificis abnepos Presbyterorum Cardinalium Senatui Clementis VI. beneficio adſcriptus rex t Epiſcopus Eccleſiam Tuſculanam, Collegiumque Peruſinum vulgò dictum *la Sapjenza vecchia* fundauit, ac Regulas pro illo ſcripſit quibus iuuenum mores inſtruerentur ad doctrinam, & pietatem; Extat eiuſdem Volumen literarum negotialium ad diuerſos; E vita migrauit apud Montem Faliſcorum die 26. Iulij anno ſeculi decimi tertij octauo ſupra ſexageſimum. Corpus Romam delatum conditum in Baſilica Xiſtina ſub hac inſcriptione.

 Nobilis

Nobilis Domini
NICOLÆ CAPOCIENI
Hic iacet corpus
Exortum de Capuccinis
Qui ſpernens vitia Chriſto vixit
Ab eius ortu;
Itaque continuans ad mortem
Vſque peregit;
Eccleſiam Romanam
Omnimodè iuſtè defendens
Tam contra Bauarum,
Quam contra impios omnes
Vnde Audemari beati Præpoſituram
In qua
Capellanias magnificè tres dotauit
Et
Epiſcopatum Vrgelli,
Et Cardinalatum
Titulo Vitalis certè almi,
Et præſularem
Sed Cardinalatum obtinuit Tuſculanæ
Peruſioque fundauit Monachorum
Viginti quinque
Conuentum, & Scholam Scolarium
His præfatorum.
In Auenione litigantes regebat in æde
Viuens abſtinentia,
Portauit ciliciumque,
In Eccleſia hac fundauit

Capel-

Capellam Capellanorum
Ter quater de ſuis paternis
Atque bonis.

In extremo verò eiuſdem lapidis hæc erant carmina exarata:

Hic vt in ſacris doctus vtroque iure peritus
Habere quod poterat pauperibus ipſe dabat
Sed migrauit ad Chriſtum eius anima ſic beata
Mille trecenteno anno ſexagintæ, & duo quater
Marmore conſcriptum firmat hoc ſe ſciuiſſe matrem.
Victor, quare per dicta laudetur opera Deus.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Felicem Contelorium, & alios.

Nicolaus de Cuſa, ſeu Cuſanus, quia natus in vrbe Cuſæ apud Moſellam fluuium in Diœceſi Treuirenſi, ex aliquibus Canonicus Regularis ob doctrinam eximiam omnium ſui æui Theologorum Princeps, à Nicolao V. Pontifice Maximo inter Presbyteros Cardinales titulo S. Petri ad Vincula cooptatus, Eccleſiam Brixienſem Epiſcopus rexit, & legationes plures ad Chriſtianos Principes geſſit. In omni diſciplinarum genere verſatus ſcripſit Opuſcula plura, ſæpius Typis admota, ac tribus voluminibus hoc ordine diſtincta.

Tomus I. continet:

De docta ignorantia
Apologiam pro docta ignorantia
De coniecturis libros duos
De filiatione Dei
De Geneſi
Idiotæ de Sapientia libros quatuor
De viſione Dei
De ludo globi myſticè libros duos
De fortuna
Compendium
Directorium Speculantis
Trialogum de Poſſeſſiuo

De

De Berillo
De dato Patris luminum
De quærendo Deum
De venatione Sapientiæ
De apice Theoriæ
De Deo abſcondito.

Tomus II.

De Annuntiatione B. Virginis Dialogum
Exercitationum libros decem
De Æqualitate
De Concordia Catholica ad Concilium Baſileenſe
Epiſtolarum librum
De pace fidei
Cribrationem Alcorani libris tribus
De nouiſſimo die

Tomus III.

De geometricis Tranſmutationibus
De Arithmeticis Complementis
De Mathematicis Complementis
De quadratura Circuli
De ſinibus, & Chordis
De vna recti, curu que menſura
Complementum Theologicum
De Mathematica perfectione.
Reparatio Kalendarij
Correctio Tabularum Alphonſi

Extant eiuſdem Sermones in feſtiuitatibus B. Mariæ ſemper Virginis, teſte Hippolyto Marraccio, & Opus pro Pontifice Rom. aduerſus Hæreticos Boemos. Obijt Tuderti in Vmbria anno ætatis ſuæ LXIII. Chriſti 1464. die vndecima, ſeu duodecima Auguſti. Corpus Romam relatum in Titulo Eudoxiæ conditum cum ſequenti ſepulchrali inſcriptione.

NICOLAVS DE CVSA
Treuerenſan.
S. Petri ad vincula Cardinalis Brixien.
Epiſco-

Epiſcopus Tuderti
Obijt MCDLXIV. 11. Auguſti
Ob deuotionem Catenarum
S. Petri
Hic ſepeliri voluit.
Dilexit Deum, timuit,
Et veneratus eſt
Ac illi ſoli ſeruiuit.
Promiſſio retributionis
Non feſellit eum.

Plura de hoc habent Ferdinandus Vghellius in Italia Sacra. Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Petrus Frizonius in Vita & alij plures.

Nicolaus de Francauilla, ſeu Farinula Gallus, Ordinis Prædicatorum Theologus eximius ſub Clemente V. Presbyter Cardinalis S. Euſebij, ſcripſit vt notat Eiſengrenius Sermonum volumen, inter quos plures de B. Maria ſemper Virgine, & Rituales libros. Deceſſit Lugduni menſe Ianuarij, vel Februarij anno ſalutis 1323. Cardnalatus duodeuigeſimo, ibidem apud Prædicatores ſepultus.

Eſt huiuſce mentio apud Auctores ſui Ordinis, nec non apud Auberyum, Frizonium, Contelorium, Ciaconium, eiuſque Auctarios, & alios plures.

Nicolaus Franciſcus à Lotharingia, Caroli Ducis Lotharingiæ germanus frater, Tullenſis Epiſcopus, Diaconus Cardinalis ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo enuntiatus, poſt nonnullos annos relicta purpura Claudiam ſecundo genitam Henrici Ducis Lotharingiæ duxit vxorem. hic iuuenis confecto Theologiæ ſtadio Tractatum de Pœnitentia in arctum collegit, & euulgauit.

Meminere noſtri Nicolai Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auctarij Ciaconij, & alij.

Nicolaus Gaddius Florentinus ex Cameræ Apoſtolicæ Clerico, & electo Epiſcopo Firmano, à Clemente VII. Romano Pontifice renuntiatus Diaconus Cardinalis S. Theodori, rexit Epiſcopus Sarlatenſem in Gallia, & Archiepiſcopus Cuſentinam in Regno Neapolitano Eccleſias; Deceſſit Florentiæ 17. Kal.

Februa-

Februarij, ſeu ex alijs die 17 Februatij anno à partu Virginis 1552. cuius cineres ſunt in pernobili ſepulchro apud Sanctam Mariam Nouellam hoc Elogio ornati.

D. O. M.

NICOLAO GADDIO
Thaddæi filio,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali
De Republica Chriſtiana
Optimè merito,
Sepulchrum hoc tanto Patruo deberi
Nicolaus Gaddius cenſuit
Anno Salutis MDLXXVII.
Vixit Annos LXI.
Menſes vij. Dies 20.
Obijt Anno Domini MDLII.
16. Kal. Febr.

Extant huiuſce Cardinalis literæ ad Cardinalem Cybo datæ in commendationem Reipublicæ Florentinæ inter Epiſtolas Principum pluries typis excuſæ.

De hoc Cardinali tractant Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Ferdinandus Vghellius in Italia Sacra, Petrus Aretinus in literis, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius in Vita, alijque quamplures.

Fr. Nicolaus Miſquinius Caracciolus, Neapolitanus patria, Ordinis Prædicatorũ, Meſſanẽſis Archiepiſcopus ab Vrbano VI. Catherina Senenſi intercedente Presbyteris Cardinalibus cũ Titulo S. Cyriaci adſcriptus pro Poſteris reliquit in ſuæ doctrinæ Teſtimonium Summam de Pœnitentia

Romæ ſanctitate illuſtris è vita excedens 4. Kal. Auguſti anno 1389. ſepulchrum habuit apud S. Mariam ſuper Mineruam, in cuius

cuius Cœnobio proximo eſt huius Cardinalis effigies cum ſequenti Epigraphe.

B. F. NICOLAVS CARACCIOLVS
Ord. Prædic.
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis.

Celebrant tantum virum Auctores omnes ſui Ordinis, nec non Rocchus Pirrhus in Notitijs Eccl. Sicil. Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs & alij.

Nicolaus Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo à Lucio II. Romano Pontifice renuntiatus, S. R. E. Bibliothecarius, hæbraicæ linguæ peritiſſimus, de Sacræ Scripturæ emendatione argumentoſum opus, aliaque plura ex Nomenclatoris Cardinalium Auctore ſcripſit, quæ adhuc in tenebris latent.

Vide Ciaconium.

Nicolaus Rodulphius Florentinus Leonis X. ex Sorore nepos, Diaconus Cardinalis SS. Viti & Modeſti in Macello Martyrum, qua Diaconia progreſſu temporis relicta, illam S. Mariæ in Coſmedin primò, tum aliam S. Mariæ in Via lata accepit, rexitque Eccleſiam Florentinam, Vibonetanam, Vicentinam, Foroliuienſem, Viterbienſem, Immolenſem, & Salernitanam, & in abſentia Pauli III. Romæ Legatus Apoſtolicus præfuit, qua in Vrbe ex improuiſo obijt die 20 Ianuarij anno ſalutis 1550. poſt obitum ſepulchrum habuit ibidem in Æde S. Auguſtino ſacra ſine vlla memoria. Extant huiuſce literæ ad Cardinales Cybo, & Corteſium pro Republica Florentina.

Celebrant Nicolaum Auberyus, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Panuinius, Felix Contelorius in Elencho Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Mag. Fr. Nicolaus Roſelli natione Hiſpanus, patria Tarraconenſis, ex Prouinciali Dominicano Aragoniæ, eiuſdemque Regni hæreticæ prauitatis Inquiſitore Presbiter Cardinalis Sancti Sixti renuntiatus ſub Innocentio IV. Romanorum Pontificum geſta pergrandi volumine complexus eſt; cuius exemplar tineis ſulcatum Romæ ſe vidiſſe in Bibliotheca Collegij Capranicenſis, & in Vaticana Henricus Caſtaneus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium affirmat.

Scripſit etiam Commentarium de quadruplici iuriſdictione Romanæ Eccleſiæ, in Regnum Siciliæ, qui M. S. aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana.

E vita exceſſit 5. kal. Aprilis anno noſtræ ſalutis 1362. & ſepultus Maioricis apud Prædicatores.

Eſt tanti viri mentio apud Vincentium Mariam Fontanam in Theatro Dominicano, apud Auberyum, Panuinium, Ciaconium, & alios.

Fr. Nicolaus à Schomberg natione Sueuus, patria Miſnenſis Ordinis S. Dominici à Paulo III. Presbyterorum Cardinalium Collegio ſub Titulo S. Sixti adſcriptus edidit Orationes quinque de admiranda Chriſti pugna cum Diabolo in Deſerto, habitas coram Iulio II. Pontifice Maximo, nec non Epiſtolas plures, quarum aliquæ cum illis Principum typis euulgatæ ſunt harum vna ad Cardinalem Caracciolum eſt de nece Thomæ Mori olim Regni Angliæ Cancellarij.

Orationem quoque compoſuit, ac dixit coram Paulo III. contra illos qui curiam Romanam euertere ſtudebant.

Decedens in Vrbe 5. Idus Septembris anno 1537. ſepulchro datus ante fores Eccleſiæ S. Mariæ ſuper Mineruam cum ſequenti Epigraphe.

Hoc vili
Quem à tergo lector habes Tumulo
Conditus eſt is,
In quo mira rerum peritia,
Catholica doctrina, atque Religio fuit,
NICOLAVS A SCHOMBERG
Natione Sueuus,
Ordinis Prædicatorum,
Card. Capuanus,
A Paulo III.
Pontifice Maximo creatus,
Quem nobilem genere ipſa nobiliorem
Dedit virtus,
Qui tanto maiori laude

Poſt

Poſt mortem efferendus eſt,
Quanto ipſe moriturus eam
Fugere curauit.
Nicolaus à Schomberg Theodorici F.
Ex Sueuis
Miſnenſibus oriundus
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Tit. S. Sixti
Presb. Card. cognomento Capuanus
Sacri Ordinis Prædicatorum
Obijt Anno Chriſti
MDXXXVII.
5. Id. Septemb.

Agunt de hoc Cardinali Vincentius Maria Fontana in ſuo Theatro, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſac. Panuinius, Aubetyus Ciaconius cum Auctarijs,& alij apud eoſdem.

Nicolaus Sfondratus patria Mediolanenſis ex Presbytero Cardinali S. Cæciliæ euulgatus Pontifex Maximus ſedit in Petri Dathedra Menſes decem,totidemque dies,aſſumpto Gregorij XIV. nomine, quo breui tempore nonnullas edidit Conſtitutiones, & literas ad Magnates Franciæ parum tempori, & rerum illius Prouinciæ ſtatui aptas. Extat eiuſdem Sermo ad Cardinales habitus in extremo vitæ, pius & elegans. Deceſſit in Vrbe Idibus Octobris anno ſalutis humanæ 1591. iacet in Sacello Gregoriano ad Vaticanum.

Tanti viri laudes explicant Vincentius Blaſius Garcia in Oratione funebri, Petramellarius, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Henricus Spondanus in Annal. Ciaconij Auctarij & alijplures

Nicolaus de Tudiſco, ſeu Tudeſchus natione Siculus, patria Catanenſis, ſeu ex alijs Panormitanus celeberrimus Iuris interpres, qui Abbas Panormitanus ſeu ſolum Abbas communiter cognominatus, Monachus S. Benedicti, Rotæ Romanæ, vel Cameræ Apoſtolicæ Auditor, Archiepiſcopus Panormitanus, & S.R.E. Cardinalis à Felice V. in Schiſmate euulgatus, licet rogatus Cardinalitiam veſtem etiam extincto ſchiſ-

 mate

mate deponere numquam voluit. E vita diſceſſit Menſe Iulio anni 1445. cōditus in Cathedrali Panormitana, ſub hoc Carmine.

Morte tua Canon, & leges, & iura Quiritum
Occubuere, iacent hoc tumulata loco.
Tu Nicolaus eras. Tudiſco ſanguine natus
Panormi Antiſtes, & Catanenſis eras.
Eugenio & Baſila diſcordi pace ruebat
Noſtra fides te duce Concilium.
Nominis, & Tituli cumulos, & laudis adeptus
Vnde tuum texit rubra Tiara caput,

Elucubrauit tantus hic vir ſuper Decreto, & Decretalibu Tomos quinque.

Super Clementin's

De auctoritate, veritate, & inſtitutione Conciliorum præſertim Baſileenſis.

Proceſſum iudiciarium, ſiue Practicum de modo procedendi, in Iudicio ciuili.

Concilia 104. duobus voluminibus diſtincta.

Diſputationes varias.

De Poteſtate Papæ, Concilij, & Imperatoris.

Repetitiones, & lecturas.

Quæſtionem in Parmenſi Gymnaſio diſputatam.

Tractatum pro auctoritate Concilij Baſileenſis.

De hoc agunt Auctorij Ciaconij, Rocchus Pyrrhus in Notitijs Eccl. Sicil. & alij multi.

Nicolaus Vbaldus, ſeu de Vbaldis nobilis Peruſinus à Paulo huius nominis II. Romano Pontifice inter Auditores ſacri Palatij connumeratus, & à Sixto IV. ſucceſſore ad Ludouicum XI. Galliarum Regem Nuncius extra ordinem in Reipublicæ Chriſtianæ commodum directus, qua legatione ad mentem Pontificis perfunctus, dum Romam rediret ad ſacram purpuram deſtinatus, & Cardinalis, ex aliquibus nominatus, in itinere fato extinctus eſt, cum pro poſteris, typis excuſos reliquiſſet Tractatus de ſucceſſ. ab inteſt. & de ſucceſſ. ab inteſt. Cler. Regul. & Secul.

Meminere Nicolai Cæſar Criſpoltus in ſua Peruſia auguſta, Tabulæ Peruſinæ, Alexander Baglionus in Diſcurſu Italica lingua habito Peruſiæ anno 1675. coram Federico Cardinali Columna.

Noua-

Nouatianus natione Italus, patria Romanus, Philoſophus Stoicus, ac S. R. E. Presbyter Cardinalis electus Pſeudopontifex ſedit contra Cornelium legitimum Pontificem, ac Succeſſores annos ſex, adhæſitque Nouato hæretico, non tamen excludendus à numero illorum qui doctrina claruerunt, nam teſte Hieronymo ſcripſit Tractatus plures, videlicet.

De Paſcate lib. 1.

De Sabbato lib. 1.

De Circumciſione lib. 1.

De Sacerdote lib. 1.

De Oratione lib. 1.

De Cibis iudaicis lib. 1.

De inſtantia lib. 1.

De Attalo lib. 1.

Epiſtolas plures ad Orientis, & Occidentis Epiſcopos, quibus Cornelij Pontificis crimina falſa enarrabat.

Occiſus Romæ tempore Sixti II. non tamen coronatus ſedit, quia extra Eccleſiæ pacem, extraque concordiam extinctus eſt.

De hoc agunt Euſebius, Baronius, Ciaconius, Panuinius, & alij plures.

Nouatus S. R. E. Presbyter Cardinalis ex aliquibus tertio ſeculo Eccleſiam Dei ſcindere, & perturbare curauit, ſe ac ſequaces mundos idest Sanctos nominando. Plura in Eccleſiam Catholicam, & Pœnitentes ſcripſit. Contra hunc Romæ Concilium celebratum ſexaginta Epiſcoporum, totidemque Presbyterorum, ac Diaconorum, Nouati doctrinam improbauit.
Vide plura apud Baronium, Panuinium Ciaconium, & alios.

Octauianus

O

OCtauianus ex Comitibus Tuſculanis, patria Romanus S.R.E. Diaconus Cardinalis, qui ad ſummum Principatum in Republica Chriſtiana aſcendens dictus eſt Ioannes huius nominis duodecimus, literas ad diuerſos miſit, præſertim ad S. Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem; illas proferunt Collectores omnes Epiſtolarum Pontificiarum. Cum autem ſediſſet Menſes IV. dieſque 6. ſupra octauum annum extinctus eſt.

Eſt huiuſce mentio apud Guilelmum in Vita, Ioſephum Mariam Suareſium Epiſcopum Vaſionenſem in Diatriba, S. Antoninum, Baronium, Frodardum, Annales Fuldenſes, Ciaconium, & alios.

Octauianus Raggius patritius Genuenſis ex Protonotario Apoſtolico a Gregorio XV. Clericus Cameræ Apoſtolicæ renuntiatus, ſub Vrbano ſucceſſore ſupremos Vrbis Magiſtratus, ſumma prudentia, & æquitate ad mentem Pontificis rexit; quare ipſe Vrbanus ex Auditore eiuſdem Cameræ, in eum contulit iamdiù promeritum ſacræ purpuræ ornamentum, & Cardinalem Presbyterum, Titulo S. Auguſtini die 16. Decembris, anno 1641. dixit, & anno ſequenti eumdem Alerienſi Epiſcopatu ornauit. Nouam hanc dignitatem pio aggreſſus ardore Octauianus ad eam illicò ſe contulit; indè tamen Romam paulo poſt reuocatus in Vrbē ſubita febre correptus, eodem die, eademque prorſus hora qua ante annos quinquaginta & vnum in lucem mundi venerat, ex ipſa diſceſſit, die videlicet 31. Decembris noſtri voluentis ſeculi 43. Poſt obitum conditus in Templo Farneſiano apud Patres Societatis Ieſu ſub hac Epigraphe.

Tibi
OCTAVIANO CARDINALI RAGGIO
Tuoque animi candori
Quem Roma rarum ſtupuit,
Et amauit
Laurentius Reggius
Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis

Ex

Ex Fratre nepos,
Thomas Apoſtolicæ Claſſis
Commiſſ Generalis
Frater
Io: Baptiſta Eccleſiaſt. Peditum legioni
Præfectus,
Alter ex Fratre nepos
Poſuere.
Obiit anno MDCXLIII.
Ætatis LI.

Huiuſce Cardinalis literas ad Vrbanum VIII. miſſas Abbas Michael Iuſtinianus Typis Romanis anno 1675. euulgauit in tertio Tomo memorabilium literarum.

Meminere Octauiani, Ferdinandus Vghellus in Ita'ia ſacra Auctor Mercurij veridici, Victorius Siri in hiſtor. noſtrorum Temporum, Gualdus in Theatro Virorum illuſtrium, Auctarij Ciaconij, Baptiſta Anſelmus, Capriata in ſua hiſtoria, Paulus Biera, & alij plures.

Octauius Aquaiuia Aragoneus Neapolitanus, Hieronymi Ducis Atriæ filius ſub Gregorio XIV. Diaconus Cardinalis Sancti Georgij in Velabro, tum Presbyter S. Mariæ de Populo, SS. Io: & Pauli, ac S. Praxedis, Archiepiſcopus Neapolitanus, in Sanctorum libris verſatus, ſed potiſſimum in S. Thomæ Aquinatis voluminibus, cuius Theologicam Summam tam diligenter & exactè perluſtrauit, vt breui duorum fermè annorum ſpatio in Epitomen eam redegerit, duobus voluminibus propria manu ſcriptis. Extant eiuſdem eruditiſſimæ literæ ad diuerſos, & Tractatus de puriſſima Conceptione B. Mariæ etiam iuxta mentem D. Thomæ. E viuis abijt Neapoli die 15. Decembris, anno Chriſti 1612. ætatis 52. ibidemque in Metropolitana Eccleſia iacet ſub hoc Elogio.

OCTAVIO AQVIVIVO ARAGONIO
Cardinali
Archiepiſcopo Neapolitano Purpura,

Et lite

Et literarum maximè Græcarum ornamento
Maiorum decora adepto
Quæ fuerunt
E Republica Chriſtiana
In Pontificijs præcipuè Comitijs,
Atque
In Auenionenſi legatione
Cum arderet Prouincia ciuilibus diſcordijs,
Arderet bello Gallia,
Strenuè cuncta executo
In omni vita ſingularem magni conſilij,
Excelſi annimi laudem promerito
D. Franciſcus Aquiuiuus,
Marchio Aquiuiuæ,
Et
D. Tarſia Nepote
Duce Hadrianorum XI.
Pronepos.
Obijt anno ſalutis MDCXII.
Natus Ann. LII.

Meminere huius Bartholomæus Cioccarellus, Ferdinandus Vghellius de Archiepiſcopis Neapolitanis, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius & alij.

Octauius Bandinus Florentinus Presbyter Cardinalis S. Sabiniæ, tum S. Laurentij in lucina à Clemente VIII. Pontifice Maximo renuntiatus, Epiſcopus rexit progreſſu temporis Eccleſias Albanenſem, Præneſtinam, Portuenſem, & Oſtienſem, vir qui eximia factorum laude, celeberrimęque virtutis, humanitatis, ac rerum publicarum adminiſtrationis gloria ſeculum noſtrum illuſtrauit, ſcripſit Orationem funebrem, quam ipſemet dixit Florentiæ in Æde Laurentiana dum agerentur parentalia Coſmo Mediceo. Aliam ego præ manibus habui ejuſdem Oratio-

nem

nem habitam Romæ in Eccleſia S. Ioannis nationis Florentinæ 13. kal. Iulij, & in lucem editam anno 1574. in funere eiuſdem Coſmi.

Ætate iam prouecta annorum 71. familiæ ſuæ poſtremus præpropera morte raptus Romæ Kalend. Auguſti anno noſtri ſeculi vndetrigeſimo. Iacet in Eccleſia S. Siluestro ſacra in Quirinali ſub hac Epigraphe.

OCTAVIVS
Epiſc. Oſtienſis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Card. Bandinus
Sacri Collegij Decanus
Quinquaginta annorum curriculo
Aſſiduis pro Sede Apoſtolica
Functus muneribus,
Ac legationibus
Proximam excogitans mortem
Anno ætatis LXXI.
Cardinalatus XXXIV.
Sepulchrum ſibi fecit
Menſe Iunio MDCXXIX.
Vixit Ann. LXX. Menſes ix. D. 5.
MDCXXIX.

Vide de hoc plura apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Ioſephum Mariam Suareſium in hiſt. Præneſt. Auctarios Ciaconij, & alios apud eoſdem.

Oddo Sueſſionenſis Abbas Vrſicampi, natione Gallus, ſub Eugenio III. Epiſcopus Tuſculanus ſcripſit ex Labbe in Bibliotheca M. SS. Opus cum Titulo Quæſtiones.

Huiuſce Oddonis Epiſcopi Tuſculani ſub Eugenio III. non meminère qui de Cardinalibus tractarunt ex profeſſo.

Odoardus, Vide Eduardus.

Odo, alijs Reginaldus Rigauult Gallus, Ordinis Minorum; Innocentij IV. ex aliquibus beneficio, Cardinalium Senatui adſcriptus elucubrauit
Commentaria in 4. libros Sententiarum
Sermones item de tempore
Quæſtiones morales, quæ aſſeruantur M. SS. Aſſiſij in Bibliotheca S. Franciſci
Tractatum de modo viſitandi Parœcias Eccleſię Rotomagenſis, qui extat M. S. in eiuſdem Eccleſiæ Carthulario.
E vita migrauit die 5. Maij anno noſtræ ſalutis 1276. ſepultus in ſua Metropoli.
Laudant Odonem Auctores Minoritici plures, Auctarij Ciaconij, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, & alij.
Odoriſius ex Comitibus Marſorum, Monachus Caſſinas, & Diaconus Cardinalis S. Agathæ in Suburra, tum Presbyter Sancti Marcelli ſub Nicolao II. ex Arnoldo Vuion ſcripſit plura, maximè vincta oratione, quæ deperdita ſunt. apud Matthæum Laurentium huiuſce Epiſtolam legimus de inuentione Corporum SS. Benedicti & Scholaſticæ.
Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Cīaconium, Florauantem Martinellum de Diaconia S. Agatæ, & alios.
Odericus de Sangro, ſeu Sangretanus natione Italus patria Campanus, Monachus Caſſinas, Diaconus Cardinalis S. Agatæ in Suburra ſub Paſcali II. ſcripſit Sermonum librum ad feſta totius Anni, & aliquos de B. Maria ſemper Virgine. Mortem obijt anno partus Virginei 1126.
De quo ijdem qui ſuperius.
Oliuerius Carafa Neapolitanus non modo Maiorum virtute, ſed propria quoque illuſtris ex Archiepiſcopo Neapolitano Preſbyter Cardinalis ſub Titulo SS. Petri & Marcellini à Paulo II. Pontifice Maximo renuntiatus, præfuit optionis titulo Eccleſijs Albanenſi, Sabinenſi, & Oſtienſi. Legatione functus apud Ferdinandum Neapolitanum Regem; Claſſem Pontificiam contra Turcas, conſtantem nonaginta, & octo Triremibus, quarum viginti quatuor à Pontifice, totidem à Ferdinando Rege Neapolitano, & quinquaginta à Veneta Republica inſtructæ fuerunt, ſupremus Dux moderatus, pro Cardinalibus degentibus in Vrbe leges aliquas, mandante Pontifice, ſcripſit, cum relatione ſuæ nauigationis, quæ M. SS. aſſeruatur in Vaticana Bibliotheca. Supremum diem obijt in Vrbe 20. Ianuarij anno
ſalutis

ſalutis 1511. Corpus conditum in Sacello à ſe exornato apud S. Mariam ſuper Mineruam cum ſequenti inſcriptione.

OLIVERII CARAFFÆ
Neapolitani
Ordinis Prædicatorum
Protectoris rari exempli
Depoſitum.
Qui vixit Ann. LXXX.
Menſes 5. Dies 10.
Sacri Senatus ornamentum
Obijt 13. Kal. Februarij religiosè,
Intrepidèq; magno ſui deſiderio
Relicto.

Celebrant Oliuerium Bartholomæus Cioccarellus; Ferdinandus Vghelllus de Epiſcopis Neapolitanis, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Mag. Oliuerius Saxo Epiſcopus Cardinalis Sabinus ſub Honorio III. ſcripſit, vt notat Eiſengrenius Conſtitutiones Synodales de Eccleſiaſtica diſciplina pro Clero Paderbonenſi. Supremum diem vidit anno ſalutis 1427.

Eſt huiuſce mentio apud Panuinium, Ciaconium, Ferdinandum Vghellium, & alios.

Otho Blancus, ſeu Candidus, Guillelmi Montis ferrati Marchionis huius nominis tertij filius, Diaconus primò Cardinalis, tum Epiſcopus Portuenſis ſub Gregorio IX. Pontifice Maximo in Mathematicis eruditiſſimus ſcripſit Opus de Aſtrologia. Lugduni anno noſtræ ſalutis 1251. è vita exceſſit, ibidemque apud Prædicatores ſepultus.

Vide de hoc plura apud Ciaconiũ, eiuſdemq́ue Auctarios, Ferdinandum Vghellium, Panuinium, & alios.

Otho Caſtellioneus natione Gallus, ex Canonico Regulari Lateranenſi Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis primò, deindè Romanus Pontifex ſub Vrbani II. nomine renuntiatus Eccleſiam Catholicam adminiſtrauit per Menſes tres, ſeu quatuor, dieſque duodeuiginti ſupra annum vndecimum, ſcripſitque.

Librum de iniurijs ſibi ab Henrico Imperatore illatis, dum in Germania Gregorij Pontificis iuſſu legationem ageret.

Item opus contra Hæreticorum dogmata

Orationem ad Ioannem Carnotenſem Epiſcopum

Sermones tres quos habuit in Concilio Claromontenſi, quorum duo reperiuntur apud Guillelmum Tyrium de ſacro bello, tertius verò M.S. in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur.

Epiſtolas plures ad Mathildem Comitiſſam, Alexium Imperatorem Conſtantinopolitanum, Iuonem Carnotenſem, & alios.

Præfationis Sabbatinæ de B. Maria Ciaconius, Locrius, & alij Auctorem faciunt noſtrum Vrbanum.

Benè functus Pontificatu Romæ vltimum Deo ſpiritum reddidit 4. Kal. Auguſti anno ſeculi vndecimi vltimo, cuius ſepulchro in Vaticano Domnizo hæc appendit carmina.

Non erat hic Rector tremulus quaſi cannula vento
Sed veluti ferrum truncabat noxia verbo.
Vt Ceruum ſerpens, hæreſum ſic turba timet, quem
Cuncta ſibi praua ſubduntur dogmata falſa,
Numquam decreuit libertas, denique Sedis
Romanæ per eum ſanctam peramat quia Petrum
Aureus Antiſtes color optimus extitit ipſe,
Scilicet Vrbanus ſanctis meritò ſociatus,
Talem væ Romæ cum perdidit Vpilionem.
Mortuus eſt Romæ dignus conditus bonore
Iulius ipſe dies binos cum dat prope finem
Anno milleno nonagenoque noueno.
A nato celſo primo de Virgine Verbo.

Huius acta ſunt apud Petrum Diaconum in hiſt. Caſſinenſi, Guillelmum Tyrium de bello ſacro, Armoinum, Auguſtinum Vicichomanum, Arnoldum Vuion, Ciaconium, Frizonium, & alios.

Otho ſiue Odo de Caſtro Rodulphi natione Gallus, Monachus Ciſtercienſis, & Epiſcopus Tuſculanus ſub Innocentio IV. Pontifice Maximo ſcripſit.

Homilias de tempore, de B. Maria Deipara, & de Sanctis quæ Cremonæ in Cœnobio Auguſtinianorum Tomis duobus diſtinctæ aſſeruantur.

Corpus depoſuit 8. kal. Februarij anno 1278. Vrbeueteri apud Prædicatores.

Laudant

Laudant noſtrum Othonem Frizonius in Gallia purpurata, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Panuinius, Ciaconius, Auberyus, & alij.

Otho Columna Romanus, Agapeto parente nobiliſſimo natus ex Diacono Cardinali S. Georgij in Velabro in Concilio Conſtantienſi Pontifex Maximus electus, Martinus V. licet III. dicendus eſſet, appellatus Petri nauim ſublato ſchiſmate rexit Menſes tres, dieſque decem ſupra annos tredecim, quo tempore Sermonem dixit in Translatione Corporis S. Monicæ B. Auguſtini Matris Oſtia Romam.

Scripſit etiam Epiſtolas varias, quæ aſſeruantur M. SS. in Tabulario Vaticano, & Vrbeuerano. Harum nonnullas Fr. Lucas Vadingus inſeruit Annalium Minorum Tomo quinto. Regulam Fratum Minorum S. Francıſci explanauit, illamque probauit.

Apoplexia oppreſſus 10. kal. Martij anno ſalutis 1431. ætatis 63. è viuis abijt.

Oſſa iacent in Laterano.

Otho Truchſeſſius natione Germanus, patria Auguſtanus Presbyter Cardinalis ſub Titulo S. Balbinæ à Paulo III. renuntiatus, rexit Epiſcopus Albanenſem, Sabinenſem, Præneſtinam, & Aguſtanam Eccleſias, ſcriptiſque conſignauit Auguſtanam Synodum; literas etiam dedit Gabrielli Flammæ quæ typis excuſæ ſunt cum alijs virorum illuſtrium. Scripſit etiam Opus contra impugnantes communionem ſub vtraque ſpecie, & aliud contra matrimonium Clericorum, & literas ad Cardinalem Farneſium; ſunt M. SS. in Collegio Romano. Supremum duxit diem in Vrbe 4. Nonas Aprilis anno ſeculi decimi ſexti tertio ſupra octogeſimum, cuius corpus in S. Maria de Anima Theuthonicæ nationis ſepulchro datum ſub hoc Elogio.

D. O. M.

OTHONI CARDINALI TRVCHESIO
Epiſc. Auguſtano
Sacri Romani Imperij
Principi integerrimo,
Et
Ab omnibus propter excellas animi dotes;
Virtu-

Virtutem, clementiam,
Affabilitatem, ingeniјque,
Et
Morum præſtantiam amabili.
Obijt anno MDLXXXIII.
De Menſe Aprilis.
Laurentius Siradeus
Donec dignum erigatur
Monumentum gratitudinis
Ergo adſcripſit.

Ab Vrbe tanti Cardinalis oſſa Dilingam translata opera Henrici Epiſcopi Auguſtani, condita in templo à ſe extructo ad Academiam ſub his carminibus

Viator & Muſa

V. *Equis in hoc Mauſoleo Dea clauditur Heros?*
M. *Delicium heu Superum, deliciumque hominum*
Otho decus patriæ fama ſuper æthera notus
Otho Theutonices gloria, lauſque ſoli
V. *Cur tumulus tantum madidus?* M. *quia mortuus Otho eſt,*
Orbis ſingultu totius, & lacrymis
V. *Ante alios quare hunc tanto dilexit amore?*
M. *Quod pius ante alios, integer ante alios.*

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Franciſcum Sacchinum in hiſtoria Soc. Ieſu, Auctarios Ciaconij, Spondanum, & alios.

Othobonus Fliſcus Ligur, ex Comitibus Lauaniæ, ex Diacono Cardinali S. Hadriani renuntiatus Summus Pontifex ſub nomine Hadriani V. Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit ſolum per menſem vnum, & dies ſeptem, vel nouem. Tantus hic vir cum eſſet Apoſtolicæ Sedis Legatus in Anglia edidit Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quas commentarijs illuſtrauit Ioannes Acton Canonicus Lincolnienſis. Pontifex verò literas ad diuerſos miſit, præſertim ad Rodulphum Cæſarem.

Non conſecratus,neque coronatus obijt Viterbij 15.kal.Octobris, anno 1276. ſepultus ibidem ad Minores cum Epitaphio.

HADRIANVS QVINTVS
Pont. Max,
Fliſca è familia nobiliſſima
Genuenſi
Menſis vnius, dierumq; IX. Magiſtratum
Pontificium gerens
15. Kal. Octobris MCCLXXVI.
Diem Viterbij functus;
Hac honorificè ſepulturà
Donatur.

Meminere tanti viri Ciaconius cum Auctarijs, Genebrardus, Bzouius, & Odericus in Annal. Vbertus Folietta in Elogijs ligurum,& Hiſtorici omnes illius temporis, cum Federico Federici in Opuſculo de familia Fliſca.

P

PAlladius S. R. E. Diaconus natione Græcus à Cæleſtino huius nominis primò in Britanniam, alijs in Scotiam miſſus aduerſus Pelagianos, renuntiatus primus Scotorum Epiſcopus, dictuſque etiam eſt eorum Apoſtolus, quòd eos, qui adhuc gentiles eſſent, ad Chriſtum conuerterit; Hibernis quoque prædicauit, ſed citò eo mortuo S. Patricius id opus abſoluit. habuit in ſocios S. Germanum Epiſcopum Autiſſiodorenſem, & Lupum Epiſcopum Trecenſem. Obijt circa annum ſalutis 431. cuius reliquiæ Foroduni in Scotia maxima in veneratione habentur. Noſter hic Palladius inter Scriptores Eccleſiaſticos connumeratur; ſcripſit namque res geſtas Sancti Ioannis Chryſoſtomi, & librum aduerſus Pelagianos, & ad Cœleſtinum Pontificem Epiſtolarum librum vnum, aliaque Græco ſermone.

Vanè aliqui ex recentioribus putant hunc illum fuiſſe Palladium Galatam, quem SS. Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem, & Epiphanius in Epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum, quæ extat in ſecundo Tomo S. Hieronymi, reprehendunt vt Origeniſtam; nam hic non expugnator Pelagij, ſed propugnator vna cum alijs Origeniſtis fuit, & ſcripſit Hiſtoriam Lauſiacam, & Paradiſum Heraclidis, in quibus deſcribuntur breuiter multorum Sanctorum vitæ, quæ non modicam præſtare poſſunt legentibus vtilitatem. Extat etiam Dialogus quidam ſub nomine Palladij in Tomo primo operum S. Ioannis Chryſoſtomi editionis Pariſienſis, qui eſt alterius Pellagij, nempè Epiſcopi Helenopoleos.

Memorant, celebrantque Palladium Apoſtolum Scotiæ Baronius in Annal. Eccl. & Spondanus in Epitome anno 429. & ſeq. Probus de rebus geſtis S. Patricij, Ferrarius in nouo Catalogo Sanctorum ad diem 27 Ianuarij, Martyrologium Anglicanum, Beda in hiſt. Angliæ lib. 1. cap. 13. Proſper in Chronico, Hector Boethius lib. 8. hiſt. Scotorum. Trithemius de Script. & alij plures.

Pandulphus Maſca Piſanus Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum ſub Lucio III. qui vitam produxit ſuam vſque ad annum ſalutis 1201. ſcripſit Pontificum Roman. Vitas à S. Petro vſque ad ſuam ætatem, hoc eſt vſque ad Innocentium III. Hoc

Panduſphi opus extare in Bibliotheca Vaticana refert Conſtantinus Caietanus in Commentarijs ad Gelaſij II. vitam alio volumine deſcripſit res à Piſanis domi, foriſque, pace, vel bello geſtis.

Vide alia apud Ciaconium, Panuinium, & alios.

Panduſphus Monachus Caſſinas S. R. E. Presbyter Cardinalis, ex alijs Epiſcopus Oſtienſis ſub Paſchali II. Poſteris tradidit Sermones de totius anni feſtiuitatibus, & de B. Maria, cuius laudes etiam rithmico carmine deuotè cecinit. deceſſit poſt annum reparatæ ſalutis 1125.

De hoc cum laude tractant Petrus Diaconus de Viris illuſtribus Montis Caſſini, Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Paſchalis Bonoſus Maximi filius ex Monacho Benedictino Presbyter Cardinalis S. Praxedis tum Pontifex Maximus ſub eodem nomine per annos ſeptem, menſes tres, dieſque 17. ſcripſit Epiſtolas plures, præſertim contra Iconomachos quas referunt multi Scriptores; ſcripſit etiam Vitam S. Antonij M. ex Bibilabbè. Obijt pridie Idus Maij anno à Chriſti natiuitate 824.

Præter Auctores qui Pontificiam, & Eccleſiaſticam hiſtoriam euulgarunt, de Paſchali agunt Eginhardus in Annal. Theganus de geſtis, & Anonymus in Vita Ludouici Imperatoris, & alij multi.

Paſchaſius S. R. E. Diaconus Cardinalis rogatu Martini Dumienſis Abbatis, latinitate donauit Vitas Patrum græcè deſcriptas ab incerto Auctore: has inuenies apud Heribertum Roſuueidum è Societate Ieſu lib. 7. de Vitijs Patrum euulgato Antuerpiæ 1615. quo autem tempore hic Paſchaſius vixerit, mihi ignotum.

Eſt huiuſce mentio apud Auctarios Ciaconij.

Mag. Fr. Paſtor de Sareſtudio, vel de Serreſcuderio Gallus, Ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis Tituli S. Clementis ſub Clemente VI. ſcripſit de geſtis ſuo tempore in Eccleſia memorabilibus, nec non commentaria in alios ſacros, & profanos libros. Cum obijſſet Auenione 5. Nonas Iulij anno noſtræ ſalutis 1354. apud Minores ſepulchrum habuit.

Huius acta referunt Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, præter Auctores ſui Ordinis.

Paulus Aretius natione Italus, patria Itrienſis ex Clerico Regulari Epiſcopus Placentinus primò, mox Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ & Archiepiſcopus Neapolitanus renuntiatus, vitæ puritate, ſanctiſſimiſque moribus priſcis Eccleſiæ Principibus

pibus comparandus ſcriptis conſignauit de Cenſibus doctas lucubrationes, Neapoli in Tabulario Clericorum Regularium M. SS. aſſeruatas; & Synodum typis Placentinis editam anno à partu Virginis 1570. Diem ſupremum clauſit Neapoli Mercurij die 17. Iunij menſis, anno 1578. ætatis ſeptimo ſupra ſeptuageſimum. Iacet ibidem apud Clericos Regulares cum ſequenti ſepulchrali inſcriptione.

Venerabili memoriæ
PAVLI DE ARETIO
Itrienſis.
Clericorum Regularium luminis,
Ac columinis,
Quem Virum ob eximiam morum
Sanctitatem,
Omnigenam virtutem, ſpectatamq; doctrinam
Carolus V.
Imperator Conſiliarium,
Vrbs Neapolis
Ad Philippum Regem Legatum,
Summi verò Pontifices
Placentiæ Epiſc.
Neapolis Archiepiſcopum,
Et
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalem inuitum licet,
Ac
Modis omnibus reluctantem
Creauerunt.
Eius nunc quod mortale fuit lapis tegit.
Spiritu Cœlo recepto.

Obijt

Obijt 15. Kal. Iulij Anno redempti Orbis MDLXXVIII. Ætatis LXVII.

Summis laudibus extollunt noſtrum Paulum Ferdinandus Vghellius, Bartholomæus Cioccarellus de Archiepiſcopis Neapolitanis, Ioſeph Silos in Hiſtoria Clericorum Regularium, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Paulus Æmilius de Cœſis Romanus Diaconis Cardinalibus à Leone X. adſcriptus cum Diaconia S. Nicolai inter imagines, Archipresbyter Baſilicæ liberianæ, & Epiſcopus Tudertinæ, Narnienſi, Ortonenſi, Typhernati,, Ceruienſi, Meſſanenſi, & Tolonenſi Eccleſijs cum præeſſet Statuta plura, & Conſtitutiones condidit in earundem vtilitatem. Antiquitatis ſtudioſiſſimus poſt Vrbis cladem cum adhuc in mole Hadriani cuſtodiretur cum Clemente, licet ſuæ res aliæ omnes in incerto eſſent, etſi de ſalute propria deſperaret nihil antiquius habuit quam curare ne antiquæ Vrbis inſcriptiones, aut Tabulæ à Militibus perderentur. Scripſit multa circa antiquitates Vrbis. Mortalem vitam deſeruit die 5. Auguſti anno à Chriſto nato 1537. ætatis 52. ſeu 56. Cadauer in Baſilica Sextina conditum ſub hoc Titulo.

D. O. M.

PAVLO ÆMILIO COESIO
S. Euſtachij Diac. Card.
A Leone X. electo
Libellis gratiæ ſignandis Præfecto
A Clemente VII.
Ad præcipuas res gerendas adhibito
Baſilicæ huius Archipresbytero.
Federicus Card. Fratri benemerenti Poſ.
Vixit Annos LVI.
Obijt anno ſalutis MDXXXVII.
Quinto Nonas Auguſti,

Meminere huius Paulus de Angelis in diſcrip. Baſilicæ libe-beriana, Ferd. Vghellius in Italia ſacra, Rocchus Pyrrhus in Notitijs Eccl. Siciliæ, Sammarthani in Gallia Chriſtiana præter Panuinium, Ciaconium, Auberyum, Io: Baptiſtam Fonteium, Bzouium, & alios.

Paulus Æmilius Rondininus Romanus Laudiuij Zacchiæ ex filia nepos, Pauli Æmilij Cardinalis Zacchiæ ex Nepote Pronepos inter Cardinales Diaconos Vrbani VIII. Pontificis Maximi beneficio ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ cooptatus, ab Alexandro VII. Aſſiſinatem in Vmbria Eccleſiam regendam ſuſcepit, in cuius regimine conuocata Synodo leges condidit opportunas, iuraque dedit ſalutaria. Eiuſdem extat typis excuſum Elogium in commendationem Thomæ de Villanoua inter Sanctos recenſiti ab Alexandro VII. Terreſtres exuuias Romæ reliquit repentina morte correptus die Dominico 16. Septembris anno à noſtra ſalute 1668. iacet in Eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam in ſepulchro Maiorum.

Eſt huiuſce Cardinalis mentio apud Gualdum in ſuo Theatro, apud Auctarios Ciaconij, & alios.

Paulus Æmilius Sfondratus Mediolanenſis Gregorij XIV. ex Fratre nepos, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, tum Epiſcopus Albanenſis confecit, Paulo V. iubente, Ritualem librum pro vniuerſa Eccleſia, ſeu antiquum correxit. Abſumptus eſt Tibure die 14. Februarij anno 1618. Corpus iacet Romæ in Eccleſia S. Cæciliæ Tranſtyberim quam mirificè ornauit, heredemque inſtituit, ſub Epigraphe, quam ipſe viuens exarauerat.

P A V L V S
Tituli Sanctæ Cæciliæ
S. R. E.
Presbyter Card. Sfondratus
Miſerrimus peccator,
Atque eiuſdem Virginis
Humilis Seruus
Hic ad eius pedes humiliter requieſcit
Vixit Annos LVII. Menſes x.
Dies 25.

Obtij

Obijt Anno MDCXVIII.
Menſe Februarij die 14.
Orate Deum pro eo.

Plura de hoc recitant Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & alij.

Pauls Æmilius Zacchia, Laudinij Cardinalis ſub Vrbano VIII. germanus frater è Vectiano Diœceſis Lunenſis Presbyter Cardinalis S. Marcelli ſub Clemente VIII. edidit laudum pro Dominico Cardinali Tuſco Epiſcopo, & Clero Tiburtino contra Cōmunitatem. Auctoris eiuſdem vidi M. S. apud ſuos pro immaculata Virginis Mariæ Conceptione iuxra doctrinam Iuriſperitorum defenſa, nec non narrationem actorum Clementis VIII. & volumina duo literarum. Romæ ſeculi decimi ſeptimi anno quinto ætatis LI. die 31. Maij obdormiuit in Domino Corpus iacet in Eccleſia ſui Tituli ſine vlla memoria.

Plura de hoc Cardinali habent Auctarij Ciaconij, & Scriptorum ligurum Collector, & alij.

Paulus Fregoſius, ſeu Fulgoſius, vel de Campo Fregoſio Ciuis, Dux, & Archiepiſcopus Genuenſis, vir egregius, & ad res magnas tractandas aptus, à Siſto IV. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis adiectus, legatuſque contra Turcas Claſſem Pontificiam rexit, ac ſæpeſæpius hoſtes Chriſtiani nominis fugauit, ſub Alexandro VI. Campaniæ legatione functus Romæ die 22. Aprilis anno 1498. deceſſit.

Extant huiuuſce literæ aliquæ ad diuerſos, quarum duas vnà cum decreto contra Lambertum de Grimaldis Mentoni Dominum inuenies apud Raphaelem à Turri in Cyrologia Controuerſiæ Finarienſis aduerſus Senatorem Lagunam, & aliæ M. SS. ſunt apud diuerſos.

Vide plura apud Ciaconium, & Auctarios, apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Vbertum Foliettam in Elogijs ligurum, Auberyum, Panuinium, & alios.

Paulus Scholaris Romanus ex Epiſcopo Cardinali Prçneſtino euulgatus Pontifex Maximus ſacrum Principatum ſanctiſſimè geſſit ſub nomine Clementis III. per menſes duos, dieſque 20. ſupra triennium, ſcripſitque Epiſtolas plures ad diuerſos, nec non animaduerſionem in Monachum proprietarium; anno ſalutis 1574 Venetis typis editæ huius literæ miſſæ ad Iſaacum Conſtantinum Imperatorem. Eiuſdem Hymnos pro Officio Compaſſionis B. Mariæ euulgauit Antonius de Balinghem in ſuo Parnaſſo

naſio Mariano. Romæ in Palatio Lateranenſi VIII. kal. Aprilis anno Dominicæ natiuitatis 1191. rebus humanis exceſſit.

De hoc tractant Io: de Columna, Franciſcus Petrarca, Platina, Simonetta, Ciaconius cum Auctarijs, Hippolytus Marraccius in Pontif. Marianis, & alij apud eoſdem.

Paulus patria Romanus, Conſtantini filius, Stephani iunioris Papæ germanus frater, S. R. E. Cardinalis à Zacharia Pontifice euulgatus, & ſummus Antiſtes à Clero electus ſcripſit Epiſtolas multas, quarum argumenta ſummatim perſtricta, & recenſita vidimus a Panuinio in Vitis Pontificum. Hæ omnes numero ſupra triginta quinque, vno Codice contentæ olim in Bibliotheca Vaticana aſſeruabantur, ſed furto inde ſublatæ ſunt. has omnes in lucem mittere promittebat Andreas Ducheſnius, illas non vidi. Hic igitur Paulus cum pontificale munus dignè, ac laudabiliter obijſſet per menſem vnum ſupra decennium, laborum mercedem à Deo recepturus euolauit in Cœlum, & ob honorem quem Paulo Apoſtolo iugiter, ac impenſè detulerat, primus in Baſilica D. Pauli apud quam pariter obierat anno ſalutis 767. die 28. ſeu 29. Iunij ſepeliri voluit ſub hoc Titulo breui.

Hic requieſcit
PAVLVS PAPA.

Celebrant Paulum Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Franciſcus Maurolycus, Petrus Galeſinus, Petrus de Natalibus, Caniſius, Anaſtaſius, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Pelagius S. R. E. Diaconus Anachoretarum Apophtegmata interpretatus eſt, & tranſtulit de græco in latinum libros 16. de vita, & doctrina ac perfectione Sanctorum Patrum, ideſt.

De profectu Monachorum librum vnum
De quiete alium
De compunctione tertium
De continentia quartum
Contra fornicationem quintum
Quod Monachus nihil debeat poſſidere ſextum
Quod nihil per oſtentationem fieri debeat ſeptimum
De patientia, & fortitudine octauum
Quod non oporteat iudicare quemquam nonum
Quod oporteat ſobriè viuere decimum

Quod

Quod ſine intermiſſione, & ſobriè oportet orare vndecimũ
De humilitate duodecimum
De pœnitentia decimum tertium
De Charitate decimum quartum
De prouidentia decimum quintum
De contemplatione decimum ſextum.

Quos libros Auctor incertus græcus ſcripſerat, noſter Pelagius latinos fecit, & Herbertus Roſuueidus è Societate Ieſu in volumine typis dato Antuerpiæ anno ſalutis 1615 ſub Titulo Vitæ Patrum libro quinto cum notis expreſſit. Quando autem claruerit Pelagius, quoue ſub Romano Pontifice, incertum.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij.

Pelagius Vicarianus Ioannis filius, patria Romanus S. R. E. Archidiaconus primùm, mox Summus Pontifex literas multas ad diuerſos miſit, quarum ſexdecim, inueniuntur apud Collectores Pontificiarum Epiſtolarum, & vna euulgata eſt Venetijs anno ſalutis 1574. cum illis Principum latino ſermone. Cum verò ſediſſet menſes decem, dieſque duodeuigini ſupra quatuor annos ex hac vita diſceſſit anno Chriſti 586. Nonis Martij ſepultuſque in Vaticano ſub his verſibus.

Terrenum corpus claudant hæc forte ſepulchra
Nihil Sancti meritis derogatura Viri
Viuit in arce Poli cæleſti luce beatus
Viuit, & hic cunctis per pia facta locis.
Surgere iudicio certus, dextramque tenentem
Angelica partem ſe rapiente manu.
Virtutum numerat titulos Eccleſia Dei
Quos ventura vt ſecula ferre queant:
Rector Apoſtolicæ fidei veneranda retexit
Dogmata, quæ clarè conſtituère Patres.
Eloquio curans errorum Schiſmate lapſos,
Et veram teneant corda placata fidem.
Sacrauit multos diuina lege Miniſtros
Nihil pretio faciens immaculata manus:
Captiuos redimens miſeris ſuccurrere promptus
Pauperibus numquam parta negare ſibi.
Triſtia participans læti moderator opimus
Alterius gemitus credidit eſſe ſuos.

Hic

Hic requieſcit
PELAGIVS PAPA
Qui ſedit Annos IV. Menſes x.
Dies 18.
Depoſuit 4. Nonas Martij.

Eſt Pelagij I. mentio apud omnes qui de Romanis Pontificibus ſcripſerunt; vide Ciaconium, nec non Baronium in Annal. & alios plures.

Pelagius iunior, genere Gothus, patria Romanus Vuinigildi filius ex S. R. E. Cardinali inconſulto Imperatore euulgatus Pontifex Maximus ad radicitus euellendum ſchiſma in Occidente ortum ob damnationem trium Capitulorum Epiſtolas decem ad diuerſos miſit, quas Seuerinus Binius collegit, notiſque illuſtrauit. Expletis annis tredecim in Pontificatu anno ſalutis 590. 6. Idus Februarij è viuis abijt.

Meminere Pelagij II. Baronius in Annal. Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, S. Gregorius in Epiſt. & in Dial. Gregorius Turonenſis in hiſtoria, S. Antoninus in Chronico, alijque plures.

Petrus de Accoltis, ſeu Accoltius natione Italus, patria Aretinus, Academiæ Piſanę publicus Doctor, Rotæ Romanæ Iudex, Epiſcopus Anconitanus, & S. R. E. Presbyter Cardinalis in Titulo S. Euſebij ſub Iulio II Pontifice renuntiatus, ab ipſo Iulio Gaditanam in Hiſpania, á Leone X. Attrebatenſem in Belgio, Cremonenſem in Gallia Ciſalpina, ab Hadriano VI. & à Clemente VII. Rauennatenſem Eccleſias regendas accepit; præfuit optionis iure Epiſcopus Albanenſi, Prenestinæ & Sabinenſi, ſupplicationum libellos ſignauit; legati quoq. Apoſtolici munere functus eſt in exercitu Pontificio contra Gallos inſtructo. E vita migrans Romæ die 12. Decembris anno à Chriſti natiuitate 1532. ætatis 78 ſepulchrum habuit in Titulo S. Euſebij, ſeu ex alijs apud S. Mariam de Populo.

Reliquit Deciſiones multas rotales, & Conſtitutiones in iure diuerſas, nec non opus contra Lutheri doctrinam.

Tractant de hoc Cardinali Auctores Galliæ Chriſtianæ, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ioſeph Maria Suarcſius Epiſcopus Vaſionenſis in Præneſt. Sfortia Cardinalis Pallauicinus in hiſt. Concilij Trident. Panuinius, Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Petrus

Petrus Aldobrandinus Romanus, origine Florentinus, Clementis VIII. Pontificis Maximi ex fratre nepos, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere à patruo renuntiatus 15. Kalendas Octobris, anno 1593. quando nondum ſuæ ætatis annum, ſecundum ſupra vigeſimum exceſſerat, legatus deindè in Galliam profectus, bellicum incendium in Sabaudia excitatum, ſopiuit, & extinxit. Paulo V. Romano Pontifice è mortalium numero auulſo, Gregorij XV. electioni maximè fauit; cuius Comitijs abſolutis, ſequenti nocte, è vita ſtatim exceſſit, quæ incidit in diem 10. Februarij, anni 1621. Corpus in Æde S. Mariæ ſuper Mineruam tumulo traditum, ſub hac Epigraphe fuit.

PETRO SABINENSI
Epiſcopo,
Cardinali Aldobrandino,
Sanctæ Rom. Eccl.
Camerario,
Archiepiſcopo Rauennati,
Magna apud Princeps gratia;
Et Auctoritate,
Perpetua animi æquitate, & conſtantia, domi
Foriſque clariſſimo, quartum legato,
Semper pio, liberali, magnifico,
Principi optimo,
Aldobrandina familia ſolemne funeris,
Publicum amoris,
Doloriſque argumentum ſoluit.
4. Kal. Iunij MDCXXI.

Huiuſce Cardinalis Apophtegmata ſub ſequentibus titulis

De Principe	De Intelligentia
De Virtute	De Memoria
De Religione	De Iuſtitia
De Prudentia	De Amicitia
De Conſilio	De liberalitate

De Magnificentia	De fidentia
De grati animi voluntate	De patientia
De veritate	De ſolertia
De Clementia	De perſeuerãtia, ſiue cõſtãtia
De vindicta	De temperantia
De fortitudine	De modeſtia
De magnanimit. ſiue honore	De felicitate

In vnum librum collegit Henricus Farneſius I. C. & artis oratoriæ in Ticinenſi Gymnaſio, regius interpres, atque Regum, Imperatorum, ac ſapientiſſimorum heroum exemplis auxit, & locupletauit, edidítque Francofurti in 8. anno, ſeculi decimiſeptimi poſt Chriſtum natum, tertio, ex Officina Matthiæ Beckeri, ſub titulo de perfecto Principe.

Meminere tanti Cardinalis Cabrera, Perramellarius, Filiuccius, Ferdinandus Vghellius Tom. 1. Ital. ſac. de Epiſc. Sabinenſibus, & Tom. 2. de Archiepiſcopis Rauennatibus, Guido Card. Bentiuolus in Memorijs hiſtoricis, Auctarij Ciaconij, Franciſcus Angelonus in hiſt. Interamnenſi, Caccinus in hiſt. Eccl. Mutius Panſa in Biblioth. Vatic. Cardinales Perronius, & Oſſatus in Epiſtolis, Petrus Matthæius in hiſt. Galliæ, Paulus Mercatus in libro de reditu Petri Cardinalis Aldobrandini ex legatione Galliarum, Aurelius Vrſus in carminibus, alijque quamplures.

Petrus de Alliaco Gallus, Regiæ domus Nauarræ Magiſter, Magnus Franciæ Eleemoſynarius ex Epiſcopo Anicienſi ſeu Podienſi, Varenſis primò, deinde Cameracenſis Præſul, demum Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni à Ioanne XXII. dicto XVIII. ordinatus, doctrina claruit ſingulari, quare Franciæ Aquila omnium voce eſt nominatus, atque aberrantium à veritate malleus indefeſſus; Edidit tantus hic vir

Quæſtiones mathematicas quatuordecim Venetijs 1531.

In quatuor libros ſententiarum libros quatuor

Quæſtiones in Exameron

De laude Sacræ Scripturæ Opus

In principium Euangelij S. Marci Commentaria

De ſtabilitate Eccleſiarum librum.

Libellum de emendatione Eccleſiæ, Patribus in Concilio Conſtantien. oblatum

Apologiam Aſtronomiæ ad Ioannem Gerſonem M. S. apud Thuanum.

Speculum conſiderationis in tres libros diſtinctum

Compendium contemplationis tribus libris comprehenſum.

De

De ſpirituali Scala
In Pſalterium
Meditationes in Pſalmos 42. & 70.
De Legibus, & Sectis Opus
De Concilio generali.
De Interdicto.
De permutatione beneficiorum
In ſeptem Pſalmos pœnitentiales Commentaria
In Cantica Canticorum Notationes.
De Oratione Dominica, & ſuper eamdem libros 2.
Super Aue Maria
Super Magnificat.
In Canticum Zachariæ
In Canticum Simeonis.
De electione Papæ.
De Exercitio ſpirituali.
De duodecim honoribus Sancti Ioſephi.
De Anima, & accidentibus eius.
Super libror Metheororum.
Concordiam Theologiæ cum Aſtronomia, & hiſtoriam.
De Sacramentis Eccleſiæ.
De poteſtate Eccleſiaſtica
De emendatione Eccleſiæ.
Sermones varios, inter quos plures de B. Maria ſemper Virg.
De duodecim Paralellis ad quæ Paralella Ptolomæi reuocat
Epiſtolas plures, de Mappa Mundi, & Imaginem Mundi, ſiue breuem Coſmographiam.
Vitam S. Petri Cœleſtini.
Deſcriptionem Regnorum totius Orbis.
Commentaria Sphoeræ Mundi. Pariſijs 1498.
In Momos, & Detractores.

Terram deſeruit Petrus die 8. vel 9. Auguſti anno ſeculi decimi quinti vigeſimo quinto. Mortuus iacet in Eccleſia Cameracenſi ſub hoc Epitaphio.

Hic iacet
Reuerendus Pater
Dominus,
PETRVS DE ALLIACO
Theologiæ Doctor

Quondam Epiſcopus Cameracenſis
Orate pro eo.

Mors rapuit Petrum, petram ſubijt putre corpus
Sed petram Chriſtum Spiritus ipſe petit.
Quiſquis ades precibus fer opem, ſemperq; memento.
Quod præter mores omnia morte cadunt.
Nam quid Amor Regum, quid opes, quid gloria durent
Aſpicis, hæc aderant tunc mihi, nunc abeunt.

Celebrant Petrum hunc Iacobus Philippus Bergomenſis in Supplimento, Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Ciaconius cum Auctarijs. & alij plures.

Petrus de Arreblaio, ſeu de Acchlaio natione Gallus, Presbyter Cardinalis ad duas Domos ſub Ioanne XXI. dicto XXII. ſcripſit contra Michaelem Ceſenatem Minoritam Opus ſub hoc Titulo Dicta Petri de Arreblaio Presbyteri S. Suſannæ. E vita migrauit anno ſalutis 1329.

De hoc tractant Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, alijque multi apud eoſdem.

Fr. Petrus d'Abuſſon natione Gallus Eques Rhodius, quem Ordinem ſupremus Magiſter poſtea ſumma prudentia rexit, Rhodumque forti pectore contra Turcas defendit, ab Innocentio VIII. Pontifice Maximo inter Diaconos Cardinales cooptatus, ereptus è viuis eſt Rhodi die 30. Iulij octogenario maior anno ſalutis 1503. cum Rhodiorum Religioni præfuiſſet ſeptem ſupra viginti annis, ac ſcripſiſſet

Relationem obſidionis Rhodi.

Literas plures ad diuerſos.

Proœmium in Volumen Statutorum Ordinis, quæ correxit.

De hoc agant Hiſtorici ſui Ordinis præter Ciaconium, eiuſque Auctarios, Panuinium, Frizonium, Auberyum, & alios.

Petrus Aureolus Gallus inſtituti Minorum Profeſſor, ac Theologus inſignis, aliquorum ſententia Cardinalium Senatui à Ioanne XXIII. adiunctus, ſcripſit

Breuiarium Bibliorum, in lucem editum Venetijs anno 1571. & Pariſijs 1581. illuſtratum, à Stephano Nouelletio Theologo Pariſienſi;

Com-

Compendium Theologiæ in octo libros diuiſum

Commentaria in quatuor libros ſentẽtiarum, quæ anno 1595. Romæ typis tradita, opera, & ſtudio Fr. Conſtanti Cardinalis Sarnani.

De Conceptione Virginis Mariæ librum, qui habetur M. S. Toloſæ in Collegio Fuxenſi, & excuſum vidimus Toloſæ anno 1314.

Librum ſub Titulo Roſæ diſtinctiones.

Sermones de tempore, & de B. Virgine

Logicam, quæ M. S. legitur in Bibliotheca Vaticana.

Tractatum de paupertate, & vſu paupere rerum.

Obijt in Gallia, incertum quo tempore, poſt annum tamen 1317.

Eſt huiuſce mentio apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, apud Fr. Lucam Vadingum de Script. Minoritis, Hippolytum Marraccinm in Bib. Mariana, & alios.

Petrus Barbus Venetus Presbyter Cardinalis S. Marci, mox Summus Pontifex, Paulus II. nuncupatus præfuit Eccleſiæ annis ſex, menſibus decem diebus viginti ſex, quo tempore Epiſtolas plures, & Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſcripſit, collegitque Regulas Cancellariæ, ac euulgauit Diplomata de feſto Purificationis B. Mariæ, & de Æde Lauretana. Ordinem quoque inſtituit in creatione noui Ducis. Morti ſuccumbens die 28. Iulij anno Verbi incarnati 1471. in Vaticano tumulatus eſt ſub hoc Elogio.

P A V L V S I I.

Venetus

Pontifex Maximus

E vetuſta Barbarorum familia

Præclaris naturæ dotibus Auunculo

Eug. IV. non inferior,

Iuſtitiæ, pietatis,

Diuinarumque cœremoniarum cultor

Religioſiſſimus;

Eccl. libertatis, maieſtatiſq; defenſor

Conſtantiſſ.

Preci-

Præcipuo pacis ſeruandæ ſtudio,
Et
Singulari omnis generis munerum
Abſtinentia,
Formidanda etiam lege Magiſtratibus
Indicta clariſſimus,
In Principes magnificentia,
In Pauperes miſericordia inſignis;
Patrioque more annonæ copiam
Vrbi dedit.
Patrimonium B. Petri, erratis Populorum
Indulgentiam,
Parentis affectu emendatis,
Et conſeruauit, & auxit,
Furentes armis Hæreticos repreſſit,
Et
Quod per difficilem rerum,
Temporum conditionem effici cum dignitate
Non poterat,
Matura cunctatione feliciter ſaluberrimè
Diſpoſuit.
Vixit Annos LIII.
Menſ. x. dies 26.
Marcus Barbus Cardinalis S. Marci
Patriar. Aquilen. Conſanguineo,
B. M. P.

Paulum celebrant Ægidius Card. Viterbienſis in hiſt. 20. ſæcul. Cardinalis Papienſis in literis, Raphael Volaterranus, Hippolytus Marraccius in Pontificibus, & in Bibl. Mariana, Ferdinandus Vghel-

Vghellius in Italia ſacra, Hieronymus Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque multi.

Petrus Bembus Patritius Venetus, Diaconus Cardinalis à Paulo III. Pontifice Maximo renuntiatus præfuit primò Diaconiæ S. Cyriaci in Thermis, tum Presbyter Titulis S. Chriſogoni, S. Clementis, vir moribus, & doctrina præſtans hæc Poſteris ſui ingenij monumenta reliquit.

Hiſtoriam Venetam libris 12. digeſtam
De immitatione ſermonis librum vnum ad Ioannem Picum
Poema heroicum quod Benachus dixit
Epiſtolarum libros ſexdecim Leonis X. nomine ſcriptarum.
Epiſtolarum familiarum libros ſex
De Æthna Dialogum
De Culice Virgilij
De Guidobaldo Feltrio, & Eliſabetha Gonzaga Vrbini Ducibus librum vnum.
Caſtigationes in aliquot loca Terentij
Epiſtolas ſelectas
Hymnum ad S. Stephanum
Pro Goritio Votum ad Sanctos, quibus ædiculam ædificauerat
Iulij II. Pontificatum carminibus deſcriptum
Carmen ſub titulo Galatea
Carminum diuerſorum volumen
Epitaphia
Patrio vero idiomate elucubrauit
Aſolanos, opus amæniſſimum
Tres libros de ratione etruſcè loquendi
Literarum volumen ad Summos Pontifices
Aliud ad primarias mulieres
Tertium ad Principes viros, & alios
Epiſtolas familiares ad Matthæum Bembum nepotem

Naturæ conceſſit Romæ die 16. alijs 18. Ianuarij anno ſalutis 1547. Corpus iacet in Titulo S. Mariæ ſuper Mineruam ſub ſequenti Epigraphe.

PETRO BEMBO PATRITIO
Veneto
Ob eius ſingulares virtutes
A Paulo III.

In

In Sacrum Collegium cooptato
Torquatus Bembus Poſ.
Obijt 15. Kal. Februarij
MDXLVII.
Vixit Ann. LXXVI. Menſ. vij.
Dies 18.

Hic BEMBVS iacet Aonidum laus maxima Phœbi
Cum Sole, & Luna vix periturus honos.
Hic, & fama iacet, ſpes & ſuprema galeri
Quam nonnulla queat reſtituiſſe dies.
Hic iacet exemplar vitæ, omni fraude carentis,
Summa iacet, ſumma hic cum pietate fides.

Eſt Bembi mentio apud Auctores omnes ſeculi decimi ſexti; Vide Ciaconium, eiuſdemque Auctarios.

Petrus Aloyſius Carafa Neapolitanus Nuncius Apoſtolicus ad tractum Rheni, & inferioris Germaniæ Prouincias ex Epiſcopo Tricaricenſi Presbyter Cardinalis in Titulo Equitij ab Innocentio X. euulgatus edidit latina lingua librum inſcriptum legatio Apoſtolica Petri Aloyſij Carafæ Epiſcopi Tricaricenſis ſedente Vrbano VIII. Pontifice Maximo ad Tractum Rheni, & ad Prouincias inferioris Germaniæ, obita ab anno 1624. vſque ad annum 1634. eiuſdem Philoſophiam in compendium coarctatam typis euulgatam vidi. Apoplexia occubuit in Comitijs Vaticanis poſt obitum ipſius Innocentij die 15. Februarij anno ſalutis 1655. ætatis 74. Corpus iacet in Vrbe apud Patres Societatis Ieſu in Templo Farneſiano ſub hoc Elogio.

D. O. M.

PETRO ALOYSIO CARAFÆ
SS, Silueſtri, & Martini
In Montibus Titulo Equitij
S. R. E.
Presbytero Cardinali

Sacræ

Sacræ Congreg. Concilij Tridentini
Præfecto.
15 Kal. Mart. Ann. MDCLV.
Ætat. LXXIV.
In ipſis Vaticanis Comitijs
E viuis erepto
Franciſc. Beluederi Princeps
Patruo Magno P.

Meminere Petri Aloyſij Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Vincentius Armannus in literis, Ioſeph Silos in hiſt. Clericorum regularium, Hanibal Adamus in Pallade purpurata; Auctatij Ciaconij, & alij multi.

Petrus Bertrandi ſenior natione Gallus pietatis laude, & doctrina clariſſimus Presbyter Cardinalis S. Clementis à Ioanne XXI. dicto XXII. renunciatus ſcripſit multa, quæ voluminibus pluribus comprehenſa anno 1575. per iniquiſſimum Furciferi cuiuſdam ſacrilegium perierunt.

In Bibliotheca tamen Patrum inueniuntur actus Diſputationis quam habuit contra Petrum Cunerium, & Tractatus de ſpirituali ac temporali poteſtate. Extat eiuſdem liber de origine, & vſu iuriſdictionum, ſiue de temporali, & ſpirituali poteſtate.

In multorum manibus eſt eiuſdem Oratio coram Rege Gallico habita de iuribus Eccleſiæ.

Vitam hanc meliore permutauit die 13. vel 24. Menſis Iunij anno ſalutis 1348. Oſſa iacent in Prioratu Montis alti ab ipſomet prope Villamnouam Auenionenſem fundato.

Plura de hoc habent Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſt. Poſſeuinus in Apparatu Sacro, Paulus Æmilius, Ganguinus Tilius in ſuis hiſtorijs, Spondanus in Annal. Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Ciaconius & alij.

Petrus Berullius, ſeu de Berulle Gallus, Congregationis Oratorij Domini Noſtri Ieſu in Gallia fundator, vir diuinæ gratiæ teſtimonijs præclarus, ac aſſiduo heroicarum virtutum exercitio ſpectatiſſimus Purpuratis Patribus ab Vrbano VIII. adſcriptus libros compoſuit varios de rebus fidei controuerſis, alios de myſtica Theologia

Diſcurſus varios de Beatiſſima Virgine Maria, & de Sanctis.

Precationes in modum voti ſeruitutis, & obedientiæ erga eamdem Virginem Mariam.

Spiritum Deo reddidit Pariſijs ſexto Nonas Octobris anno ſeculi decimi ſeptimi vndetrigeſimo.

Huius vitam deſcripſere Germanus Habert Abbas Ceriſy, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Hippolytus Marraccius in Purpurata, & in Bibl. Mariana, Auctarij Ciaconij, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, & alij multi.

Petrus S. R. E. Bibliothecarius, nec non Diaconus Cardinalis, & Cancellarius ſcripſit Epiſtolam Gregorij VI. Romani Pontificis nomine Rotlando Eccleſiæ Florentinæ Præpoſito, & aliam Clementis II. iuſſu Ioanni Archiepiſcopi Salernitano.

De illo Auctarij Ciaconij.

Petrus Bucciporci in Romano Pontificatu dictus Sergius IV. patria Romanus, Petri Martini filius, Pontifex in ordine 147. mortuus Romæ die 29. Maij anno decimo tertio ſupra milleſimum à Chriſto nato, ſepultus in Laterano, alijs in Vaticano ſub hac Epigraphe.

Quiſquis ad hæc tendis ſublimia limina lector
Et caperis tantæ nobilitate domus.
Intentis oculis aulæ percurrere paras
Deſine materias arte iuuante manus.
Lumina cum greſſu prudens arguta coercens
Reſpice ſollicitus quid vellit hic titulus.
Hic tumulata iacent Paſtoris membra ſereni
Quem Deus Eccleſiæ contulit Omnipotens.
Pauperibus panis, nudorum veſtis opima
Doctor, & egregius qui fuit in populo.
Iura Sacerdotis lætas dum videt ariſtas,
Cœtibus æquauit nauiger Angelicis.
Albanum regimen luſtro venerabilis v
Rexit, poſt ſummum ducitur ad ſolium.
In quo mutato permanſit nomine Præſul
Sergius ex Petro ſic vocitatus, erat.
Ductus mente pia Ieſu, dic, parce Redemptor
Vtq; vicem capias, dic, Deus hunc habeas.

Scripſit Epitaphium Siluestro II. Papæ, & alia ex Poſſeuino, qui illum inter Scriptores Eccleſiaſticos enumerat.

Eſt huiuſce mentio apud omnes qui tractarunt de Romanis Pontifi-

Pontificibus, nec non apud Ditmarum, S. Antoninum, Gaulterium in Tabula Chronol.

Petrus de Candia Cretenſis, quia ex Creta Græciæ Inſula oriundus, alijs Petrus Philaretus, ſeu Philargi Nouarienſis, Cruſinalio vico natus, quibuſdam etiam Bononienſis, Ordinis Minorum, ex Presbytero Cardinali SS. XII. Apoſtolorum doctrinæ, & virtutum meritis ſuffragantibus ad Summi Pontificatus apicem euectus, ſub nomine Alexandri V. Petri nauim rexit per menſes decem, & dies octo, ſcripſitque Commentaria in quatuor libros Sententiarum

Quodlibeta quædam

Sermones varios

Concluſiones in Collegio habitas

Epiſtolas ad diuerſos

Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ.

Obligationes.

Tractatum de immaculata Deiparæ Virginis Conceptione, & pro eadem Conſtitutionem.

In primum, & ſecundum ſententiarum, eſt in Bibliotheca Regia Gallica.

Moritur Bononiæ ad 5. Nonas Maij anno ſalutis 1410. ætatis 71. ſepelitur ad Fratres Minores eiuſdē Vrbis cū hoc Epitaphio.

Summus Paſtorum Alexander V. & omnis
Scripturæ lumen, ſanctiſſimus Ordo Minorum
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine Petrus.
Migrauit Anno MCCCCX.

PETRO PHILARGO
Cretenſi
Viro inſigni, Oratori gentium,
Concionatori facundiſſimo
Conſiliario Ducum,
Diſputatori acerrimo,
Pariſijs publicè Theologiam profitenti
In quatuor ſententiarum libros
Scriptori luculentiſſimo,

Qui ex Ordine Minorum ad Epiſcopatum
Vicentiæ, Nouariæ,
Archiepiſcopatum Mediolanenſem,
Cardinalatum,
Et tandem ad Summi Pontificatus
Apicem euectus,
Et
Alexander quintus appellatus,
Bononiæ moritur
Anno ſalutis MCCCCX.
Pontificatus menſe octauo.
Ioannes Baptiſta Paganus
De Zanctinis
Bono pietatis impulſus dum plura
In hoc Templo diuino cultui pararet.
Eidem diuo cultori
Hoc mauſoleum reparauit
Anno MDLXXXVIII.
Die 20. Septembris.

Vide plura apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Platinam, Bzouium, Spondanum, Odericum in Annal. Eccl. Petrum Rodulphum, Lucam Vadingum, Antonium Bumaldum in Bibliotheca Bononienſi, Genebrardum, Sanderum, Papyrium Maſſonum, Fulgoſium, Ægidium Viterbienſem, S. Antoninum, Ludouicum Iacobum à S. Carolo in Pontificia, Marraecium in Mariana Bibliotheca, & alios plures.

Petrus Capuanus natione Italus, patria Amalphitanus Diaconus primò S. Mariæ in via lata ſub Cœleſtino III. deindè ſub Innocentio III. ſucceſſore Presbyter Cardinalis S. Marcelli contexuit, Corteſio affirmante Pontificalis iuris Commentaria, nec non

non Orationem, qua Galliæ, & Angliæ Regès ad bellum Aſiaticum capeſſendum, odiaque internecina deponenda præter omnium ſpem adducti ſunt.

Romæ Petrus extinctus eſt anno ſalutis 1209. & ſepultus in Sancta Maria de Aracæli

Vide plura apud Ciaconium, einſdemque Auctarios.

Petrus de la Cappella Presbyter Cardinalis S. Vitalis à Clemente V. Pontifice renuntiatus, deindè Epiſcopus Prænestinus, & Toloſanus cum prius Carcaſſonenſem Eccleſiam adminiſtraſſet Fato correptus Auenione 16. Menſis Maij die anno 1312. Cadauer menſe Octobris ſequenti elatum ad Collegiatam Baſilicam de Capella Taillefer in ſuperiore Marchia Lemouicina, quam fundauerat ibidem humatum ſub ſequenti Epitaphio

Fama, genus, mores, quid opes proſint, & honores
Aſpice qui memor es, fuge labentes ſubitò res.
Ecce ſub hac cella ſitus eſt Petrus, plange Capella
Occubuit Stella tua, mortis flante procella.
Petrum petra tegit, eu ſub petra modo degit,
Qui leges legit, qui tota bona ſcripta peregit.
Fomes iuſtitiæ, caſtus, pius, arca ſophiæ,
Iſtius Eccleſiæ Fundator honore Mariæ,
Conſtans, & lenis, parcus ſibi, largus egenis,
Hic fuit indigenis ſua prebens, & alienis.
Conſilium regis, legum profeſſor, & æqui,
Multiplicisque gregis Paſtor fuit, anchora legis,
Præſes Agennenſis, lux Sedis Pariſienſis,
Carcaſſonenſis poſthæc Antiſtes, & enſis
Laudibus annoſa quaſi ſole nouo radioſus,
Fit magè famoſa tanto paſtore Toloſa,
Cui felix omen dedit, ac à Cardine nomen
Vrbs Prænestina, cecidit necis indè ruina,
Anno milleno, trecenteno duodeno
Traditur ad funus, colitur cum Trinus, & vnus
Pneumatis octauis obitus: . . . . ſituabis
Parce ſibi Chriſte, Michael tu ſanctè reſiſte
Demonio, triſte barathrum ne ſentiat iſte
Rex pie, Rex fortis pietas tua dulcis à mortis
Liberet à portis hunc perpetuæ peto mortis.
Amen.

Plura

Plura Petrus ſcripſit vt indicant ſuperius inſcripta carmina ſepulcralia; quæ autem eius fuerint literariæ lucubrationes, neſcimus.

De hoc Cardinali tractant Matthæus Veſtmonaſterienſis in floribus hiſtoriarum, Ferdinandus Vghellius in Syllabo Præneſtinorum Epiſcoporum Tomo 1. Ital. ſac. Bernardus Guido, Ciaconius, & Auctarij, Sammarthani Tomo 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 692. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus in Vita, & alij.

Petrus de Collemedio Campanus, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis ſub Innocentio IV. literas ſcripſit Clero, Poteſtati, Conſilio, & Communi Hadrienſi, quas refert in Tomo 1. Italiæ ſacræ Ferdinandus Vghellius. Deceſſit repentina morte anno ſalutis 1253. ſeu 1254.

Præter Vghellium meminere huius Ciaconius, cum Auctarijs, & alii.

Petrus Corſinus Florentinus ex Sacri Palatij Apoſtolici Auditore Epiſcopus primùm Volaterranus, mox Florentinus, demum Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Damaſo renuntiatus ab Vrbano V. ſub Gregorio XI. Epiſcopatum Portuenſem, & S. Rufinæ obtinuit, & defuncto Gregorio cum in creando nouo Pontifice Cardinales in partes abijſſent, ex illis Petrus fuit, qui relicto Vrbano VI. Clementi VII. Pſeudopontifici adhæſerunt, cuius fortunam Auenionem vſque ſecutus ab Vrbano excommunicatus, & Cardinalitia expoliatus eſt dignitate.

Scripſit de abolendo ſchiſmate Opuſculum

Sermonum volumen

Vitas aliquorum Summorum Pontificum

Deceſſit die 16. Menſis Aprilis anno 1405. Corpus Auenione Florentiam translatum iacet in Eccleſia principe eiuſdem Vrbis ſequenti Epigraphe annotatum.

D. O. M.

Hic iacet
Reuerendus in Chriſto Pater
Dominus
PETRVS DE CORSINIS
De Florentia

Decre-

Decretorum Doctor
Portuenſis Epiſc. Cardinalis,
Qui obijt 16. Auguſti
Anno Domini MCCCCV.
Ac anno ſui Cardinalatus
XXXVI.
Cuius anima requieſcat in pace.

Plura vide apud Panuinium, Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Ferdinandum Vghellium, & alios.

Petrus Damiani Rauennas ex Monacho Congregationis Auellanæ S. R. E. Cardinalis ſub Stephano X. dicto IX. Epiſcopus Oſtienſis, Catholicæ fidei feruentiſſimus zelator, totiuſque ſanctimoniæ non ſolum magnificus cuſtos, ſed & ſedulus propagator, vir fama ſanctitatis, ac ſcriptis Orbi Chriſtiano notiſſimus, quem ob egregiam eruditionem Hieronymum iuniorem inuenimus appellatum, plura exarauit opuſcula, quorum Syllabum hic profero.

De Eccleſiaſtica inſtitutione, & ſimoniacæ hereſeos confutatione

Opuſculum prænotatum Dominus vobiſcum, ideſt vtrum ſolitarius orans horas Canonicas debeat dicere Dominus vobiſcum, quando nemo ſit qui reſpondeat.

Epiſtolas, & homilias plures, quas typis Romæ mandauit Conſtantinus Caietanus Abbas Ordinis S. Benedicti

Diſceptationem ſuper quæſtione ſi deus eſt.
De proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio
De Officijs Pontificis
De incontinentia Epiſcoporum
De proprietate Clericorum
De perfectione Monachorum
De patientiæ gradibus.
Dialogum Iudæi, & Chriſtiani
Diſputationem de horis Canonicis
Quod nuptiæ fieri poſſunt ſine coitu
De diſciplina Monachorum
De priuilegio Eccleſiæ Romanæ
De reconciliandis hæreticis

Lamen-

Lamentationem ſuper anima immunditiæ dedita
Apolegeticorum libros tres
De incontinentia Sacerdotum librum vnum
De vxoribus Clericorum librum vnum
De inſolentia malignorum hominum
Regulam Solitariorum
De auaritia Prælatorum
Exortatorium ad Monachos
De natura quorumdam animalium
Miraculorum ſui temporis librum vnum
Declamationes quaſdam
Contra Iudæos librum vnum
De meditatione mortis librum alium
Contra Epiſcopos Symoniacos librum vnum
Vitas SS. Odilonis Cluniacenſis Abbatis, Caſſiani M. S. Floræ, & Lucillæ, Dominici Loricati, Bonifacij, & Macarij Epiſcopi Ceſennæ
Geſta Rodulphi Epiſcopi Eugubini,
Rythmos de B. Maria ſemper Virgine
Hymnos in Annuntiationis,& Aſſumptionis feſtis recitandos.
Officium B. Mariæ quotidianis diebus dicendum.
De eadem Virgine Sermones plures.

In Bibliotheca Cardinalis Sirletti extabant M. SS. hæc Petri Damiani Opuſcula.

De parentelæ gradibus diſputatio:
Alia ſuper quæſtionem qua quæritur ſi Deus omnipotens eſt, quomodo potens agere ſit quæ facta non fuerint.
De Palatio Romuli, & Philoſophi concentibus.
De ijs qui Deum blaſphemantes lepra percuſſi ſunt,
De illo quem adulterio commiſſo malignus Spiritus interemit.
De puero clauſis foribus intromiſſo.
Quod quiſquis contemptor ſeculi ad hoc debet eniti vt perueniat ad amorem Dei
De anima cum egreditur quibus doloribus coarctatur.
Sententiæ Scripturarum pro die iudicij
De Monacho qui diù caſtè in Ermo vixit, poſtea ad Monaſterium reuertens in immunditiam lapſus citò animam reddidit.
De ſepulrura Sophiæ
De Veneti Ducis vxore delicata in putredinem verſa
De ſupplicijs Damnatorum
De cœleſtis Hieruſalem beatitudine ſempiterna

Quod animæ ſupplicijs traditæ, Dominicis diebus refrigerio potiuntur.

De Monacho qui liberatus eſt ab Inferno

De Syluano filio Epiſcopi Bonden ſis

De Epiſcopo ſymoniaco qui Spiritum Sanctum nominare non poterat.

De Comite qui damnatus eſt propter poſſeſſionem Eccleſiæ quam tenebat.

De Mileſio Martyre, & de nonnullis alijs Epiſcopis qui renuntiarunt Epiſcopatum

De Canicula ante lectum B. Gregorij perempta.

De Ioanne, & Pandulpho in inferno damnatis

De xxiv. Senioribus

De vitio linguæ ad Fratres in Eremo

Liber contra Gomorrianos.

Apologeticum de contemptu mundi

De Gallica profectione

Opuſculum contra illos qui hiſtoriarum veritatem corrumpunt.

Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis ex Bibliothecis Vrbis Canonicorum Baſilicæ Vaticanæ, & Capranicenſi, nec non Caſſinenſi hæc Petri Damiani opera primus euulgauit.

Sermonem in feſtiuitate S. Eleuchadij Epiſcopi

Alium in feſtiuitate S. Georgij Martyris

Tertium de S. Rufino M. cum Hymno in eiuſdem Sancti laudem.

Quartum de S. Marco Euangeliſta.

In feſtiuitate S. Apollinaris Sermones tres.

In illo S. Fidelis M. vnum cum Hymno.

Alium in illa S. Barbatiani Presbyteri, & Confeſſoris.

Vnum in feſto S. Vitalis M.

Alium in Translatione S. Hilarij Epiſcopi

Epiſtolam ad Alexandrum Papam de Vita S. Rodulphi Epiſcopi Eugubini.

Sermonem in Vigilia Natiuitatis Domini

Alium in Natiuitate eiuſdem, & de præclaris miraculis in ea factis

Vnum de S. Stephano Protomartyre

De excellentia, & laudibus S. Io: Euangeliſtæ Sermones duos, & Hymnum.

In Epiphania Domini Sermonem

Alium de laudibus S. Benedicti
Vnum de Annunciatione B. Mariæ
Vnum in feſto S. Seueri Epiſcopi, & confeſſoris.
In Dominica Palmarum
In Cœna Domini
De Reſurrectione Chriſti
In feſtiuitate S. Victoris Confeſſoris.
In inuentione S. Crucis.
In feſtiuitate S. Antimi M.
De S. Ioanne Baptiſta
De S. Petro Apoſtolo
De SS. Petro, & Paulo Apoſtolis.
De S. Maria Magdalena
De Aſſumptione B. Mariæ cum Hymnis.
De S. Bartholomæo Apoſtolo.
De Natiuitate B. M. Sermones tres
De exaltatione S. Crucis cum Carmine
De S. Matteo Apoſtolo, & Euangeliſta.
In feſto S. Michaelis Archangeli
De S. Luca Euangeliſta
In feſto omnium Sanctorum
De dedicatione Eccleſiæ Sermones tres:
De S. Martino Epiſcopo vnum.
De S. Andrea Apoſtolo duos
De S. Nicolao Epiſcopo vnum.
Alium in feſtiuitate S. Caſſiani M.

Tandem æternitatis iter capeſſiuit anno incarnati Verbi 1012. ætatis 66.

Huiuſce laudes referunt innumeri, vide Ciaconium, eiuſque Auctarios, & alios apud illos.

Petrus Donatus Cæſius Romanus ex Clerico Cameræ Apoſtolicæ, ac Theſaurario Presbyterorum Cardinalium Senatui ſub Titulo S. Marcelli ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo adſcriptus. ad ereptiones, & fraudes omnes euitandas Regulas edidit, quas ſeruare debent Theſaurarij Apoſtolici Miniſtri in Eccleſiaſticorum ſpolijs. Eiuſdem vidi literarum negotialium Volumen M.S. & relationem breuem Belli inter Vrbanum VIII. & Principes confœderatos Italiæ.

Fato ceſſit die 30. Ianuarij anno ſalutis 1656. ætatis 71. Cuius oſſa iacent ſine vlla memoria in Titulo S. Praxedis.

De

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Auctor Mercurij Veridici. Io: Angelus Caferrus in Compendio Chronologio, & alij.

Petrus Ferrici Hiſpanus ex Concentania oppido Cataloniæ confectis ſtudijs, laurea auctus, Romam ſe contulit, qua in Vrbe à Pio II. inter Romanæ Rotæ Iudices vir doctus, & integer verſatus eſt, à Paulo II. Tiraſonenſi Eccleſiæ in Arragonia Præſul tributus, & in Germaniam ad Moguntiæ tumultus ſedandos miſſus, à Sixto IV. inter Presbyteros Cardinales titulo Sancti Sixti cooptatus, & ad res graues adhibitus, dextera Romani Pontificis nuncupatus eſt. At vix exacto primo purpuræ anno, cum ætatis ſuæ annum quartum ſupra ſexageſimum ageret, Romæ deceſſit die 15. Septembris anno 1478 & ſepultus in Clauſtro S. Mariæ ſuper Mineruam cum ſequenti Epitaphio.

PETRO FERRICI
E citeriore Hiſpania oriundo
Tit. S. Siſti
Presbytero Cardinali
Tiraſonenſi,
Quem vt ſingulare ætatis ſuæ
Integritatis,
Iuſtitiæ, doctrinæ, religionis,
Et
Virtutum omnium exemplar Principes,
Et nationes omnes Chriſtianæ Patrem,
Et Patronum.
Duo precipuè clariſſimi
Pontifices Romani
Paulus II.
Et Sixtus IV. in reſcribendo,
Ac Nauicula regenda Petri, dexteram ſuam

Appellare dignabantur.
Cum de humano genere, & hac Sede,
Summo cum labore, & patientia
Benemeritus,
Incredibili de ſe apud mortales omnes
Deſiderio relicto
Romæ obijſſet anno ſalutis
MCCCCLXXVIII.
7. Kal. Octobris
Dominicus Cardinalis
Sancti Clementis Collega,
Et
Andreas Epiſc. Tiraſonenſis
Auunculo B. M.
Vixit annos LXIII. Menſes v.
Dies x.

Scripſit, dum fuit inter Rotæ Romanæ iudices, Deciſiones plures.

De hoc tractant Ciaconius cum Auctarijs, Ludouicus Imolenſis in orat. funebri, Auberyus in Vita, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, Panuinius de Romano Pontifice Gaſpar Portegnus in Elogijs Cardinalium Hiſpanorum, & alij plures.

Petrus Flandrinus, ſeu Flandrius natione Gallus Diaconus Cardinalis S. Euſtachij ſub Gregorio XI. Scripſit Deductionem ſchiſmatis oborti in Eccleſia poſt mortem eiuſdem Gregorij, quæ extabat M. S. in Bibliotheca Cardinalis Sirletti. E vita exceſſit ſub obedientia Clementis VIII. Pſeudopontificis 10. Kal. Februarij in Vrbe Auenionenſi anno ſalutis 1381. ibidem ſepultus.

Vide Petrum Frizonium in Gallia purpurata, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Panuinium, & alios.

Petrus Franciſcus Ferrerius natione Italus, patria Bugelenſis, Epiſcopus Vercellenſis, Presbyter Cardinalis S. Cæſarij in Palatio

latio à Pio V. Pontifice Maximo renuntiatus, cum Concilio Tridentino Epiſcopus Vercellenſis intereſſet quædam in ſuæ Diœceſis vtilitatem ſcripſit, & euulgauit, vti etiam opuſculum de immaculata Virginis Mariæ Conceptione, à ſe exhibitum Patribus Concilij, vt indicant acta deſcripta, ſeu potiùs Diarium actorum in Vaticano cuſtoditum.

Romæ obijt pridie Idus Nouembris anno ſexto ſupra ſexageſimum ſeculi decimi ſexti ab Orbe redempto. Oſſa iacent in Baſilica S. Mariæ Maioris ſub hoc Titulo.

D. O. M.

PETRO FRANCISCO FERRERIO
Tit. S. Anaſtaſiæ
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Cardinali
Io: Stephani Bononien.
Et
Bonifacij Portuenſis
Cardd. ex Fratre nepoti
Philiberti Eporedienſi Cardinali
Fratri
Guido Cardinalis Vercellen.
Patruo optimo,
Optimèque de ſe merito: P.
Vixit Ann. LIII.
Obijt Anno ſalutis MDLXVI.
Pridie Id. Nouemb.

Eſt huiuſce mentio apud Ferdnandum Vghellium in Italia ſacra, Auberyum, Roſſottum, Panuinium, Felicem Contelorium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios multos.

Mag. Fr. Petrus de Foix, ſeu de Fuxo ſenior natione Gallus, Bearnenſis nobili familia natus, filius Archambaldi, & Iſabellæ

Caſtel-

Caſtelbonæ Comitiſſæ Fluſſatum, qui Ordinis Minorum Regulam profeſſus eſt in Cœnobio de Morlas, ex Theologo illuſtri Abbas Montiſmaioris primò, tum Epiſcopus Laſcarenſis, mox ad Conuennarum Sedem, deindè ad Lombarienſem, indè ad Archiepiſcopatum Aquenſem, demum ad Arelatenſem tranſijt, a Benedicto XII. alijs XIII. Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte euulgatus interfuit Concilio Conſtantienſi. Electo Martino III. ſeu V. plures legationes Sedis Apoſtolicæ, nomine geſſit. Auenione Synodum celebrauit anno 1457. cuius exemplar autographum in Archiuijs Auenionenſibus aſſeruatur. Fundauit Fuxienſe Collegium Toloſæ pro viginti quinque Adoleſcentibus Iuri Canonico, & Ciuili operam dantibus, cui copioſam ſuam M. SS. Bibliothecam legauit.

E vita migrauit ſub Paulo II. anno ſalutis 1464. Cardinalatus 56. die 13. Decembris, & ſepultus ad Minores Auenionenſes cum ſequenti Epigraphe.

Sub hoc humili loco iacet
FR. PETRVS DE FVXO
Creatus Cardinalis
Anno ætatis ſuæ XXII.
Qui
In Concilio Conſtantienſi
Cum Cardinalibus,
Et
In Hiſpania Legatus Schiſma deleuit,
Et
Duos Hiſpaniæ Reges confederauit.
Tiaram B. Silueſtri Lateranenſi
Eccleſiæ reſtituit, Auenionem,
Et diuerſas Prouincias
Vt Pater Patriæ annis XXXII.
Rexit,
Iacobi & Salome Marias altè locauit.

Tandem

Tandem anno MCCCCLXIV.
Menſe Decembris
Animam Cœlo reddidit,
Quam Sancta ſuſcepit de Terra Lucia
Pauli Pontificis Maximi
Anno primo.

Meminere huius Auctores plures ſui Ordinis, nec non Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Petrus iunior de Fuxo, ſeu de Poix natione Gallus, Petri ſenioris nepos ex Epiſcopo Venetenſi Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Sixti, à Sixto huius nuncupationis IV. Romano Pontifice adſcriptus adminiſtrauit Epiſcopus Adurenſem, & Baionenſem in Gallia, Panormitanam in Sicilia, & Merlienſem Eccleſias. Romæ die 10. Auguſti anno ſalutis 1490. terram deſerens, tumulum habuit in Titulo S. Tryphonis, ſeu ex alijs in S. Maria de Populo. Reliquit excuſa priuilegia Clericorum Nauarræorum, & Sacerdotum Pampelonenſium à ſe in vnum collecta; Extabat etiam apud Card. Sirletum eiuſdem Deductio materiæ ſchiſmatis, oborti poſt mortem Gregorij XI. Præter ſuperius recenſitos Auctores meminere huius Rocchus Pyrrus, Contelorius, & alij.

Petrus cognomento Guillelmi S. R. E. Diaconus Cardinalis ſub Alexandro II. poſt Anaſtaſium Bibliothecarium ſcripſit Romanorum Pontificum vitas, à Nicolao I. vſque ad Paſcalem II. Bibliothecarij, & Cancellarij Apoſtolici munere perfunctus Clementi III. Pſeudopontifici adhæſit; obijt Presbyter in Titulo S. Sabinæ, incertum quo tempore.

Vide plura apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, & alios.

Petrus Gundiſaluus de Mendoza natione Hiſpanus, Pontificij, Cæſarijque iuris Doctor à Sixto IV. Pontifice Maximo cardinalitia dignitate inſignitus, præfuit diuerſis temporibus Diaconijs S. Mariæ in Dominica, & S. Mariæ in Porticu, tum Preſbyter Titulo S. Crucis in Hieruſalem, rexitque Archiepiſcopus Hiſpalenſem primò, mox Toletanam Eccleſias, & legatus Apoſtolicus Hiſpanicas res ſacras adminiſtrauit, ac Salluſtij hiſtoriam

hiſtoriam eleganti ſtylo in patria lingua conuertit. Scripſit etiam Chronicon, cui Petrus de Salazar Toletanus Canonicus Prologon addidit. Migrauit è vitâ Caracæ die 11. Ianuarij, ſeu ex alijs 11. Kal. Februarij anno ſalutis 1495. ætatis 67. Cineres Toletum tranſlati in Eccleſia Principe tumulo dati cum ſequenti Titulo.

PETRO MENDOCIÆ
Cardinali Patriarchæ
Archipræſuli de Eccleſia
Benemerenti
Obijt Anno MCCCCXCV.
Tertio Idus Ianuarij

Cardineo quondam PETRVS luſtratus honore
Dormit in hoc ſaxo, Nomine qui vigilat.

Vide reliqua apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Auberyum, Panuinium, & alios.

Petrus de Luna natione Hiſpanus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin ſub Gregorio IX in ſchiſmate contra Bonifatium IX. legitimum Pontificem, & alios ſub nomine Benedicti XII. alijs XIII. Petri Sedem per annos triginta occupauit, ferè ſem per exul à Cardinalibus ſuæ obedientiæ. Exceſſit tandem è vita anno ſalutis 1423. ſeu ex alijs 1424. die 23. Maij cum Poſteris reliquiſſet.

Tractatum de Poteſtate Papæ, & Concilij.

Conſolationes aduerſus omnes caſus vitæ humanæ

Et Epiſtolas plures ad diuerſos.

De hoc tractant Ioannes Mariana in hiſtoria hiſpanica, Acta Conciliorum Piſani, & Conſtantienſis, S. Antoninus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Petrus Maurocenus Patritius Venetus, clarus ſui æui artium Doctor, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin à Gregorio XII. renuntiatus ſcripſit.

Super Sextum Decretalium Commentaria quæ in Biblioteca Vaticana aſſeruantur.

Determinationes item varias, & alia legum interpretamenta euulgauit.

Deceſſit apud Gallicanum oppidum Diœceſis Præneſtinæ dum rediret à legatione Neapolitana, die 11. Auguſti, anno ſalutis 1424. Corpus Romæ iacet in Eccleſia S. Mariæ antiquæ cum hac Epigraphe.

Hic iacet
Præclaræ memoriæ
Reuerendiſſimus in Chriſto Pater
DOMINVS PETRVS
S. Mariæ in Dominica
Diaconus
Cardinalis Venetiarum
Iunior nuncupatus
Qui obijt Anno Domini
MCCCCXXIV.
Die 11. Menſis Auguſti
Cuius anima requieſcat in pace.

Qui plura de hoc deſiderant percurrant Panuinium, Ciaconium cum Auctarijs, Auberyum, Contelorium Trithemium, & alios, quos hi proferunt.

Petrus Monachus Caſſinas Diaconus Cardinalis S. Hadriani, & S. R. E. Bibliothecarius ſub Paſcali II. Pontifice Maximo, elucubrauit Paſchalis II. Vitam

Et librum quartum Chronicorum Caſſinenſium.

De hoc Ciaconius cum Auctarijs, & Scriptores omnes Caſſinenſes.

Petrus Ottbonus Patritius Venetus ex Auditore Rotæ Romanæ Innocentij X. Pontificis Maximi beneficio Cardinalium Senatui adſcriptus cum Titulo S. Saluatoris in Lauro, & ab Innocētio X. Epiſcopus Brixienſis renuntiatus, ſub Clemente IX. pro-Datarius annuente ipſo Alexandro Pontifice poſt aliquot annos nunciumremiſit Eccleſiæ Brixienſi, relictoque S. Saluatoris Titulo illūS. Marci obtinuit, ediditque Deciſiones quas elucubrauerat in

munere Auditoris Rotæ, & dum adoleſcens eſſet ſcripſit tractatum de componendis Datariæ debitis, nondum impreſſum Huius literas vernacula lingua Michaeli Abbati Iuſtiniano ſcriptas typis Romanis euulgatas inuenies in tertia parte memorabilium literarum eiuſdem Abbatis Iuſtiniani floret doctrina, probitate vitæ, rerumque publicarum praxi, hoc præſenti anno ſeptuageſimo ſexto, voluenti ſeculi decimi ſeptimi à Chriſti natiuitate.

Plura de hoc habent Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & alij.

Petrus Paulus Pariſius Cuſentinus natione Italus, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ à Paulo III. euulgatus, cum eſſet vtriuſque iuris interpres celeberrimus edidit

Conſiliorum volumina quatuor

In ſecundum Decretalium lecturas

Commentaria in quatuor iuris ciuilis poſt medianas lectiones.

Animam efflauit Romæ die 9. Maij anno quinto ſupra quadrageſimum ſeculi decimi ſexti. Sepultus ad S. Mariam Angelorum, cuius virtutes, & ampliſſimas animi dotes recenſet hæc ad eius marmoreum tumulum appoſita inſcriptio.

D. O. M.

PETRO PAVLO PARISIO
Cuſentino
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb Card.
Qui ob celebrem Iuriſprudent. famam
In nobiliſſimæ Italiæ Cathedr. ſpectatam
A Paulo III. Pont. Max.
Bononia Romam accitus
Apoſt. primum Cam. Aud. creatus,
Mox in ampliſſ. Ord. adſcriptus,
Signandiſque gratiæ
Libellis

Præpoſ.

Præpoſ. Sacri tandem Concilij Trident.
Legatus,
Et Præſes electus,
Vt viuens ætati ſuæ, Chriſtianæq; Republicæ
Præſenti conſilio atque virtute
Ita poſt mortem præclariſſ.
Editis ingenij,
Atque doctrinæ monimentis
Plurimum veritati profuit.
Obijt 5. Idus Maij
Anno ſalutis MCCCCCXLV:
Ætatis ſuæ LXXII.
Flaminius Pariſius Epiſc. Bituntinus
Gentilis ſui ſtudiorum,
Et gloria æmulus, Patriæ,
Et Familiæ ornamanto fieri
Teſtamento mandauit
Qui vixit annos XL.
Fabricius Gaieta, & Proſper Pariſius
Execut. Ann. MDCIV.

Corpus humo tegitur
Fama per ora volat
Spiritus aſtra tenet.

Plura de hoc narrant Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Panuinius, & alij.

Petrus Pazmany, ſeu Pazmannius natione Hungarus, patria Varadienſis, gente Tranſiluanus Societatem Ieſu à prima ætate complexus, tantos fecit in literis progreſſus, vt in Academia Græcenſi Philoſophiam, ac Theologiam publicè docuerit. Ex Sacerdote, & Profeſſo Societatis Archiepiſcopus Arigonienſis,

Hungariæ Primas primùm, deindè ab Vrbano VIII. 13. Calendas Decembris anno ſeculi decimi ſeptimi vndetrigeſimo Romana purpura donatus eſt. Legatus à Ferdinando Cæſare ad ipſum Vrbanum Pontificem pro Germanicæ Eccleſiæ emolumentis in ſui admirationem conuertit ipſam Vrbem. Societatem, quam Matrem ſuam, & cognouit ſemper, & appellauit, benigniſſimè fouit, & beneficijs proſecutus eſt. Poſſonienſe Collegium, & ſtruxit, & cenſu donauit; Iaurienſe adiuuit; in Homonenſe Patres reſtituit; Tyrnauienſe, & locupletauit prius, & inſigni Academia auxit; Collegia educandæ iuuentuti in Cleri Hungarici Seminarium, Viennæ, & Tyrnauiæ fundauit, & Religioſis ſui Ordinis adminiſtranda attribuit. At cum noua in dies moliretur ad amplificãdam Dei gloriam & Eccleſiæ Romanæ dignitatem, paucis poſt piiſſimum Cæſarem Ferdinandum II. diebus, Poſonij dum Viennam ad nouum Cæſarem Ferdinandum III. conſalutandum maturat, in morbum incidit, quo breui conſumptus eſt, die 19. Martij anno ſalutis 1637. cum ſcripſiſſet Hungaricè

Libellum precatorium, ſæpius recuſum.

Rationes x. apodicticas, quibus vanitas lutheranæ hæreſis oſtenditur.

Libellum anonymum v. Epiſtolarum, contra Petrum Aluinczum, Prædicantem Caſſouienſem, qui fidei Catholicæ veritatem auſus fuerat coram ſuis oppugnare.

Reſponſionem Chriſtianam de Cultu Sanctorum, & eorum pro nobis intercesſione, aduerſus Nicolaum Gyarmathi. Græcij 1667.

Reſponſionem ad librum Petri Aluinczi. 1609.

Conſultationem de fide capeſſenda, ſub nomine Michaelis Vereſmarti. Poſſonij 1611.

Hodegum, ſeu Ducem ad veritatem, in quo oſtenditur vanitas Sectarum, Catholicæ fidei aduerſantium Tomis tribus; quibus acceſſit Appendix v. Quæſtionum Epiſtolicarum in fol. Poſſonij. 1613.

Contra Fridericum Balduicum 1627.

Lene medicamentum Ciuitati Varadienſi exhibitum aduerſus morſus luporum, cum defenſione libri de ſcriptura Sacra, & Eccleſia, ſcripti ab Archiepiſcopo Strigonienſi, ſub nomine Stephani Sallaij. 1630. in 4.

Rationes

Rationes, ob quas meritò Nobilis quidam à nouis Sectis ad veram fidem tranſierit. In 4. Ibidem 1631.

Conciones in Euangelia omnium Dominicarum, & aliquot Feſtorum per annum. In fol. Ibidem 1636.

Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti lib. 4. à ſe conuerſos. Hæc Hungaricè; at latinè ſcripſit.

Diatribam Theologicam de viſibili Chriſti in terris Eccleſia, aduerſus poſthumum Guilielmi VVitakeri librum, contra Cardinalem Bellarminum. In 4. Græcij Styriæ 1605.

Paniculum Papporum Apologia Solmenſis Conciliabuli, in quo Prædicantes iura Eccleſiæ Catholicæ, & dogmata fuerant auſi infringere. Cui acceſſit.

Appendix, qua Anonymi Sichophantæ criminationes in Pontificem Maximum, Rhythmis Pannonicis conceptæ, iugulantur, Logos Alegos contra Velicatores Peniculi papporum. Poſſonij in fol. 1613.

Vindicias Eccleſiaſticas, aduerſus decreta Principis Berlen in Clerum Hungariæ editas. Viennæ in 4. typis VVolfangi Schump. 1620.

Acta, & Decreta Synodi Diœceſanæ Strigonienſis celebratæ Tyrnauiæ die 4. Octobris 1629. & Poſonij in 4. in Aula Archiepiſcopali.

Diſſertationem An vnum aliquid ex omnibus lutheranis dogmatibus, Romanæ Eccleſiæ aduerſantibus Scriptura ſacra contineat. In 4. Poſſonij 1631.

Vidi eiuſdem literas ad diuerſos.

Meminere noſtri Cardinalis Auctarij Ciaconij, Philippus Allegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu, nec non rerum Hungaricarum Scriptores.

Petrus de Prato natione Gallus ex Archiepiſcopo Aquenſi à à Ioanne XXI. alijs XXII. Pontifice Romano Presbyter Cardinalis S. Pudentianæ, & S. R. E. Vicecancellarius euulgatus, rexit Epiſcopus Eccleſiam Prænestinam, legationeque functus in Gallia vna cum Anibaldo de Ceccano ad ſtabiliandam inter Philippum Francorum, & Odoardum Angliæ Reges optatam ab omnibus pacem. Vir vltimæ ſenectutis deceſſit Auenione ex epidemia Menſe Maij anno Chriſti 1361. quo redux fuerat à legatione Gallica, cum ſcripſiſſet librum de laudibus B. Mariæ ſemper Virginis, quem ferunt aſſeruari M. S. in Bibliotheca Abbatiæ S. Victoris Pariſienſis.

Celebrant tantum vtium Auctores Galliæ Chriſtianæ ; & Purpuratę, Auberyus, Panninius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Petrus Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni natione Gallus ſcripſit pro Eccleſia Catholica contra Albigenſes hæreticos prçclaram Epiſtolam.

Deceſſit ſub Alexandro III. Pontifice.

Tractant de hoc Auctarij Ciaconij, & alij.

Petrus Romanus, Epiſcopus Portuenſis ſub Paſchali II. Pontifice Maximo literas plures ad diuerſos nomine publico miſit.

Vide Ciaconij Auctarios, Vghellium, & alios.

Mag. Fr. Petrus Rogerij Monſtrius natione Gallus Monachus S. Benedicti, Doctor Theologus Pariſienſis, tenaciſſima memoria prædirus, diuinis literis inſtructiſſimus, iuriſque pontificij ſcientia perpolitus præfuit Senonenſi, & Rotomagenſi Eccleſiæ, Presbyter Cardinalis Titulo SS. Nerei, & Achillei, & ſub nomine Clementis VI. Pontifex Eccleſiæ Catholicæ, ediditque.

Sermones varios

Collationum librum vnum

Epiſtolarum volumen; illas ad Albertum Sueciæ Regem euulgauit Io: Vaſtonus Gothus in Viti Aquilonia.

In canonizatione S. Iuonis librum vnum, quem refert Laurentius Surius ad diem 19. Maij.

Miſſam pro mortalitate.

Caroli Regis approbationem

Sermones de feſtis B. Mariæ ſemper Virginis quos M. SS. extare Toloſæ ex noua Bibliotheca M SS. librorum Philippi labbè collegit Hippolytus Marraccius in Appendice ſuæ Bibliothecæ Marianæ.

Tractatum de Annuntiatione B. Mariæ ſuper illa verba Tota pulchra es, & alia, Hæc eſt Domus Domini.

Alias etiam reliquit ex Trithemio, & Geſnero doctas lucubrationes.

Cum Apoſtolicum ſolium annos decem, & menſes ſeptem tenuiſſet præcipiti morbo ex humanis ereptus eſt anno à partu Virginis 1323. die Decembris menſis ſexta. Corpus iacet in Cœnobio Caſæ Dei in quo vixerat olim Monachus.

Debitis laudibus celebrant Clementem Auguſtinus Patritius de ritibus S. R. E. Sabellicus, Ægidius V terbienſis, S. Antoninus, Odericus, Papyrius Maſſonus, Hocſemius, Frizonius, Panuinius, Ciaconius, & alij multi.

Petrus

Petrus Rogerij Monſtrius, alijs Petrus Comes Bellifortis, Clementis VI. ex fratre nepos, Baldi Peruſini diſcipulus, natione Gallus, ex Diacono Cardinali S. Mariæ nouæ omnium ſuffragijs electus Pontifex ſub nomine Gregorij XI. Pontificatum geſſit ſupra annos ſeptem, menſes duos, dieſque vndetriginta, quo tempore Epiſtolas multas, & Conſtitutiones nonullas euulgauit, quarum quinque refert Thomas Vualſingamus. Deceſſit Romæ non ſine Italorum omnium lacrymis die 27. Martij anno Domininicæ natiuitatis 1378. Corpus in Diaconia S. Mariç nouæ iacet ſub hac Epigraphe.

CHR. SAL.

GREGORIO XI. LEOMOVICENSI
Humanitate, doctrina,
Pietateq; admirabili
Qui
Vt Italiæ ſeditionibus laboranti mederetur
Sedem Pontificiam
Auenioni diù translatam
Diuino afflatus numine,
Hominumque maximo plauſu
Poſt annos ſeptuaginta
Romam feliciter reduxit
Pontificatus ſui Anno VII.
SPQR. tantæ Religionis,
Et beneficij non immemor
Gregorio XIII.
Ponti ficiOptimo Maximo
Comprobante
Anno ab Orbe reddempto
CIϽ IϽ. LXXXIV.
Pol.

De hoc

De hoc Pontifice tractant Ciaconius cum Auctariis, Niemus, Platina, Panuinius, Simonetta in Vita, Froſſardus in Galliæ, Spondanus, Bzouius, Odericus in Eccl. Annal. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Hippolytus Marraccius in Pont. & in Bibl. Mariana, alijque quam plures.

Petrus de Taillefer, aliàs de la Cappella. Vide ſuperius Petrus de la Capella.

Meminere Petri Cardinalis Taillefer Ciaconius cum Auctarijs, Bernardus Guido Guillelmus in hiſtoria Occitaniæ, Ioſeph Maria Suareſius in Præneſt. hiſt. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Stefanus Balluze in Antifrizonio. Raynaldus in Annal. Eccl. Vadingus in Minorum Annal. Carolus Sauſſerius in Annal. Aurelian. Symphorianus Guion in hiſt. Aurelianen. Io: Chenutius, Iacobus Serartius, Claudius Robertus, ac Sammarthani in Gallia Chriſtiana, alijque quamplures.

Petrus Tarantaſienſis Ordinis Prædicatorum, ex Archiepiſcopo Lugdunenſi Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Maior Pœnitentiarius ſub Gregorio X. poſt cuius obitum Petri Cathedram aſcendens dictus eſt Innocentius V. vir magno ingenio, & grauiſſimorum artium capaci ſcripſit

Commentaria in Geneſim
In Exodum
In leuiticum
In Numeros
In Deuteronomium
In Pſalterium
In Cantica Canticorum
In Lucam, & ſuper Miſſus eſt Angelus, & in Canticum Magnificat.
In omnes D. Pauli Epiſtolas
In quatuor libros ſententiarum
Compendium Theologicum in quo doctrinam totam Doct. Thomæ Aquinatis in arctum redegit.
De materia Cœli opus
De intellectu, & voluntate
De æternitate Mundi
De vnitate formæ, ſeu de veritate formarum.
Orationem in funere D. Bonauenturæ habitam in Concilio Lugdunenſi.

Cum ſediſſet Menſes 5. dies 2. ab humanis diſcendens animam Deo Opt. Max. reddidit anno Dominicæ Natiuitatis 1276. die 22.

die 22. Iunij. Corpus in Baſilica S. Saluatoris ſepultum

Summis, ſed debitis laudibus Innocentium extollunt Bernardus Guido in Chronico, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo in Bibliotheca Pontificia, Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Andreas Roſſottus in Pedemontana, Odericus in Annal. Eccl. Auctores Galliæ Chriſtianæ præter Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios.

Petrus Textoris, ſeu le Teſſier natione Gallus Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio Monte, & S. R. E. Vicecancellarius renuntiatus ſub Ioanne XXI. dicto XXII. nouit penitus Iuriſprudentiam, Theologiæque ſcientia eſt affectus, ita vt Ioannis Pontificis iuſſu ſcripſerit in illos qui Chriſtum, atque Apoſtolos quoad ſimplicem vſum facti, vt aiebant, non quoad ius, & dominium ea quæ referunt Euangeliſtæ habuiſſe contendebant, tum Chriſtum in habendis loculis, imperfectorum verò in abdicatione geſſiſſe.

Hac mortali vita deſtitutus eſt in Vrbe Auenionenſi Menſe Iunij anno ſalutis 1325.

De hoc tractant Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Panuinius, Ciaconius, eiuſdemque Auctarij in Vita, & alij quamplures.

Petrus Tomacellus Neapolitanus alijs Perrinus Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ primò, mox Pontifex Maximus ampliſſimum magiſtratum ſub Bonifacij noni nomine per annos quatuordecim geſſit, ſcripſitque Epiſtolas multas, & Conſtitutiones aliquas Eccleſiaſticas quæ M. SS. aſſeruantur in Bibliotheca Vaticana.

Ad ſuperos euolauit die prima Octobris anno Dominicæ natiuitatis 1404. poſt obitum in Vaticano conditus ſub his carminibus.

Flete ſuper pugilem, claues, Crux, alma tyara
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma:
En petra parua patrem ſub cælica ſydera primùm
Claudit, Apoſtolicâ ſolum qui rexit habena,
Catholicamque fidem, ſeruans à turbine Sanctum
Remigium Chriſti, victis virtute Tyrannis.
Ortodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni
Conſilij ſui iura tuens, & grandia tractans
Cæſaris ex animo, fidei clypeatus honore,

 Corpore

Corpore conſpicuus ; roſeus flos , famine conſtans.
Auditorque placens , miſeris miſerator opimus.
Oſſa iacent , mens alta Polum felicibus alis
Aſcendens , micat ante Deum noua lucis origo,
Glorius Antiſtes , Quiſnam Bonifacius alter
Nonus , & iſte fuit , quæ chronica ſcripſerit vmquam.
Quodue genus ; parilem dedit euo nomen , & omnis
De Tomacellis fulget , fulgebit in annos
Parthenope luſtrans , tulit hunc genus omne latinum
Quidquid alit tellus , & quod tegit omnia cœlum .

Tanti viri laudes explicant Ægidius Cardinalis Viterbienſis in hiſtoria 20. ſeculorum, Genebrardus, Antonius Boninſegnius in hiſt. Florentina , Sabellicus, Gobelinus, Garimbertus, Spondanus , Philibertus Campanilis de nobilium Neapolitanorum ſtemmatibus,Ciaconius, cum Auctarijs, Panuinius, Platina ; & alij multi.

Philippus Cabaſſolæ Gallus, Iſnardi egregij militis filius ex Epiſcopo Cabellicēſi Patriarcha Hieroſolymitanus electus interfuit Synodo Aueniōnenſi habitæ anno à partu Virginis 1338. rexitque in abſentia Vrbani V. Auenionem ; & ſacram purpuram ab eodem cum Titulo SS. Marcellini , & Petri obtinuit, quem titulum progreſſu temporis commutauit cum Epiſcopatu Sabinenſi. Poſtremò defunctus eſt Peruſiæ Apoſtolicæ Sedis legatus ſexto kal. Septembris anno Chriſti 1372.

Cadauer Auenionem delatum iacet in Æde Carthuſianorum D. Mariæ de Bono paſſu ſacra cum hac inſcriptione.

D. O. M.

Hic iacet
Reuerendiſſimus in Chriſto Pater
Dominus
PHILIPPVS DE CABASSOLE,
Domini Iſnardi Militis filius,
Qui
Primò fuit Epiſcopus Cabillicenſis ;

Deindè

Deindè Patriarcha Hieroſolymitanus,
Poſt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis Presbyter
Tituli SS. Marcellini & Petri,
Mox Epiſc. Sabinenſis,
Demum legatus
A Domino Gregorio Papa XI.
Auenione ſedente
In Italiam ad gubernandum
Romanæ Eccleſiæ Terras.
Obijt Peruſij
6. Kal. Septembris anno MCCCLXXII.
Eius corpus
Ad Monaſterium Cartuſienſium
Bonipaſſus delatum,
Ibidem ſepultum fuit cura
Domini Ægidij de Sylua
De Monte acuto
Epiſcopi Cardinalis Tuſculani,
Et aliorum Executorum
Teſtamenti eius.

x Inter ſuos Codices inuentum eſt Volumen Sermonum, inter quos plures de B. Maria.

z Reliquit etiam Epiſtolam eruditam de nugis Curialium, & miſeria Curiarum.

rr Celebrant inter alios Philippum Franciſcus Petrarcha, cui libros duos de vita ſolitaria dedicauit. Sammarthani in Gallia Christiana, Petrus Frizonius in purpurata, Auberyus, Ciaconius, & alij apud eumdem.

Philippus Calandrinus natione Italus patria Sergianenſis, Nicolai V. Romani Pontificis ex Matre frater, Epiſcopus Bono-

nienſis, Presbyteris Cardinalibus cum Titulo primùm S. Suſannæ, tum S Laurentij in Lucina adſcriptus, deindè Maior Pœnitentiarius, mox Epiſcopus Albanenſis, Prænestinus, & Portuenſis renunciatus, pro reſtauratione Cœnobij Sixti viui, cui Abbas præerat Conſtitutiones, & decreta, ac leges ſcripſit, quæ extant. Lucis vſuram amiſit Balneoregij, ſeu Viterbij die 22. Iulij anno ſalutis 1476. Corpus Romæ iacet in Titulo Lucinæ cum ſequenti inſcriptione.

PHILIPPO CALANDRINO
Sergianen.
Bononienſi Epiſcopo Portuenſi
S. R. E.
Summo Pœnitentiar.
Nicolai V. Pontifici Maximo Fratri.
Io: Matth. Calandrin. Patruo Cariſſimo
Poſuit.
Vixit Annos LXXIII.
Obijt Anno Sal. Chriſtianæ.
MCCCCLXXVI.

Vide quæ de hoc narrant Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Sigonius de Epiſc. Bononien. Ioſeph Maria Suareſius in Prænest. hiſt. Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, alijque multi.

Philippus de Coetquis, ſeu de Coerquis Cancellarius Andegauenſis, Cœnobiarcha Prioratus de Cunaut in Andibus, ex Leonenſi Epiſcopo, vnde ortum habuit ad Pontificatum Turonenſem ſubuectus, Legatus ad Concilium Baſilcenſe in eo purpura decoratur à Felice Antipapa anno 1440.

Extat huiuſce Oratio pro Britannis, quam habuit in Galliam reuerſus, & Synodus Turonenſis. Adfuit definitioni facultatis Pariſienſis in Pontificum controuerſijs. Obijt poſt annum 1450.

Huius Elogium vide apud Bertrandum Argentrçum in hiſtoria Britanniæ, apud Æneam Syluium, Sãmartanos, & Auct. Ciac.

Philippus

Philippus à Ferraria natione Siculus, alijs Gallus ex Toloſa oriundus, profeſſione Carmelita ob ſingularem eruditionem, morum integritatem ſummam, Generalis Inquiſitionis primò Præſes, deindè Epiſcopus Pacenſis in Hiſpania tandem S. R. E. Cardinalis, ex aliquibus euulgatus ſcripſit.

Sermones de feſtis Deiparæ Virginis Mariæ

Ad Rempublicam Venetam Epiſtolam hortatoriam ad vnionem cum Rege Gallo.

Clarebat ex Auctore Paradiſi Carmelitici anno ſalutis humanæ 1394.

Eſt huiuſce mentio apud Hippolytum Marraccium in Bibliotheca Mariana, apud Auctarios Ciaconij, & alios.

Fr. Philippus Gezza, alijs de Ruffinis Romanus, Ordinis Prædicatorum ex Epiſcopo Iſernienſi inter Presbyteros Cardinales Titulo SS. Gabinij, & Suſannæ ab Vrbano VI. Romano Pontifice cooptatus ſcripſit in libros Phyſicorum Ariſtotelis, & Conſtitutiones Synodales pro Eccleſia Tiburtina. Ad ſuperos euolauit anno redemptionis humanæ 1384. & humili loco ad Sancta Sabinam in Monte Auentino apud Prædicatores ſepultus.

Meminere huius Vincentius Maria Fontana in Theatro Prædicatorum, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Philippus Repindonus, ſeu Repintonus Anglus, Canonicus Regularis S. Auguſtini in ætatis flore à Vuincheſſitis deceptus quędam pro concione affirmauit, ſcriptiſque libris euulgauit, quæ poſtea, errorem agnoſcens in ſolemni Concione ad Crucem D. Pauli reuocauit. Maior factus ſui Cœnobij Leicenſtrenſis Abbas primò electus, deindè Epiſcopus Lincolienſis, tandem à Gregorio XII. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis SS. Nerei, & Achillei renuntiatus, ſcripſit

Defenſorium Vuicleffi Præceptoris ſui hæreſi infecti

Pro doctrina morali eiuſdem opus.

Homilias per Annum

In Euangelia Dominicalia per annum Notas, libro vno.

De ſecolari dominio librum

Quæſtiones diſputatas

E vita migrauit poſt annum 1417. quo interfuit electioni Martini III. aliàs V. in Concilio Conſtantienſi

Vide

Vide plura apud Pitſæum de Scriptoribus Angliæ in Catalogo Epiſcoporum Lincolienſium, apud Ciaconium, eiuſque Auctarios, & Hiſtoricos Anglicos.

Philippus Sega Bononienſis ſub Innocentio IX. Diaconus Cardinalis, poſtea presbyter S. Onuphirij ſcripſit cohortationem ad Catholicos in in Gallia à ſe habitam dum in eo Regno legati Apoſtolici munere fungeretur. Obiit in Vrbe 4. Kal. Iunij anno poſt Chriſtum natum 1596. Sepulturæ locum in Æde ſui Tituli ſortitus eſt ſub hoc Elogio.

D. O. M.

PHILIPPO SEGÆ
Bononienſi,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Cardinali
Placentino,
Ampliſſimis Sedis Apoſtolicæ muneribus
Triginta amplius annos omnibus
Ferè Chriſtiani orbis partibus
Egregiè functo
Ab Innocentio Nono
In Collegium Cardinalium
Cooptato
Gallica demum legatione
Sub Clemente VIII.
Turbulentiſſ. Regni temporibus
Peracta illuſtrem diu
Spectatæ Prudentiæ,
Et probitatis laudem adepto
in Catho lica Religione,
Pontificiaq;

Dignitate

Dignitate propugnanda acerrimo
Hieronymus Agucchius
Vtriuſque Signaturæ Referendarius
Ex Teſtamento hæres
Auunculo optimo
P. C.
Obijt die 29. Maij MDXCVI.
Vixit annos LVIII. Menſes 1x.
Dies 18.

Vide de hoc plura apud Auctarios Ciaconij.

Philippus Vuillelmus Bauariæ Ducis filius S. R. E. Presbyter Cardinalis à Clemente VIII. renuntiatus, Eccleſiæque Ratiſponenſis Antiſtes, Philoſophiæ Compendium edidit, ac Poſteris Concionum volumen reliquit, quas ipſemet è ſuggeſtu publicè dixerat, inter quas plures ſunt in laudem Deiparæ Virginis, nec non Carmen de Paſtorum ad Chriſti cunabula accurſu, & Orationem ad Clementem VIII. habitam.

Animam virgineam, ac niue candidiorem Creatori ſuo reddidit anno ſalutis 1568, ætatis 22. à purpura accepta ſecundo, 12. Kal. Iunij. Corpus iacet in Eccleſia Cathedrali Monachij apud Maiores.

Hunc Sereniſſimus Frater Boiorum Monarcha Maximilianus inter alia pietatis fraternæ munera tali monumento in Cathedrali Eccleſia Ratiſponæ ex Orichalco artificiosè conflato decorauit.

PHILIPPO VILLELMO
V. F.
Com. Palat. Rheni
Boiorum Duci
Eccleſiæ Ratiſponen. Antiſtiti
Rom. Cardinali.
Principi incomparabili ante diem

Multa

Multa tabe confecto,
Et heù rebus humanis erepto.
In ſumma fortuna,
In æui flore,
In incremento bonorum, magno parentum,
Magno fratrum,
Suorumque luctu, illachrymante
Funeri patria,
Ingemiſcentibus cœteris,
Mæſtis omnibus.
Iratis Orbi Superis,
Qui in hoc Principe oſtendere
Quantum bonum dare poſſunt Terris,
Quantum darent Cœlis.
Deſideratiſſimo Fratri Maſſimilianus.
Princeps rerum
In Boia potens F. C.
Deceſſit 12. Kalendas Iunij
Anno MDXCVIII.
Ætatis 22.

Celebrant tantum virum inter alios Auctarij Ciaconii.

Pius natione Italus, patria Aquileienſis ex Presbytero S. R. E. renuntiatus Pontifex Maximus duas exarauit Epiſtolas, vnam ad omnes Eccleſias, alteram ad Fratres, obiitque Romæ 5. Idus Iulij anno à Chriſto nato 160. cum ſanctiſſimè Rempublicam Chriſtianam adminiſtraſſet per Menſes 5. dieſque 23. ſupra annum vndecimum.

Eſt Pij mentio apud Martyrologium Romanum, Bedam, Vſuardum, Adonem, Baronium in Notis, & in Annal. Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios plures.

Pompeius Arigonius Romanus, ex Rotæ Auditore, Diaconus Car-

Cardinalis S. Mariæ in Aquiro à Clemente VIII. euulgatus, deindè Presbyter S. Balbinæ, & Archiepiſcopus Beneuentanus, cum Romæ Nicolaum Sfondratum, & Auguſtinum Valerium ſacra purpura ornatos vidiſſet coram Gregorio XIII. Sermonem habuit, teſte Franciſco Mucantio in Diarijs. Huiuſce quoque Cardinalis literæ latino idiomate euulgatæ ſunt cum illis Ioannis Baptiſtæ Lauri Peruſini. Scripſit etiam Deciſiones plures rotales, quæ in Virorum multorum doctrina præſtantium manibus cuſtodiuntur. Supremum diem obijt in Neapolitano Suburbio, quo aeris mutandi cauſa ſeceſſerat die 4. Aprilis anno voluentis ſeculi decimo ſexto, ætatis 64. Corpus iacet in Beneuentana Metropoli cum hoc Epitaphio.

Memoriæ
P O M P E I
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyteri Cardinalis Arigoni Romani
Huius Eccleſiæ Archiepiſcopi optimi.
Et optimè meriti viri magni,
Rara animi, & ingenij vi
Religione, prudentia, ac Iuris,
Rerumque multarum intelligentia eximia.
Sacri Conſiſtorij Aduocati,
Rotæ Auditoris
Ex his, alijſque publicis muneribus
Ad ampliſſimum Ordinem
A Clemente VIII.
Pontifice Maximo euecti
Grauiſſimis quibuſque negotijs ſpectati
Iulia, & Clarix, Cyriacus,
Et Antonius Roccij
Diomedes, & Io: Petrus Vareſij
Hæredes.

Auunculo benemerentiſſimo poſuerunt.
Vixit Annos LXIIII.
Menſem 1. Dies 2.
Obijt die 4. Aprilis MDCXVI.
Sororis filij Hæredes inſtituti,
Vna cum marmoreo
Tumulo ei Cœnotaphium poſuere.

Vide plura apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Auctarios Ciaconij, & apud alios, quos hi proferunt.

Pompeus Columna Romanus S.R.E. Cardinalis, & Vicecancellarius, Archiepiſcopus Montiſregalis in Sicilia, & Roſſanenſis, Epiſcopus Reatinus, Sarbinenſis, Interamnenſis, Acerrenſis, Aquilanus, Potentinus, Auerſanus, Montis Marani, & Catanenſis, interfuit ſub Iulio II. & Leone X. Concilio Lateranenſi, miroque ingenio diuerſiſſimi muneris partes impleuit, & in ſacra purpura mitratus, ac in militari ſago galeatus, periti Sacerdotis ante aras, & in caſtris prudentiſſimi, ſtrenuique Ducis officia exequutus ſemper eſt. è vita diſceſſit ad quartum Kal. Iulias, ſeu ex alijs Menſe Iulij anno 1532. Neapoli integerrimis ſenſibus, & poſt obitum ſepulchrum habuit in eadem Vrbe apud Monachos Oliuetanos ſine vlla memoria.

Compoſuit lepidis argumentis aliquot minuta Poemata in quibus Iſabellæ Fillamarinæ Salernitani Principis vxoris formam, ac delicias elegantiſſimè depinxit, hanc enim ſtudiosè colebat, atque ea ingenij libertate vt nihil vmquam turpè à caſtiſſima fœmina cupiuiſſe teſtaretur.

Scripſit etiam grauiore conſilio, laboreque iuſtum volumen de laudibus Mulierum à multis priſcæ virtutis exemplis, atque orationis iucunditate eruditorum lectione digniſſimum, quod ſe in honorem Victoriæ Columnæ gentilis ſuæ compoſuiſſe affirmabat; eſt Opus hoc in Bibliotheca Regia Gallica.

Celebrant Pompeum Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & in Cardinalibus Columnenſibus, Rocchus Pyrrhus in Notitijs Eccleſiæ Siciliæ, Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Pontianus, alijs Calpurnius Pontianus patria Romanus ex Presbytero eiuſdem Eccleſiæ Pontifex Maximus euulgatus Epi-

ſtolas

ſtolas duas exarauit; quarum prima ad Felicem Succribonum, honorem exprimit quo Sacerdotes nouæ legis ſunt proſequendi; ſecunda ad Chriſtianos, fraternæ dilectionis neceſſitatem oſtendit. Cum ſediſſet annos quinque, totidemque menſes, & dies duos in Petri Cathedra fuſtibus mactatus in Sardinia martyrium conſummauit 13. Kal. Decembris anno Dominicæ natiuitatis 237.

De Pontiano tractant Martyrologium Romanum, Vſuardus, Ado, Beda, Euſebius in Chronico, & in hiſt. Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Proſper Caffarellus Romanus, Alexandri, & Pantæ Aſtallæ nobilibus natus parentibus, ex Auditore generali Cameræ Apoſtolicæ ab Innocentio X. Presbyter Cardinalis in Titulo Caliſti renunciatus, deceſſit in Vrbe die 14. Auguſti anno ſalutis 1659. & ſepultus in Æde S. Mariæ ſuper Mineruam apud Maiores.

Habemus typis romanis euulgatam Orationem de S. Franciſca Romana, quam Proſper iuuenis adhuc in frequenti Cardinalium Senatu dixerat.

De hoc Cardinali tractant Auctarij Ciaconij, Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, & Nicolaus Angelus Ceferrus in ſuo Synth. vetuſtatis, & in Compendio Chronologico.

Proſper Sanctacrucius Romanus à Pio IV. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis ex Auditore Rotæ, Nuncioque Gallico ſub Titulo S. Hieronymi Illiricorum renuntiatus, ſcripſit Deciſiones Rotæ Romanæ.

Gallicarum rerum Commentaria

De Officio Legati Opuſculum eſt M. S. in Biblioth. Collegi Romani.

Epiſtolas plures ad Federicum Nauſeam, alioſque.

Orationem ad Germaniæ Principes in Conuentu Pragenſi habitam

Orationem ad S. R. E. Cardinales in Eccleſia S. Mariæ nouæ dictam

Orationem de Circumciſione Domini habitam Bononiæ coram Clemente VII. Pont. Max. & Carolo V. Imperatore.

Conſtitutiones Laneæ artis à Sixto V. in Vrbe erectæ

Volumen literarum huiuſce Cardinalis eſt M. S. apud Patres Soc. Ieſu in Coll. Rom.

Vitam terminauit Romæ 4. Nonas Octob. anno ſalutis 1589. ætatis 79. iacet in Baſilica liberiana ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

PROSPERO SANCTACRVCIO
Sanctæ Rom. Eccl. Card.
Epiſc. Albanen.
Qui
Ob eximiam animi,
Ingenijq; virtutes
Poſt primaria palatina officia,
Et
Eccleſiaſticas dignitates
A Pio IV. Pontifice Maximo
Card. creatus
Legationes Germanica, Luſitanica, Hiſpanica,
Et Gallica
Bis flagrante inteſtino bello
Prouincia egregia cum laude functus,
Maximiſque toto vitæ curſu
Pro Rep. ſuſceptis laboribus.
Obijt Æt. An. LXXVI. Sal. MDLXXXIX.
Marcellus Sanctacrucius
Valerij F. ex Fratre Nepos.
Poſuit.

Huiuſce Cardinalis acta exprimunt Auberyus, Ferdinandus Vghellus in Ital. ſac. Auctores Galliæ Chriſt. Carolus Cartharius in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Auctarij Ciaconij, & alij.

Ptolomæus Gallius Nouocomenſis inter Presbyteros Cardinales à Pio IV. cooptatus ſub Titulo S. Theodori, quem commutauit

mutauit cum illo S. Agathæ, & optionis ergo præfuit Epiſcopus Eccleſijs Sabinenſi, Albanenſi, Tuſculanæ, Portuenſi, Oſtienſi, & Decanus Sacro Collegio, ac ſcripſit Conſtitutiones Synodales pro Clericis Sypontinis, & Sabinenſibus. Congregationum Concilij, ac Rituum Præfectus Romæ è vita migrauit die 4. Februarij anno noſtri ſeculi ſeptimo, ætatis ſecundo ſupra octogeſimum. Corpus in S. Mariæ de Scala terræ mandatum ſine vlla memoria.

Vide plura apud Ferdinandum Vghellium In Italia ſacra, Auctarios Ciaconij, Auberyum, & alios.

R

RAinaldus Calamentanus, ſeu Colimentanus dictus, ex Comitibus Marſorum, Monachus S. Benedicti, & Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini ab Innocentio II. Romano Pontifice renuntiatus, qui obijt Caſſini Idibus Iunij anno ſalutis 1165.

Scripſit S. Seueri Epiſcopi Vitam

De SS. Benedicto, & Mauro verſus.

De SS. Placido, Mauro, & Seuero Hymnos.

Vide plura apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios.

Rainaldus ex Comitibus Signiæ Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, tum Romanus Pontifex Petri nauim ſub nomine Alexandri IV. per menſes quinque, totidemque dies ſupra annum ſextum rexit, vir doctrina, eruditione, & ſanctitate inſignis, ſcripſit Epiſtolas quamplurimas, quarum Regiſtrum M. S. eſt in Vaticana Bibliotheca, illas verò Ierlero Archiepiſcopo Vpſalenſi, & Suffraganeis, illaſque Epiſcopis Lincopenſi, Vuibergenſi, & Streginenſi, nec non Abbati Aluuaſtriæ, & Præpoſito Eccleſię Lincopenſis exaratas, reſcripſit in Viti Aquilonia Ioannes Vaſtonus Gothus; alias autem Magiſtro Hoſpitalis S. Spiritus Piſarum profert Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra. At expletis omnibus optimi Pontificis numeris 8. kal. Iuuij anno noſtræ ſaluris 1261. exceſſit è vita.

De hoc tractant Matthęus Pariſius in hiſt. Anglicana, Abrahamus Bzouius, Baronius, Odericus in Annal. Eccl. Matthæus Veſtmonaſterienſis, Nangius, Ptolomæus Lucenſis, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Fr. Raymundus Albertus Gotolanus Ordini B. Mariæ de Mercede redemptionis Captiuorum octauus Magiſter Generalis, & primus ex Clericis ad illam dignitatem aſſumptus, S. R. E Cardinalis ex aliquibus edidit Tractatus nonnullos ſpirituales omnibus perutiles, & præſertim Nouitijs quibus præfuerat. Euulgauit etiam librum prænotatum Acclamationes Catholicę circa Eccleſiaſticos honores.

Eiuſdem dicta ad ſacrorum Prouerbiorum inſtar in vnum collecta, & ordine alphabetico diſpoſita Alphonſus Remundus in Chronico ſui Ordinis reſcripſit. Valentiæ in Hiſpania exceſſit è viuis Menſe Nouembris anno à partu Virginis 1330.

Meminere huius Hiſtorici ſui Ordinis, & Auctarij Ciaconij.

Raymundus de Canillac Gallus Decretorum Doctor, ex Canonico Ordinis S. Crucis in Hieruſalem primò, deindè Epiſcopus Præneſtinus electus ſcripſit Recollectorum librum ad Septimianum Narbonenſem Archiepiſcopum. E vita abijt Auenione die 20. Ianuarij anno ſalutis 1373. & apud Minores eiuſdem Vrbis tumulatus.

Huius meminit Ferreolus Locrius in Chronico Belgico, Ioſeph Maria Suareſius in hiſtoria Præneſt. Sammarthani in Gallia Chriſt. Ciaconius, Frizonius, Auberyus, & alij multi.

Raymundus de Musfolijs, Maſtogiolis, vel de Moſcuerolis natione Gallus, patria Rutenenſis ex Monacho, & Priore Cœnobij S. Flori in Aruernia Benedictini Ordinis primùm à Ioanne huius nominis XXI. alijs XXII. Pont. Max. Epiſcopus Florenſis, tum S. Pauli, demum Presbyter Cardinalis cum Titulo S. Euſebij conſtitutus omnium primus ſcripſit Statuta pro Eccleſia S. Pauli, & Prioratu Maioris Eccleſiæ, nec non leges condidit pro Clericis. E vita exceſſit teſte Claudio Roberto anno ſalutis 1336. pridiè Idus Octobris, ex Ciaconio 1337 ex Frizonio 1335. & Tumulo conditus in Andrio S. Guillelmi de deſertis Lodouenſis Diœceſis.

Eſt noſtri Raymundi mentio apud laudatos Auctores & apud Auberyum, Sammarthanos, & alios.

Raymundus Perauld, ſeu Peraudi Gallus, Sanctonenſis Epiſcopus, Nunciuſque Apoſtolicus in Germania ad colligendas pro bello Turcico pecunias, & pro pace inter Principes Chriſtianos, purpuram obtinuit ab Alexandro VI. Pont. Max. dictuſq; Cardinalis Gurcenſis, aut Sanctonenſis, ab Eccleſijs quibus præfuit.

Scripſit de dignitate Sacerdotis ſuper omnes Reges Terræ.

De actis ſuis Lubici in Dacia libellos varios, in Germania excuſos cum Bulla de Confraternitate Roſarij B. Mariæ à ſe euulgata ibidem.

Epiſtolas plures ad Germanos Proceres, & Heluetios, vt illos ad bellum contra Turcas excitaret.

Dum annum ſuæ ætatis ſeptuageſimum ageret deceſſit Viterbij die 5. Septembris, Incarnationis Chriſti anno 1505. iacet in eadem Vrbe ad Ædem Trinitatis apud Patres Auguſtinianos cum ſequenti Epitaphio.

RAYMVN-

RAYMVNDVS PERAVLDI
Patriæ ſuæ
Sanctonenſis Epiſcopus,
Ac
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Cardinalis Grucenſis,
Proque ea legatus
Adeo opulentiæ contemptor,
Vt elargiendo nihil ſibi reliquerit.
A Iulio tamen II. P. M.
ditatus,
Dum legatione Patrimonij fungeretur
Viterbij
Obijt nonis Septembribus
Anno ſalutis MDV.
Vt à Iulio tradita ſolum retinere occeperat,
Sic monumentum hoc
Haud quæſitum reuerentia eiuſdem
Approbare credendum eſt.
Vixit annos ſeptuaginta.

De hoc plura recitant Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, Auberyus Felix Contelorius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Raynerius, alijs Renatus Monachus Cluniacenſis Presbyter Cardinalis S. Clementis, & Romanus Pontifex inuitus electus Rempublicam Chriſtianam ſanctiſſimè adminiſtrauit per Menſes quinque, & dies nouem ſupra annos duodeuiginti ſub nomine Paſchalis II. in carcere detentus, multiſque licet afflictus iniurijs vt Eccleſiæ malis ſuccurreret Epiſtolas plures ſcripſit, quarum triginta duæ habentur apud Binium Tomo 7. Conciliorum.

liorum. Deceſſit Romæ 12. alijs 15. kal. Februarij anno duodeuigeſimo ſeculi duodecimi à Chriſto nato.

Tantum virum debitis laudibus celebrant Baronius in Annal. Domnizo in Vita Mathildis, Vuillelmus Tyrius de bello ſacro, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Raynerius Capoccius nobilis Viterbienſis, & Epiſcopus ex Monacho Ciſtercienſi Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin ſub Innocentio III. Poſteris rithmicè tradidit, vt illa ferebant tempora Hymnos elegantes de S. Franciſco Patriarcha Minorum, quorum initia ſunt Cœlorum candor, & Plange turba pauperum. Eiuſdem in Ducatu Spoletano, & Marchia Anconitana vicem Domini Papæ gerentis extant literæ datæ 9. kal. Maij Pontificatus Innocentij IV. anno V. pro Patribus Prædicatoribus Conuentus Spoletani, quas reſcripſit in ſuo libro de Prouincia Romana Vincentius Maria Fontana. Patrimonij rector, & S. R. E. Archidiaconus ſupremum diem obijt Viterbij 6 Kal. Iunij anno à partu Virginis 1250. ſeu 1252. In Eccleſia S. Mariæ ad gradus Patrum Prædicatorum, quam ipſe ædificauerat iacet ſub hoc Elogio.

RAYNERIO CAPOCCIO
Viterbienſi
Tit. S. Mariæ in Coſmedin
Diacono Cardinali
Ædis huius cœlitus demonſtratæ
Religioſiſſimo Fundatori,
Familiæque Prædicatorum
Pijſſimo largitori
Fratres ad beneficij memoriam
Sempiternam ampliſſimo benefactori
Meritò ante digniorem aram
Condito nuncupato.

Vide plura apud Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Felicem Contelorium, Hippolytum Marraccium in purpura Ma-

 riana,

riana, *Vincentium Mariam Fontanam* in Opuſculo de Prouincia Romana, & alios.

Reginaldus Italus, ex Vmbria Ordinis Minorum, ex lectore Sacri Palatij Archiepiſcopus Rotomagenſis, & Epiſcopus Cardinalis Portuenſis à Bonifacio VIII. ex aliquibus renuntiatus, ſcripſit ſuper Sententias; poſt acceptam purpuram parum ſuperuixit teſte Petro Rodulpho.

Vide Ciaconium cum Auctarijs, Auctores Galliæ Chriſtianæ, Scriptores ſui Ordinis,

Reginaldus Polus Anglus vltimus Archiepiſcopus Catholicus Cantuariæ, Diaconus Cardinalis SS. Nerei, & Achillei, mox S. Mariæ in Coſmedin, tum Presbyter à Paulo III. Romano Pontifice euulgatus, qui debitum naturæ perſoluit in Patria die 15. ſeu 17. Nouembris anno præteriti ſeculi duodeſexageſimo, plura edidit ingenij ſui, ſuique in Catholicam fidem incenſi ſtudij monumenta, ideſt.

Pro Eccleſiaſticæ veritatis defenſione libros quatuor ad Henricum VIII. Angliæ Regem.

De officio Summi Pontificis librum vnum.

Alterum de poteſtate eiuſdem

Vnitatis Eccleſiæ defenſionem ad Eduardum VI. Angliæ Regem libros quatuor.

Ad Eduardum Regem de eadem materia librum vnum.

Exhortationem ad Concilij Tridentini dictam in ſecunda ſeſſione

Diſcurſum ad eoſdem de peccato originali.

De Concilio Tridentino librum vnum

Chriſtofori Longolij Vitam breuem

Epiſtolas plures, quarum aliquæ excuſæ inueniuntur inter literas clarorum virorum.

Exortationem ad Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum I. Galliarum Regem pro pace.

De iuſtificatione libros duos patrio idiomate.

Sexionem ſextam Concilij Tridentini

Ex hebraica in latinam linguam vertit Hieremiæ Prophetæ lamentationes.

De baptiſmo Conſtantini Magni librum vnum.

De reformatione Angliæ librum vnum.

Conſilium de reformanda Eccleſia.

Celebrant tantum virum præter Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Hiſtorici omnes Concilij Tridentini, Seculi præ-

teriti,

teriti, & Eccleſiaſtici, Richardus Smitheus de Archiepiſcop. Cantuariæ.

Renatus Biragus Mediolanenſis ex Franciæ Cancellario Preſbyterorum Cardinalium Senatui Gregorij XIII. Pont. Max. beneficio adſcriptus euulgauit Orationem quam Bleſis in Conuentu Ordinum Galliarum anno ſalutis 1577. dixerat. Extat eiuſdem literarum volumen, nec non Scriptum de potentia Regis Gallici.

Ex hac terrena peregrinatione ad cœleſtem patriam profectus 8. Kal. Decembris anno 1583. in Templo Lutetiano D. Caterinæ Virg. & Mart. ſacro ſepulchrum habuit ſub ſequenti Epitaphio.

Quid tibi opus ſtatua? ſatis eſt ſtatuiſſe Birague
Virtutis paſſim tot monumenta tuæ.
RENATO BIRAGVO
Patritio Mediolanenſi multis,
Et ſummis dignitatibus functo,
Tum Franciæ Cancellario,
Ac demum
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinali
Franciſca filia vnica,
Et
Cæſar Biragus
Agnatus mœſtiſſimi, non memoriæ,
Sed deſiderij perpetui monumentum
H. P. C.
Obijt 8. Decembris Anno
MDLXXXIII.
Vixit annos LXXVII. Menſes IX.
Dies 26.

Huius acta referunt Scriptores Gallici plures, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, & alij.

D. Richardus Monachus, & Abbas quinquageſimus octauus Caſſinenſis, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci ab Innocentio huius nuncupationis IV. Pont. Max. enuntiatus ſcripſit Expoſitionem Regulæ S. Benedicti, quæ extat M. S. in Bibliotheca Caſſinenſi in Annotationibus ad Supplementum virorum illuſtrum Monaſterij Caſſinenſis per Placidum Romanum Monachum eiuſdem Cœnobij. confunditur hic Richardus cum Richardo Hannibaldenſi Diacono Cardinali S. Angeli, cum ſint toto cœlo diuerſi. Nam Caſſinenſem dicunt renuntiatum Preſbyterum Cardinalem ab Innocentio IV. Hannibaldenſem verò ſcimus die 22. Februarij anno 1265. Viterbij infulis Pontificijs Clementem IV. ornaſſe, & Alexandri IV. ſucceſſoris literis datis VII. Calendas Februarij anno 1259. Diaconum S. Angeli ſubſcripſiſſe. Hannibaldenſis inſuper iacet Romæ in Baſilica Lateranenſi cum Epigraphe; & Caſinenſis Caſini, cum mortalitatem expleuiſſet anno 1256. vt habemus ex laudato Supplemento, his verbis, Richardus Caſſinenſis Abbas, & Cardinalis claruit anno 1256. & ſepultus Caſini, cum ſediſſet annis ſeptem.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, & alij.

Mag Richardus, ſeu Ricciardus Petronus Senenſis, iuris oraculum habitus, ex S. R. E. Vicecancellario inter Diaconos Cardinales à Bonifacio VIII. cooptatus Sextum Decretalium cum alijs, eiuſdem Bonifacij iuſſu digeſſit. E vita migrauit Genuæ die 10. Februarij anno ſalutis humanæ 1314. Corpus, Senas relatum cereis funalibus à Ciuibus exceptum, in Eccleſia principe conditum.

Plura de hoc habēt Hiſtorici Seneſes, nec nō Auctarij Ciaconij

Riccardus, alijs Riuardus Vuiltonus natione Anglus, Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Alumnus ab Innocentio III. Pont. Max. Archiepiſcopus Armachanus, & Primas Hiberniæ, à Gregorio verò huius nominis IX. multorum teſtimonio Presbyter Cardinalis cum Titulo S. Stephani in Cœlio monte creatus ſcripſit libros quatuor de B. Mariæ Virginis doloribus, nec non Tractatum de auxilijs diuinæ gratiæ libris quatuor.

In Magiſtrum Sententiarum libros quinque

Contra hæreticos ſui ſæculi de immortalitate animæ librum vnum

Commentaria in Geneſim, ac in Hieremiam Prophetam

Quodlibetorum diſputatorum libros tres.

E vita

E vita exceſſit Londini 12. Kal. Ianuarij anno ſeculi decimi quarti à partu Virginis vndequadrageſimo, &c. habuit ſepulchrum apud ſuos Religioſos in Cœnobio Montyduni, vt referunt Franciſcus à Ieſu Maria in Catalogo Scriptorum ſui Ordinis, Hyppolytus Marracciusin Appendice Bibliothecæ Marianæ, & Auctarij Ciaconij, Ioannes Figuera in Chronicò Ordinis, Iacobus à S. Marco in Maximis Chriſtianis.

Robertus Alun, ſeu à Luna natione Anglus, Epiſcopus Sariſberienſis, ſeu Lexouienſis interfuit Concilio Piſano, & à Ioanne XXII. ſeu XXIII. inter Presbyteros Cardinales cooptatus ſcripſit plura, vt refert Auctor Catalogi Scriptorum Anglorum: quæ autem illa fuerint, mihi ignotum. Exceſſit Conſtantiæ die 4. Septembris anno ab Orbe redempto 1417.

Vide Auctarios Ciaconij, & alios apud illos.

Robertus Bellarminus natione Italus, patria Politanus, Marcelli II. ex Sorore nepos, Theologus magni nominis in Societate Ieſu, Purpuræ Eccleſiaſticæ decus, fidei Catholicæ propugnator accerrimus, hæreticorum malleus, vir pius, prudens, humilis & ſummè eleemoſynarius inter Presbyteros Cardinales cum Titulo S. Mariæ in Via à Clemente huius nuncupationis VIII. cooptatus, quem titulum progreſſu temporis cum illo S. Praxedis commutauit, præfuitque Archiepiſcopus Capuanæ Eccleſiæ, ac ſcripſit de Controuerſijs Chriſtianæ fidei aduerſus ſui temporis hæreticos, opus ſpiſſum ſanè, atque operoſum in tres Tomos diſtinctum, & 64. libris comprehenſum apud Catholicos, & Hæreticos maximo in pretio, & honore habitum. In ſolo enim ſeptentrionali tractu ad annum 1631. vicefies ſudaſſe; ſub præ.o obſeruarunt Silueſter Petraſancta in Vita, & Philippus Allegambe in Bibliotheca Societatis Ieſu.

Edidit etiam Explanationem in Pſalmos

Concionum volumen in quo multæ de Beata Maria ſemper Virgine.

De ſcriptoribus Eccleſiaſticis Opus cum breui Chronico ab Orbe condito vſque ad annum noſtri ſeculi duodecimum.

Reſponſionem ad librum prænotatum Triplici nodo triplex cuneus aduerſus Iacobum Regem Anglum.

Apologiam pro eadem reſponſione

De poteſtate Summi Pontificis in temporalibus contra Guillelmum Barclaium.

Reſponſionem ad duos libellos conſcriptos aduerſus interdictum Pauli V.

Reſpon-

Reſponſionem ad Tractatum ſeptem Theologorum pro cauſa eiuſdem interdicti.

Reſponſionem ad Oppoſitiones Fr. Pauli Seruitæ, nec non Ioannis Marſilij Neapolitani

Explicationem Symboli Apoſtolici

Explicationem Chriſtianæ doctrinæ pro ijs qui alios erudiunt.

De Aſcenſione mentis in Deum librum vnum.

De æterna felicitate Sanctorum libros quinque.

De gemitu Columbæ, ſiue de bono lacrymarum libros tres.

De ſeptem verbis Domini in Cruce prolatis libros duos.

De arte bene moriendi libros duos.

De officio Principis Chriſtiani libros tres

Admonitionem ad Nepotem Epiſcopum Theanenſem, ſeu de officio Epiſcopi

Inſtitutiones linguæ hebraicæ

Hymnum de Sancto Spiritu, cuius initium Spiritus celſi dominator axis.

Hymnum de S. Maria Magdalena, qui iuſſu Clementis VIII. poſitus eſt in Breuiario Romano.

Liturgiam Apoſtolicam

Correctorium errorum qui Typographorum Venetorum negligentia in libros ſuos irrepſerant.

In Hereticum pro Sixto V.

Declarationes Concilij Tridentini

Concionem de B. Aloyſio Gonzaga

Orationem de paſſione Domini ad Gregorium XIII. habitam

Epiſtolarum volumen.

Epiſtolam ad Federicum Cæſium Principem S. Angeli de natura Cœlorum.

De Virginitate Carmen

Eclogam in morte Roberti Nobilij Cardinalis.

Vitam demum ſcripſit, Venerandi Iacobi de Meuania Ordinis Prædicatorum ſanctitate illuſtris, cuius beatificatio agitur in Sacra Congregatione Rituum.

Diarium legationis Gallicæ, Henrici Cardinalis Caietani, cui legationi iuſſu Pontificis Siſti, ipſe interfuit.

Iam ſenex debitum naturæ perſoluit Romæ 15. Kal. Octobris anno poſt Chriſtum natum 1621. ætatis 79. Iacet in Templo nominis Ieſu cum hac Epigraphe.

ROBERTO

ROBERTO
Card. Bellarmino
Politano è Societate Ieſu
Marcelli II. Pont. Max.
Sororis filio
Odoardus
Card. Farneſius
Sui erga virum, quem
Patris loco ſemper coluit
Amoris numquam morituri
Monumentum Poſ.
Obdormiuit in Domino
Anno Sal. MDCXXI.
Ætatis ſuę LXXIX.

Huius acta explicarunt præter laudatum Petraſanctam, Iacobus Fuligatus Soc. Ieſu, Auctarij Ciaconij, Ludouicus Donius d'Attichy in hiſt. Cardinalium, Allegambe in Bibliotheca Societatis, Marraccius in Mariana, & in purpura, Ianus Nicius in Pinacotheca, Henricus Albi in Elogio, Antonius Sanderus in Cardinalium Elogijs, Hieronymus Ghelinus in Theatro Virorum illuſtrium, Cardinalis Bentiuolus in memorijs hiſtoricis, Ioannes Rho in exemplis, Imago primi ſeculi Societatis, Annales Ciſtercienſium, Thomas Dempſterus, Andreas Baianus, Daniel Bartolus in Vita, Sebaſtianus Badus Genuenſis in libro inſcripto Decora Roberti Cardinalis Bellarmini Soc. Ieſu in duas ſectiones diſtributa, Marcellus Ceruinus Nepos in adumbrata Imagine ſolidarum virtutum Roberti Card. Bellarmini, & alij.

Robertus Brittus, ſeu Guibe, vel de Vitrè, aut de Chalanch natione Gallus ex Epiſcopo Trecorenſi Rhedonenſis, tum Nannetenſis, demum Presbyter Cardinalis ſub Titulo S. Anaſtaſiæ à Iulio II. Pont. Max. euulgatus ſcripſit Orationem elegantem ad Innocentium VIII. habitam, cum Franciſci vltimi Ducis Britaniæ nomine eidem Pontifici obedientiam exhiberet. Mortem opetijt Romæ die 9. Nouembris anno ſeculi decimi ſexti,

tertio

tertio decimo. Oſſa in Gallias tranſlata iacent in Eccleſia principe Rhedonenſi ſine vlla ſepulchrali inſcriptione.

De hoc tractant Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ, Auberyus, Panuinius, Contelorius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Robertus Bullenus alij Pulcius, ſeu Pulleinius natione Anglus ab Innocentio II. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus, qui debitum naturæ perſoluit ſub Eugenio III. Pont. Max. anno ſalutis humanæ 1149. de literarum ſtudijs optimè meritus, ſcripſit.

Sententiarum libros octo. Pariſijs 1655. fol.

De conceptu mundi librum vnum

In Apocalypſim, & in Pſalmos Commentaria

Super Doctorum dictis librum vnum, alijs quatuor,

Super Pſalmos aliquot.

Sermonum volumen, inter quos ſex de B. Virgine Maria

Prælectiones, & alia.

De hoc plura apud Auctarios Ciaconij.

Robertus Curſon, ſeu Corcem, vel Curtonus, vel Curteon. ſeu Curtim natione Anglus Presbyter Cardinalis S. Stephani in Celio Monte ſub Innocentio III. euulgauit.

Summam Theologiæ

De ſaluatione Origenis opus

De ſeptem ſeptenis librum

Lecturas ſolemnes, aliaque non pauca

Exceſſit è vita anno ſalutis humanæ 1218.

Meminit huiuſce Iacobus Vitriacus in hiſtoria Orientali, Ciaconius cum Auctarijs, & alij apud eoſdem præter Pitſeum de Scriptoribus Anglicis.

Robertus Geneua ex nobiliſſimis eiuſdem Ciuitatis Comitibus, ex Archiepiſcopo Cameracenſi à Gregorio XI. Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis SS. XII. Apoſtolorum creatus claruit ingenio, & ſcientijs. At in Schiſmate Sedem Petri occupans ſub nomine Clementis VII. Eccleſiam Dei per annos multos turbauit;

Scripſit nonnulla quæ in Auenionenſi aſſeruata ſunt Tabulario per ſecula, Vrbani VIII. iuſſu Romam tranſmiſſa in Tabulario Molis Adrianæ cuſtodiuntur, inter quæ Epiſtolæ multæ; nec non Officium, & Miſſa legenda ad impetrandam Eccleſiæ Catholicæ vnionem, & ad tollendum ſchiſma.

Obijt Auenione die 17. Septembris anno 1394 ſepultuſque in Eccleſia Cœleſtinorum ad pontem Sorgiæ.

Huius

Huius acta habent, Theodoricus Niemus, Platina, Onuphrius, Ciaconius cum Auctarijs, Andreas Ducheſnius, Ludouicus Iacobus à Sancto Carolo, & Andreas Roſſottus in ſuis Bibliothecis.

Robertus Herbertus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis natione Hibernus Sacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis, & facundiſſimus ſacri eloquij præco à Bonifacio VIII. Pont. Max. inter Diaconos Cardinales, aliquorum opinione, cooptatus cum Diaconia S. Mariæ in Coſmedin ſcripſit.

Sermonum de B. Virgine Maria libros duos

Sermonum Dominicalium libros nouem.

In Canticum Zachariæ librum vnum.

Et in Magiſtrum Sententiarum libros octo.

In Pſalmos Dauidicos libros nouem

E viuis ereptus die 2. Octobris anno à natiuitate Chriſti 1299. Iacet Romæ in Eccleſia ſui ordinis S. Thomas de Formis nuncupata.

De hoc tractant Franciſcus à Ieſu Maria Hiſpanus in Syllabo Scriptorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, Hippolytus Marraccius in Appendice Bibliothecæ Marianæ, Auctarij Ciaconij, & alij cum Figuera in Chronico Trinitariorum.

Robertus Hiphiſtonius, ſeu Elphiſtonius Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, natione Scotus ab Vrbano VI. à ſacris Confeſſionibus Regi Scoto, Epiſcopus Brechinenſis, & à Gregorio X. ex aliquibus Scriptoribus S. R. E. Cardinalis renuntiatus in Titulo Eudoxiæ elucubrauit

De immaculata Deiparę Virginis Marię Conceptione librum eruditiſſimum, doctumque alium de Angelis, & tertium in Oſeam Prophetam.

Vide laudatum Franciſcum Mariam à Ieſu Maria in Elencho Scriptorum ſui Ordinis, nec non Marraccium, & Auctarios Ciaconij, Ioannem Figueram in Chronico ſui Ordinis, & Iacobum à Sancto Marco in Maximis Chriſtianis.

Robertus Kiluuarbius Anglus Ordinis Prædicatorum, malè alij Ordinis Minorum, ex Archiepiſcopo Cantuarienſi Nicolai III. Pont Max. beneficio Epiſcopis Prænenſibus adſcriptus, eiuſdem Pontificis nomine Epiſtolas aliquas ad Tartarorum Regē miſit, eumque ad Chriſti fidem inuitauit.

Theologicis, ac Philoſophicis inſuper ſtudijs clarus in vtraque facultate Commentaria hæc edidit.

In Iſagogem Pophyrij.

In Prædicamenta Ariſtotelis libris tribus
In Perihermenias einſdem libris duobus
In eiuſdem Priora, & Poſteriora libris quatuor
In eius Topica
In ſex principia Gilberti
Super Priſcianum minorem
De modo ſignificandi
Lecturam Sententiarum libris quatuor
Super Confeſſiones S. Auguſtini
Super Ezechielem
In Paulum ad Romanos
In eumdem ad Corinthios
De ſacramento altaris
De ortu ſcientiarum, & de diuiſione earumdem
Originalia Patrum
Quæſtiones Dialecticas
In Priora, & Poſteriora libris quatuor
In diuiſiones Boetij
In Topicam Ariſtotelis libris nouem
In Elenchos eiuſdem
De Conſcientia, & Synderesi
Quæſtiones de Conſcientia
De Anima libros tres
De Cauſis Animæ
De differentia Spiritus, & animæ
De Inſtantibus
De diuiſione entis
De Relatis
De natura Relationis, & de prædicamento eiuſdem
De relationis Prædicamento
De rebus prædicabilibus
Sophiſtriam Grammaticalem
Sphiſtriam Logicalem
De doctrina S. Thomæ Aquinatis
De vnitate formarum
In Boetium de Conſolatione libris quinque
In diuiſiones Boetij librum vnum
De Tempore
De Vniuerſali
In Phiſicam Ariſtotelis libris octo
De Cœlo, & Mundo libros quatuor

De

De Generatione, & Corruptione libros duos
In Meteora libris quatuor
Super Metaphyſicam libros 14. alijs 12.
Parua naturalia
Expoſitionem literæ Sententiarum
Diſtinctiones Doctorum
Commentarios Theologiæ
Philoſophiæ Notulas
Quodlibeta
De paſſione Chriſti librum vnum
Tabulas in S. Auguſtinum, M. S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
Summaria cuiuslibet capituli Operum S. Auguſtini M. SS. ibidem.
Super Magiſtrum ſententiarum libros quatuor
Quæſtiones de mendicitate libro vno.
De rebus prædicabilibus
Inſignes Philoſophiæ notulas libro vno
In Logicam, & Philoſophiam ingens volumen complectens libros viginti, & exemplar quorum haberi dicitur Cantabrigiæ in Collegio S.Petri.
Ibidem etiam aſſeruatur M. S. Tractatus Grammaticalis ſuper Priſcianum minorem de proſodia, ſiue de accentu liber vnus
In Comatum de vitioſis ſermonibus
De modo ſignificandi liber

Supremum diem obijt die 11. Septembris anno à partu Virginis 1278. cum ex Anglia Romam peteret. Iacet in Templo S. Mariæ ad Gradus ſine vlla memoria ſepulchrali

Eſt tanti viri mentio apud Scriptores Anglos, Prædicatorum, Panuinium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Henricum Ludouicum Rupipozæum in Nomenclatore Cardinalium, & alios præter Pitſeum de Scriptoribus Anglicis, & de Cantuarienſibus Archiepiſcopis.

Robertus Nobilis ſeu Nobilius, vel de Nobilibus natione Italus, patria Politanus Iulij III. Pontificis Maximi ex Sorore Pronepos virtutibus clarus annum licet vix decimum tertium attigerat, adultæ ſanctitatis iam gigas Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica ab ipſo Iulio renuntiatus, ſcripſit
De gloria cœleſti opuſculum
Orationes de Aſcenſione Domini

De S. Io: Baptiſta
De SS. Petro, & Paulo Apoſtolis
De S. Iacobo Apoſtolo
De B. Maria ſemper Virgine
Sermones de Sanctis
Dialogum inter Deum, & animam.

Giſippum Boccaccianam fabulam ex Etruſco ſermone in latinum vertit, & Iulio III. Pontifici, magno Auunculo obtulit, teſte Ioanne Baptiſta Lauro Peruſino Epiſtola 99. Centuriæ 2.

Puriſſimum ſpiritum placidiſſimè efflauit in Vrbe die 17. Ianuarij anno 1559. cum annos ſeptemdecim haud multum excederet. Corpus ad S. Petrum in Monte auro conditum cum ſequenti Epitaphio.

Ieſu Chriſto Reſurrectionis,
Et Salutis Auctori
ROBERTO NOBILI
Politano
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Diacono Cardinali
Qui XIII. annos natus ob egregiã virtutis indolẽ
A Iulio III. Pont. Max. eius magno
Auunculo Patribus vniuerſis approbantibus
In ampliſſimum Collegium cooptatus
Ardentiſſimo
Cum eſſet Religionis
Et literarum ſtudio ſemeſtri tabe
Summa patientia confectus.
Dum ſe iucundiſſimam mortem ſentire affirmaret,
Suoſqu e extremo ſpiritu mirificè conſolaretur
In cœleſtem vitam quam aſſiduè
Meditabatur commigrauit.
16. Kal. Februarij M.D LIX.

Vixit

Vixit Annos XVII. Menſes IV.
Dies 12 Horas 16.
Vincentius Pater Filio optimo,
Ac dulciſſimo P.

Vide plura de noſtro Roberto apud Hiſtoricos Societatis Ieſu, nec non Auctarios Ciaconij, Ludouicum Donium Dattichy, Auberyum, & apud alios.

Robertus Sariſburienſis regio ſanguine in Anglia natus, generis ſplendorem cultioribus tam literis tum moribus mirificè ornauit, & auxit. Huic iam in ætate matura, & ordine Sacerdotali conſtituto collatus eſt Epiſcopatus Sariſburienſis, qui & tandem, ſenex à Ioanne Papa huius nominis vltimo S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus eſt; Scripſit ſuper grauibus Eccleſiæ negotijs Epiſtolarum volumen vnum.

Claruit anno redemptionis humanæ 1410. regnante apud Anglos Henrico quarto.

De quo Ioannes Pitſæus de Scriptoribus Angliæ, & in Catalogo Epiſcoporum Sarisburienſium.

Robertus Somercotus, natione Anglus, vir variarum virtutum, & multiplicis eruditionis titulis inſignis, quorum intuitu factus eſt S. R. E. Cardinalis. Mortuus eſt poſt Gregorium IX. dum in Conclaui de Pontifice eligendo ageretur anno nempe 1241. Multa eruditione Robertum ſcripſiſſe variæ mihi ſunt coniecturæ, ſed operum ne Titulos quidem inuenio.

De Roberto tractant Matthæus Veſtmonaſterienſis, & Paris, Ioannes Pitſeus de ſcriptoribus Angliæ

Robertus Vbaldinus Florentinus, Marci Antonij, & Lucretiæ Gherardeſchæ filius ex Nuncio Apoſtolico apud Regem Galliarum renunciatus Cardinalis à Paulo V. præfuit Titulo Presbyterali S. Matthæi in Merulana primùm, mox S. Pudentianæ, tum ad titulum S. Praxedis gradum fecit, & ad illum Sancti Alexij. E vita migrauit Romæ die 22 Aprilis, anno 1635. in dolore, cruciatuque calculi morbo.

Huius Volumen literarum vidi apud plures. M. S. habeo apud me alia, cum narratione ſuæ legationis Gallicæ, nonnullas legi in Bibliotheca Collegij Romani

De quo tractant Auctarij Ciaconij.

Robertus Vualdokus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis natione Scotus

Scotus ex Epiſcopo Sydonenſi in Syria Presbyter Cardinalis renuntiatus ab Vrbano IV. cum Titulo S. Chriſogoni multiformi eruditione conſpicuus poſteris tradidit librum vnum de doloribus B. Mariæ ſemper Virginis.

Libros duos Sermonum de præcipuis eiuſdem B. Virginis feſtiuitatibus.

In Magiſtrum Sententiarum libros ſex

Sermones Aduentuales

De myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis libros quinque

De modo diligendi Deum librum vnum.

Obdormiuit in Domino anno à natiuitate Chriſti 1272.

Meminere huius Franciſcus à Ieſu Maria in Syllabo Scriptorum ſui Ordinis, Hippolytus Marraccius in Appendice Bibliothecæ Marianæ, Auctarij Ciaconij, & Figueras in Chronico ſui Ordinis.

Rodericus Lenzolius Borgia Hiſpanus, Calliſti III. ex Sorore nepos, florente adhuc ætate à patruo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tuliano renuntiatus, Archiepiſcopus Valentiæ, S. R. E. Viccecancellarius, Baſilicæ liberianæ Archipreſbyter, Epiſcopus primò Albanenſis, tum Portuenſis, demum poſt Innocentij VIII. obitum Romanus Pontifex euulgatus ſub nomine Alexandri VI. cum ſediſſet annos vndecim, & dies octo, ſenio grauis Romæ in Vaticano 1503. extinctus eſt, cuius corpus in Sacrario Baſilicæ Vaticanæ lateritio, & vili monumento ſepultum eſt.

Scripſit Rodericus Clypeum defenſionis S. R. E. qui Argentorati anno 1492. in lucem publicam datus.

De Cardinalium excellentia Opuſculum, aſſeruabatur apud Card. Sirlettum.

De officio Viccecancellarij librum vnum, qui aſſeruabatur olim M. S. in Bibliotheca Cardinalis Sirletti

Gloſſam in Regulas Cancellariæ ad Innocentium VIII.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas quæ leguntur in Collectionibus Romana, & Confettina, nec non in Bullarijs Emanuelis Roderici, & Laertij Cherubini, & apud Fr. Lucam Vuadingum.

Literarum volumen, quarum aliquæ ad Ruthenos Græcorum rituum ſectatores, ad Franciſcum Ghimenium Archiepiſcopum Toletanum, Franciſcum Philelphum, & alios in cauſa Hieronymi Sauanarolæ Domenicani ſcriptæ,

De hoc agunt Panuinius, Garimbertus, Ægidius Viterbienſis, Henricus Spondanus, Bzouius in Annal, Surius in Commentarijs,

rijs, Iouius, Platina, Marraccius in Pontificibus Marianis, Ciaconius cum Auctarijs, Nicolaus Antonij in Bibl. Hiſpaniar. & alij plures.

Rodulphus Pius Carpenſis in Cardinalium numerum à Paulo III. relatus, ornatuſque Titulis Presbyteralibus S. Pudentianæ primò, mox S. Priſcæ, S. Clementis, ac S. Mariæ Tranſtyberim, deindè Epiſcopus Albanenſis, Tuſculanus, Portuenſis, & Oſtienſis, Sacrique Collegij Decanus ſcripſit literas plures, quarum illę ad Cardinalem Corteſium publici iuris ſunt. Extant eiuſdem Diſcurſus coram Pontifice Romano, & Cardinalibus habiti de Communione ſub vtraque ſpecie, de Imperatore, de celebrando Concilio Generali; & de alijs rebus in commodum Eccleſiæ Catholicæ pertractandis. Vidi etiam eiuſdem Inſtructionem pro Nuncio Apoſtolico M. S.

Supremus illi dies 10. Iulij menſis, anno à Chriſto nato 1564. fuit.

Oſſa iacent ad Sanctiſſimam Trinitatem in Monte Pincio ſub Elogio à Pio V. Pont. Max exarato.

Qui dormiunt in Terræ puluere
Euigilabunt.
RODVLPHO PIO
Card. Carpenſi Principi
Senat. ampliſſimis
Eccleſiæ Dei muneribus
Singulari prudentia perfuncto,
Iuris Eccleſiaſtici defenſori
A gratia terrore voluptatum illecebris,
Et aduerſis caſibus æquè inuicto,
Ad beneficentiam nato
In ſumma grauitate iucundiſſimo
Pius V. Pont. Max. Salutaris officij
In cuſtodia Catholicæ veritatis
Conſorti perpetuis

De

De Chriſtiana Republica, ſenſibus,
Studijſque coniunctiſſimo hoc amoris,
Et iudicij ſui monumentum
Poſuit.
Anno Salutis MDLXVIII.
Pont. ſui III.
Vix. Annos LXIV. Menſ. ij.
Dies 8.
Obijt Anno Salutis MDLXIV.
4. Non. Maij.

Agunt de hoc Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Felix Contelorius, Sfortia Card. Pallauicinus in hiſt. Concilij Tridentini, & alij plures.

Rolandus Bandinellus patria Senenſis, Presbyter primò Cardinalis S. Marci, & S. R. E. Cancellarius, deindè omnium ſuffragijs euulgatus Pontifex ſub nomine Alexandri III. Eccleſiæ partes forti pectore per annos XXI. Menſes XI. dieſque 28. contra Laicos Principes, etiam ſupremos ſuſtinuit, erat enim vir eloquens, difertus ſacrarum literarum, diuini, humanique iuris conſultiſſimus, ad cuius doctrinam paucos ex Prædeceſſoribus ſuis attigiſſe ſuorum temporum Auctor teſtatur

Scripſit Epiſtolarum ad diuerſos libris 22. diſtinctum Volumē.
Sermonum, volumen, dicatum Arnaldo Amalrico.
De Eccleſiaſtica poteſtate Opuſculum, & leges pro electione Pont. Max.

Et alia vt refert Trullus in Chronico Canonicorum Regularium.

Alexandri literas ad Henricum II. nec non ad Reges, Principes, alioſque Chriſtianos per regna Suecorum, Danorum, Gothorum, & Nouegienſium conſtitutos, ad Archiepiſcopum Vpſalenſem, & vniuerſos Suffraganeos ad Epiſcopos Lincopenſem, Guillelmum Stregneſem, atque ad Tudenſem Archiepiſcopum, ad Clericos, & Laicos Lincopenſis Epiſcopatus, & ad Fideles per Daniam conſtitutes, euulgauit Ioannes Vaſtonus Gothus in Viti Aquilonia.

Anno

Anno Dominicæ Natiuitatis 1181. 6. Kal. Septembris Romæ in Lateranenſi Palatio mortuus, ibidem marmoreo pilo ſepulchrum habuit, quod reſtauratum ab Alexandro VII. ſequenti Elogio prænotatur.

ALEXANDRO III.
Pont. Max.
Nobili Bandinella gente Senis nato
Qui difficillimis temporibus
Eximia pietate
Summa prudentia, ac doctrina
Eccleſiæ præfuit annis XXII.
Inuicta fortitudine, atque conſtantia
Apoſtolicæ Sedis iura
Auctoritatem, dignitatemque retinuit,
Et poſt immenſos labores
Ac ſollicitudine pace parta
Oecumenicum Lateranenſe Concilium
Celebrauit.
Sanctiſſimas de eligendo Summo Pontifice,
Deque vi, & ambitu coercendo
Leges tulit.
Thomam Cantuarienſem Antiſtitem,
Bernardum Claræ vallis Abbatem
Quos viuentes amiciſſimos habuit,
Odoardum Angliæ, Canutum Daniæ Reges
Sanctorum numero
Adſcripſit
Plurimiſque alijs maximis rebus geſtis,
Vitæ demum,

Et gloriæ curſum confecit
Anno Sal. MCLXXXI.
6. Kal. Sept.
Alexauder VII. Pont. Max.
Nominis, & muneris in Eccleſia ſucceſſor
Pontifici tanto, Ciui ſuo
Pios cineres veneratus.
Poſuit.

De tanto Præſule tractarunt S. Bernardus Abbas in Epiſt. Ioannes Trithemius, Rogerius Anglus, Radeuicus, Matthæus Paris, Genebrardus, S. Antoninus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Ruſticus Epiſcopus Feſulanus Diaconus Cardinalis à Vigilio Papa euulgatus, ſcripſit Diſputationem de tribus Capitulis contra Vigilium Pontificem, qui aduerſus eum damnationis ſententiam enunciauerat, illumque Diaconi dignitate priuauerat. Cum autem Ruſtico cauſa adiudicata ſit, priſtinæ etiam dignitati reſtitutus eſt.

Vide quæ de hoc narrant Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auctarij Ciaconij, & alij.

Sabinianus

S

SAbinianus natione Tuſcus, Boni filius, Diaconus, Cardinalis, & Apocriſarius Cõſtantinopolitanus ſcripſit Epiſtolas multas ad Gregorium Papam poſt cuius obitum Rempublicam Chriſtianam Pontifex adminiſtrauit per menſes quinque, dieſque, vndeuiginti; emiſit ſpiritum II. Kalendas Martij anno ſalutis 605.

Agunt de Sabiniano Baronius in Annal. Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Platina, & alij.

Scipio Caffarellus, poſtea cognominatus Burgheſius Pauli V. ex Sorore Nepos, Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni, tũ S. Laurẽtij in Lucina, Epiſcopus Sabinus, & Maior Pœnitẽtiarius literas plures negotiales ſcripſit, quarum aliquæ ſunt publici iuris à diuerſis euulgatæ, panxitque carmina latina in laudem Cardinalium à Paulo V. enuntiatorum. Romæ naturæ conceſſit die 2. Octobris anno vertentis ſeculi trigeſimo tertio, ætatis 57. Sepultus apud Sanctam Mariam Maiorem in Sacello Burgheſiano.

Vide reliqua apud Auctarios Ciaconij, nec non apud Carolum Cartharium in Syllabo Aduocatorum Conſiſtorialium, Hippolytum Marraccium in Purpura Mariana, Lælium Guidiccionum in Oratione funebri, & alios plures.

Scipio Cobellutius Viterbienſis Presbyter Cardinalis S. Suſannæ, & S. R. E. Bibliothecarius ſub Paulo V. Pont. Max. vir ingenio, pietate, prudentia, & ſingularis in omni literatura, eruditioneque ſpectabilis, Orationem ad Clementem VIII. primò Quadrageſimalium ieiuniorum die habuit, & annotationes ſcripſit in pleroſque Hiſtoricos antiquos. Collegit Auctores multos, qui de laudibus B. Mariæ tractarunt, quod opus, licet non perfectum vidi M. S. apud Patres noſtræ Societatis in Collegio Viterbienſi inſtituto hærede. Scripſit etiam ad diuerſos literas, quarum aliquæ publici iuris ſunt cum illis Io: Baptiſtæ Lauri Peruſini; aliæ ad Franciſcum Bencium ſeruantur M. SS. in Bibliotheca Collegij Romani. Mortuus eſt Romæ die 29. Iunij anno ſalutis 1627. ætatis 62. Iacet in ſuo Titulo, cuius ſepulchrum ſequenti Epigraphe annotatur.

Oſſa
SCIPIONIS COBELLVTII
Cardinalis S. Suſannæ.

Ibidem legitur Elogium à Collegio Viterbienſi Societatis Ieſu hærede grati animi ergo poſitum, & eſt tale.

D. O. M.

SCIPIONI COBELLVTIO
Viterbienſi
Sanctæ Suſannæ Cardinali Bibliothecario,
Eccleſiaſticæ dignitatis, libertatiſque
Retinentiſſimo.
In quem hoc Elogium conſentit.
Literis conciliatricibus
Purpuram adeptum eſſe
Perpetuo literarum patrocinio,
Gratiam literis reddidiſſe
Fructum potentiæ.
Opportunitate bene merendi de pluribus,
Æſtimaſſe.
Obijt Anno Domini MDCXXVII.
Ætatis LXII.
Collegium Viterbienſe Societatis Ieſu
Teſtamento hæres.
Poſuit.

Celebrant tantum virum Antonius Sanderus in Elogio. Angelus Gallutius in Oratione funebri, Hippolytus Marraccius in Purpura.

Purpura Mariana Io: Rhò in exemplis virtutum, & vitiorum, Ianus Nicius Erithræus in Pinacotheca, Auctarij Ciaconij, & alij multi.

Scipio ex Comitibus Ilcij, Patritius Senenſis, Vrſi, Aulæ Magni Ducis Etruriæ Magiſtri, intimique Conſiliarij Ferdinandi II filius, ex Referendario vtriuſque Signaturæ, Firmique in Piceno Prætore, anno ſalutis 1631. iuuenis adhuc adlectus Epiſcopus Pientinus in Etruria, paulòque poſt anno ſcilicet 1636. tranſlatus eſt ad Archiepiſcopatum Piſanum, quam Eccleſiam ſumma prudentia, & vigilantia adminiſtrauit per annos duos ſupra viginti, quo tempore anno videlicet 1639. Synodum Diœceſanam edidit, cui literas præfixit, ad Canonicos, & Capitulum ſuæ Eccleſiæ miſſas. Nuncij Apoſtolici munus exercuit apud Rempublicam Venetam, & apud Cæſarem in Germania. Vidi earumdem legationum relationes ab eodem deſcriptas prudenter, & doctè. Alexander VII. anno 1657. Cardinalium Senatui tantum virum adiunxit, quem tamen non euulgauit niſi anno ſequenti die 29. Aprilis, quo Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Sabinæ eumdem adſcripſit.

Poſt purpuram nuncium remiſit Eccleſiæ Piſanæ, Legatus verò Apoſtolicus Æmiliæ Prouinciam adminiſtrauit. E vita migrauit in Vrbe poſt Clementis IX. obitum dum Cardinales in Comitijs erant Vaticanis, pridiè Idus Aprilis anno 1670. Cadauer ſepulchrum habuit in S. Sabinæ titulo.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra in Catal. Epiſcoporum Pientiæ, & Archiepiſcoporum Piſanorum.

Scipio Gonzaga Mantuanus vir genere ac nobilitate Orbi vniuerſo notiſſimus à Siſto V. Pont. Max. Presbyter Cardinalis S. Mariæ de Populo renuntiatus, etruſca aliqua carmina elegantiſſimè ſcripta reliquit, quæ publici iuris facta ſunt in libro quem Ætheriorum Academia euulgauit. Eiuſdem literas ad Franciſcum Bencium vidi M. SS. in Bibliotheca Collegij Romani.

Exceſſit è vita die 11. Ianuarij præteriti ſeculi anno nonageſimo tertio in Oppido S. Martini paternæ ditionis, ibidemque in Sacello S. Crucis à Maioribus extructo iacet ſub hoc Titulo.

D. O. M.

SCIPIONI GONZAGÆ

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card,
Patriarchæ Hieroſolymitano,
Imperij Principi,
Vitæ integritate, literarum ſcientia,
Rerum vſu, liberalitate, officio,
Atque eloquentia ſingulari,
Mortalitatem omnium laude concluſit;
Sui apud omnes Ordines
Credibili deſiderio
Relicto.
Vixit Annos L. Menſem 1.
Dies 21.
Obijt 11. Ianuarij MDXCIII.
Franciſcus Epiſcopus Mantuanus
Ordin. Min. de Obſeruantia,
Ferdinandus, & Iulius Cæſar Hæredes
Fratri amantiſſimo
Poſuere.

Vide plura apud Auctarios Ciaconij, & Hiſtoricos Mantuanos, & alios.

Sebaſtianus S. R. F. Diaconus Cardinalis à Vigilio euulgatus literas plures ſcripſit ad Epiſcopos diuerſos contra ipſum Vigilium Pontificem.

Meminere huius Auctarij Ciaconij.

Sebaſtianus Pighinus, ſeu Pelginus, natione Italus, patria Rhegenſis, vir conſultiſſimus ex Canonico Capuano Romanæ Rotæ Auditor, & Nuncius ad Cæſarem à Paulo III. delectus. mox Epiſcopatu Aliſanenſi, & Archiepiſcopatu Sipontino donatus, & Epiſcopus Adrienſis renunciatus, Concilio Tridentum Bononia reuocato, cum Aloyſio Lipomano Veronen-
ſium

ſium Epiſcopo illuc à Iulio III. Apoſtolicæ Sedis Nuncius miſſus, inter Cardinales tandem cum alijs tredecim coptatus die 20. Decemb. anno 1551. non tamen publicatus, niſi die Lunæ 20. Maij, anni ſequentis 1552. cum Titulo S. Calliſti. Iulij eiuſdem Pontificis Vicarius Vrbem rexit, in qua è vita migrauit 1. Decembris anno 1553. ſepultus ad S. Mariam de Populo ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

SEBASTIANO PIGHINO
De Regio Lepidi
Iuris conſulto
XII. Viro litibus iudicandis,
Epiſcopo Adrienſi
Romanæ Sedis bis ad Carolum V.
Auguſt. Internuncio
Synodi Tridentinæ Præſidi,
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card.
Supplicum libellorum,
Qui ad gratiam ſpectant, cognitori
Super omnia vrbana Tribunalia
Vic. Iulij III. diſceptatori
Stephanus Pighinus Fratri
P. M.
Vixit Annos LIII. Menſes ij. Dies 5.
Obijt anno D. MDLIII.
Kal. Decemb.

Huius extant præter Deciofines, quas Iudex ſcripſit in Romana Rota, legationum Narrationes; & Concilij Tridentini actorum ſui temporis breuis quidem, ſed perfecta narratio.

Meminere

Meminere huius Ciaconius, eiuſdemq. Auctarij, Henricus Spondanus in Annal. Eccl. Cardinalis Pallauicinus in Hiſtoria Concilij Tridentini, Auberyus in Vita, Sleidanus, Vghellius, alijque quamplures.

Seraphinus Oliuarius Razalius, natione Gallus, patria Lugdunenſis, omnium fermè liberalium artium ornatiſſimus, ex Auditore Rotæ Presbyter Cardinalis S. Saluatoris in Lauro à Clemente VIII. renuntiatus, ſcripſit.

Deciſiones Rotæ Romanæ mille quingentas, quas Vitalis Amicus poſt Auctoris obitum typis euulgauit.

Item Tomum vnum Reſponſionum deciſiuarum, & alia plura quæ M. SS. cuſtodiuntur apud diuerſos.

Romæ viuere deſijt die 9. ſeu 10. Maij Menſis, anno voluentis ſeculi nono. Sepultus in Ædibus Sanctiſſimæ Trinitatis ad Montem Pincium ſine vlla memoria.

De hoc agunt præter Auctarios Ciaconij, Iuſtus Lipſius, & Arnaldus Oſſatus in Epiſtolis, Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium, Spondanus in Annalibus, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Antonius Bumaldus in Bibliotheca Bononienſi.

Sergius ex Comitibus Tuſculanis Benedicti filius, patria Romanus Presbyter Cardinalis, qui Petri Cathedram per vim occupauit plurium annorum ſpatio, ſcripſit ad Alexandrum Archiepiſcopum Viennenſem, & ad Leopardum Nonatulani Monaſterij Abbatem literas, quarum primam Ioannes Leruæus in Antiquitatibus Viennenſibus recitat, alteram profert Ferdinandus Vghellius in Tomo 2. ſuæ Italiæ ſacræ; obijt Sergius anno noſtræ ſalutis 910. die 9. Aprilis.

De Sergio præter Baronium, & Ciaconium ſcribunt Guillelmus Bibliothecarius, Ioannes Stella, S. Antoninus, Martinus Polonus, & alij plures.

Sergius Tiberij Mercatoris filius, natione Syrus, Patria Antiochenus Presbyter Cardinalis S. Suſannæ ad duas domos, tum Pontifex Maximus Epiſtolam miſit ad Ceolfridum Abbatem Anglum, quæ extat in Tomo 5. Conciliorum. Eiuſdem Epiſtolas ad Ethelredum, Alfridum, & Adulphum Angliæ Reges publici iuris fecit Ioannes Vaſtonus in Viti Aquilonia. Inter Eccleſiaſticos Scriptores à Poſſeuino in Apparatu ſacro, & à Iacobo Coccio in Catholico Theſauro numeratur.

Cum

Cum autem præfuiſſet Eccleſiæ annis XIII. menſibus viij. diebus 28. obijt 5. vel 6. Idus Septembris, anno ſeculi octaui primò & ſepultus in Vaticano ſub ſequenti Epitaphio.

Limina quiſquis ades Petri metuenda Beati.
Cerne pij Sergij, excubiaſque Petri
Culmen Apoſtolicæ Sedis is iure paterno
Electus tenuit, vt Theodrus obijt.
Pellitur orbe Pater, peruadit ſacra Ioannes,
Romuleoſque greges diſſipat ipſe lupus.
Exul erat patria ſeptem voluentibus annis
Poſt Populi multis Vrbe redijt precibus.
Suſcipitur Papa, ſacratur, ſede recepta
Gaudet, amat Paſtor agmina cuncta ſimul.
His inuaſores Sanctorum falce ſubegit
Romana Eccleſia, indicijque Patrum.

Tanti viri res geſtas deſcripſerunt Baronius in Annal, & in Notis ad Martyrologium Romanum, Platina, Panuinius, Anaſtaſius, Genebrardus, Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Sergius iunior Sergij filius, patria Romanus, Archipresbyter Cardinalis in Titulo SS. Silueſtri, & Martini, tum Pontifex Maximus adminiſtrauit Chriſtianam Rempublicam per menſes duos, dieſque tres ſupra triennium, ac ſcripſit teſte Flodoardo in hiſtoria Remenſi ad Carolum Caluum, & ad Lotharium Reges Francorum literas pro congreganda apud Treuiros Synodo. E vita migrauit die 12. Aprilis anno poſt Chriſtum natum 847. ſepultus in Vaticano cum ſequenti Epitaphio.

Sergius en iunior Præſul, & plebis amator,
Hoc tegitur tumulo, qui benè pauit oues.
Spes patriæ, mundique decus, moderator opimus,
Diuinis monitis non fuit ille piger.
Romanos proceres, non tantum famine verbi,
Rebus, & humanis nocte, dieque fouens.
Vtque Leo ſanctus, Damaſus quoque Papa benignus
Hic rituum tenuit, inſtitutque gregem.
Egentem ſemper ſtudit recreare cateruam,
Proque poli vt caperet cælica regna libens.

Iam iam pro tanto tundamus pectora pugnis ;
Paſtore amiſſo , vt viuat axe poli .
Nectitur ecce pijs Fabiano , & compare Xyſto
Præſulibus , quorum ſpiritus aſtra tenet .

Eſt Sergij mentio apud Anaſtaſium Bibliothecarium , Ciaconium , apud Auctores Annalium Francorum , & alios ,

Seuerinus patria Romanus labieni filius S. R. E. Cardinalis, & Summus Pontifex , ſuæ fidei explanationem factam à Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopo hæretico reprobauit , & contra illam ſcripſit . Incertum quanto tempore vixerit in Pontificatu , quoue mortem ſubierit ; non ſuperfuit anno 639. ad quem perueniſſe dicendum eſt cum conſtet Ecteſin promulgatam eo anno , damnaſſe . Obijt ex alijs die 2. Auguſti anno 638. ſed veritati tale dictum repugnat, vt diximus .

Celebrant Seuerinum præter Ciaconium Hieronymus Rubeus in hiſtoria Rauennæ, Bellarminus, Baronius in Annalibus, & alij apud illos .

Sfortia Pallauicinus natione Italus , patria Romanus , Theologus magni nominis , quam ſcientiam publicè profeſſus per annos multos poſt Philoſophiam in Collegio Romano Societatis Ieſu . Poeta eximius in vtraque lingua , ab Alexandro VII. Pontifice Maximo à veſte religioſa aſſumptus ad ſacram purpuram in titulo obtinuit primò S. Suſannam ad duas Domos, deindè S. Saluatorem in Lauro ; Ante aditam Societatem, ſed abrupit ingreſſurus, Faſtos ſacros carmine etruſco publici iuris facere parauerat ; ediderat tamen de vniuerſa Philoſophia aſſerta , defenſa in Collegio Romano , & volumen vniuerſæ Theologiæ in Theſes digeſtum , Vrbanique VIII. virtutes carminibus explicaueræt latinis .

Religioſus verò è Societate Ieſu typis tradidit italicè Hiſtoriam Concilij Tridentini duobus voluminibus .

Dialogum de ſtylo

S. Hermenigilli Tragædiam italico carmine .

Libros quatuor inſcriptos del Bene .

Latina lingua octo Compendia Tractatuum Theologicorum, quos in Scholis Collegij Romani dictauerat .

Vindicias Societatis Ieſu.

Tractatum in primam ſecundæ D. Thomæ

Epiſtolam ad Carolum Thomaſium Clericum Regularem

Cardinalis autem euulgauit italica lingua Artem perfectionis Chriſtianæ, .

Epiſtolam

Epiſtolam ad Ioannem Lucam Duratium Patritium Ianuenſem in defenſionem hiſtoriæ Concilij Tridentini

Vitam Alexandri VII. Pontificis.

Volumen literarum, quod lucem non vidit niſi poſt Auctoris obitum, ſequutum die 5. Menſis Iunij anno vertentis ſeculi ſexageſimo ſeptimo.

Iacet in Quirinali apud Religioſos ſui Ordinis in pernobili ſepulchro, ſub hac Epigraphe.

D. O. M.

SFORTIÆ PALLAVICINO
E Societate Ieſu
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Cardinali
Tit. S. Saluatoris in Lauro
Domus hæc Probationis hæres M. P.
Obijt Nonis Iunij
Anno rep. ſal. CIƆIƆLVII.
Ætatis ſuæ LX.

Sfortiam laudant Vincentius Guiniſius Soc. Ieſu in ſuis Allocutionibus, Philippus Allegambe in Bibliotheca ſui Ordinis, Nicolaus Angelus Caferrus in Synthemate vetuſtatis, Auctarij Ciaconij, & alij plures Scriptores noſtri ſeculi.

Sigiſmundus Chiſius Senenſis, Alexandri VII. Pontificis ex fratre nepos, Auguſti ex ſecunda vxore Franciſca Piccolominea, patria Senenſi filius, Diaconus Cardinalium Collegio Clementis IX. Pontificis beneficio iuuenis adhuc, non enim ætatis ſuæ vndeuigeſimum exceſſerat annum adſcriptus, Diaconiam S. Mariæ in Dominica obtinuit, & ſub Clemente X. legationem Ferrarienſem adminiſtrauit: cum autem in Galliam cum Flauio fratre patrueli Cardinali, & Legato Apoſtolico ſe contuliſſet, gentium mores, regionum ſitus, locorum omnium interualla, naturam marium, poſitiones Vrbium eleganti carmine ante purpuram deſcripſit. Viuit hoc anno 1676. ſcientiarum omnium, nec non pietatis ſtudioſiſſimus, præeſtque legationi Ferrarienſi.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij.

Sigizzo iunior, patria Bononienſis, ex familia nobili Blanchetta ab Honorio II. Romano Pontifice renuntiatus Presbyter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini in ſchiſmate contra Innocentium II. pro Anacleto Pſeudopontifice ſtetit, & ſcripſit in eiuſdem defenſionem tractatum, olim in Bibliotheca Ducis Vrbinatis M. S. aſſeruatum; obijt poſt annum ſalutis 1136.

Meminere huius Ciaconius cum Auctarijs in Honorio II. Maſſinus in Bononia illuſtrata, Ghirardaccius, Leander Albertus, alijque plures.

Siluerius, alijs Cœlius Siluerius Hormiſdæ Papæ ex legitimo thoro filius, S. R. E. Subdiaconus Regionarius, tum Pontifex Maximus Cleri Suffragiis electus; vt eccleſiam contra Vigilium tueretur, Epiſtolas plures euulgauit, quarum vnam Cæſar Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis protulit, alteram apud collectores inuenies typis Venetis euulgatam anno 1574. Aliæ, præter has, nomine Siluerij typis datas, fictitiæ, præcipuorum Scriptorum voce reputantur. Cum autem adminiſtraſſet Chriſtianam Rempublicam annis tribus, vndecimque diebus, relegatus ad Pontinas diem clauſit extremum 12. Kal. Iulij anno reparatæ ſalutis 540.

Eſt Siluerij mentio apud Martyrologium Romanum, Baronium in Notis, & in Annalibus, S. Antoninum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios.

Silueſter Ruffini filius, patria Romanus, primò Presbyter Cardinalis, mox Summus Pontifex Epiſtolas varias ſcripſit, vt conſtat ex literis ad illum datis ab Helena Imperatrice, ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, Marino Archiepiſcopo Arelatenſi, a b Oſio Cordubēſi Epiſcopo, à Conſtātino Imperatore, & ab alijs. Cum autem rexiſſet ſanctiſſimè Eccleſiam per dies quatuor ſupra annum 21. ſumma ſenectute corporis vinculis ſolutus ad prœmia euolauit æterna pridiè Kal. Ianuarij anno Chriſti 335.

Viri huiuſce memoriam celebrant Martyrologia omnia, ac Menologia Græcorum, nec non Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Siluius Antonianus Romanus Presbyterorum Cardinalium Collegio cum Titulo S. Saluatoris in Lauro à Clemente VIII. Pontifice Maximo adiunctus, Purpuræ ſacrę ornamentum, Summorum Pontificum deliciæ, naturæ miraculum, doctrina ac pietate præſtans ſcripſit Caroli Cardinalis Borromei ſuaſu.

De Chriſtiana puerorū educatione, lib. ū excuſum Veronæ.

Diſſer-

Diſſertationem de obſcuratione Solis in morte Chriſti
De ſucceſſione Apoſtolica
De ſtylo Eccleſiaſtico, ſeu de conſcribenda Eccleſiaſtica hiſtoria
De Primatu S. Petri
Commentariolum aduerſus illos qui aſſerunt S. Petrum Romæ primùm, tum Antiochiæ ſedem habuiſſe
Homilias plures
Reſponſionem ad Oratores Alexandrinos nomine Clementis VIII.
Lucubrationes in Rhetoricam Ariſtotelis, & in Orationes Ciceronis
Orationes tredecim Ferrariæ, & Romæ habitas, quarum aliquas cum vita Auctoris edidit Ioſeph Caſtalio, illam ad Pium V. pro Victoria contra Turcas Bzouius in Tomo vltimo.
Explicationes, & Centurias varias
Breuia Apoſtolica plura
De Italiæ calamitate carmen
Carmina heroica ad Cæſarem
De B. Mariæ Virginis triumpho Carmen
Symbolum Apoſtolicum in Catechiſmo Romano explicauit
Epiſtolam ad Dominicum Millinum
Aliaque plura M. SS. apud Flaminium Cereſolum ſe vidiſſe faſſus eſt Andreas Victorellus.

Naturæ debitum perſoluit Romæ apud S. Marcum in Palatio Pontificio 17. Cal. Septembris voluentis ſeculi tertio anno, ætatis 63. Iacet in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella ſub hac Epigraphe.

SILVIVS ANTONIANVS
Presb. Romanus ſacellum ornauit
Locum ſepulturæ deligit
Anno Domini MDLXXX.

Multis poſt annis idem ornatius effecit, ſequenti adiecta inſcriptione.

SILVIVS ANTONIANVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Presbyter Cardinalis
Sacellum tranſlatum decentius ornauit
Anno ſalutis MDCI.

Vide de hoc plura apud Auctarios Ciaconij, & laudatum Caſtelionum in vita.

Simon Beaulieu apud Bellum locũ in Bria Campaniæ, familia nobili ortus, renuntiatur Archidiaconus Carnotenſium, & Pictauij, tum Canonicus Bituricenſis, Sanctique Martini Turonenſis, quibus in Eccleſijs tantam ſui nominis famam excitauit, vt non modo Archiepiſcopatu Bituricenſi honeſtatus, verum etiam ſacram Purpuram adeptus fuerit. Hunc Bonifacius VIII. legatum miſit in Gallias ad componendum bellum inter Philippum IV. Franciæ, & Eduardum II. Angliæ Reges. Vrbe veteri anno MCCXCVII. die Auguſti 18. ad meliorem vitam abijt; conditus ante aram maximam Eccleſiæ S. Franciſci cum Epitaphio in tabula marmorea exarato pretereuntium pedibus ferè conſumpto, vbi ſtemmata domus delineata ſpectantur.

Simonis hæc foſſa Ti.... Cardinalis .... oſſa
Francia Papatus fuit huic Regi quoque gratus.
Cardo.....Prencs....Bituris tanta pietas
Anno 1297. 18. die Menſis Aug. Obijt.

Sed, & alia Tumulo eiuſdem Cardinalis in Presbyterio Templi Abbatiæ S. Mariæ Ioyaci ante maius altare legitur, & eſt talis.

Quem lapis iſte tegit, Simon virtute ſubegit
Iuſtus perfidiam, largus auaritiam.
De bello fuit iſte loco Primas Aquitanus
Ex dono meriti, Prælatus Bituricanus
Fit Carnotenſis prius, Archi Bituricenſis
Poſt fit Prælatus, Cardine fine datus.
Tres annos demas, tantum de mille trecentis
Et poſt quindenam Matris Domini morientis
Lunæ quere diem, tunc habuit requiem.
Qui legis hic plores, & Chriſtum dulciter ores
Tranſeat examen, & requieſcat amen.

Extant huiuſce Cardinalis acta Synodi Prouincialis quam habuit in ſua Eccleſia anno ſalutis humanæ 1282. & literæ quarum aliquas

aliquas referunt Sammarthani Tomo 1. Galliæ Chriſtianæ. Vide Auctarios Ciaconij.

Simon de Borſano, ſeu de Boyſſano, vel Borſinus, aut de Bouſano Mediolanenſis ex Archiepiſcopo Patriæ Presbyter Cardinalis SS. Io: & Pauli à Gregorio XI. Pont. Max. renuntiatus, elucubrauit perutile Volumen ſuper Clementinarum librum. Clementis VII. Pſeudopontificis partes ſequutus in eius obedientia diem clauſit extremum Niciæ in Prouincia 4. kal. Septembris anno ſeculi decimi tertij primo ſupra octogeſimum, ibidemque ſepultus, vti referunt Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & alij apud eoſdem.

Simon de Bria natione Gallus haud ignobili genere natus ſed doctrina, rerum gerendarum experientia, animi magnitudine, morum, & vitæ integritate inſignis, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, Legatus Sedis Apoſtolicæ in Gallijs, deinde Romanus Pontifex Petri nauim rexit ſub nomine Martini II. alijs IV. per menſem vnum, dieſque ſeptem ſupra annos quatuor, in cuius commodum Epiſtolas plures ad diuerſos miſit, quarum regiſtrum M.S. aſſeruatur in Vaticano; illas Magno, illuſtri Sueciæ Regni datas exaratas inuenies apud Io: Vaſtonum Gothum in Viti Aquilonia.

Peruſij quo ſeceſſerat lenta febri ſenſim vexatus obijt 4. Kalen. Aprilis Anno Dominicæ Incarnationis. 1285.

Meminit huius Eberardus in Chronico, Io: Trithemius, Genebrardus, Seuerinus Binius, Ægidius Viterbienſis, Papyrius Maſſonus, Frizonius, Ciaconius, & alij plures.

Simon (quem alij Petrum nominant, ſed malè, fuit enim Petri frater) de Cramado, ſeu de Crammaudo, natione Gallus ex Magiſtro libellorum ſupplicum Agimenſi primò, tum Biterrenſis, Carcaſſonenſis, Auenionenſis, Pictauienſis, Remenſis Præſul, & Patriarcha Alexandrinus euulgatus interfuit Synodo Pariſienſi habitæ anno ſalutis 1398. ad ſchiſma in Eccleſia Romana extinguendum, in qua publicatus eſt Tractatus de Schiſmate, quem Simon compoſuerat. Poſt Concilium Piſanum purpuram accepit à Ioanne XXII. ſeu XXIII. Pont. Max. cum Titulo S. Laurentij in Lucina. Interfuit etiam Concilio Conſtantienſi, in quo Concionem habuit elegantem die Dominico 27. Aprilis Menſis themate ſumpto ex ijs Scripturæ verbis, libera Deus Iſrael ex omnibus tribulationibus ſuis Eccleſiam.

Conſtantia receſſit in Galliam, vbi naturæ debitum perſoluit anno

anno 1429. Pictauij ſepultus in Cathedrali cum hoc Epitaphio, & Effigie alabaſtrina.

SIMON S. R. E.
Et S. Laurentij in Lucina
Presbyter Cardinalis,
Et Epiſcopus Portuenſis;
Iacet in hoc ſepulchro,
Cuius imago de Alabaſtro
Eſt ſuper tumulum marmoreum poſita,
Et
Statua Cardinalis
In proximo prędicto ſepulchro contiguo.
Qui dum fuit Romæ promotus.
Ad Cardinalatum erat Archiepiſcopus
Remenſis,
Et pro ſuſtentatione ſui ſtatus fuit ſibi datus
Epiſcopatus Pictauienſis,
Cuius etiam ante permultos annos
Fuerat Epiſcopus,
Et fundauit in iſta Eccleſia vnam præbendam
Cum groſſo quadraginta librarum
Pro nutrimento vnius Magiſtri,
Et ſex Puerorum
In Muſica inſtruendorum
Ad faciendum diuinum ſeruitium.

Reliqua ſunt obliterata.

Eſt noſtri Simeonis mentio apud Auctores Galliæ Chriſtianæ, & Purpuratæ, apud Auberyum, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, & alios.

Simon

Simon Paſqua Genuenſis Galeatij, & Peregrinæ Stellæ filius, Philoſophiæ, ac Medicinæ, græcæ, latinæque linguæ cognitione clarus in Britanniam ad Philippum Regem, Mariæ Anglorum Reginæ Maritum, Patriæ nomine gratulatum miſſus, à Pio IV. Lunenſis, & Sarzanenſis Epiſcopus anno ſalutis 1561. delectus, ac S. R. E. Cardinalis euulgatus, anno eiuſdem ſeculi 65. Romæ poſt paucos menſes defunctus, in Titulo S. Sabinæ, cui præfuerat ſepulturam accepit, pro poſteris relinquens M. SS.
Relationem ſuæ legationis Britanniæ.
Inſtructionem pro Patribus Concilij Tridentini, cui, & ipſe adfuerat.
De Podagra Opuſculum quod extabat in Bibliotheca Ducis Vrbini
Conſilium pro immaculata Virginis Mariæ Conceptione, quo Sanctorum Patrum, tum Græcorum cum latinorum ſententiam in hac re exponit.
Contra errores Græcorum opuſculum
Epigraphes ſub qua iacuit in Eccclefia S. Sabinæ talis eſt.

SIMONI PASQVÆ
Viro omni doctrina
Probitate, Morum ſuauitate ornatiſſimo
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbytero Cardinali S. Sabinæ
Qui annum agens LXXII.
Menſes x. Dies 7.
Anno ſalutis MDLXV.
Pridiè Nonas Sept.
Relicto bonis omnibus
Incredibili ſui deſiderio, ad meliorem vitam
Commigrauit.
Genuam poſt annum cum Maioribus ſuis
Sepeliendus translatus
Stephanus frater Fratri gemino
Faciendum curauit

Et Octauianus Paſqua
Referendarius Apoſtolicus
Fratris filius mœrens.

Plura habent Ciaconius cum Auctarijs, Auberyus, Panuinius, Contelorius, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, & alij.

Simon de Sully ſeu de Soliaco, Ægidio II. Soliacenſi Domino ex Lucia de Chareton natus, natione Gallus, ex Archiepiſcopo Bituricenſi Presbyter Cardinalis Tituli S. Cæciliæ à Gregorio IX. renuntiatus anno 1232. ſedis vltimo, legationis officio in Regno Franciæ, in diœceſi Lugdunenſi, partibuſque Tranſmarinis fuit decoratus, vt fidem facit Diploma datum Viennæ 7. kal. Octobris, Pontificatus Gregorij anno 4. Obijt deindè Simon 6. Id. Auguſti anno eodem quo Cardinalium Collegio fuerat adſcriptus. Sepultus in Metropolis Choro ſub lamina ærea his verſibus.

Exuperans heres Simon, en in Preſule Præſes
Orator caſtus, patiens ſine crimine faſtus
Deuotus Chriſto, tumulo requieſcit in iſto
Bis ſexcentenos octo quater egerat annos
Chriſtus homo, ſexto Sextiles euolat Idus.

De huius Cardinalatu nihil habetur explorati in Tabulis Soliacenſis familiæ.

Extat M. S. noſtri Simonis Intinerarium per Burdegalenſem Prouinciam, & ei ſubiectas Diœceſes, cum eas iure Primatiæ ſuæ viſitauit.

Meminere Simonis Sammarthani in Gallia Chriſtiana, Petrus Frizonius in Purpurata, Auctarij Ciaconi. Auberyus, Philippus labbè & alij.

Simplicius natione Italus, patria libertinus ex S. R. E. Cardinali creatus Summus Pontifex, Petro Eutychianiſta Conſtantinopolitano Epiſcopo damnato, ſcripſit in Eccleſiæ commodum Epiſtolas duaſdeuiginti, quæ legi poſſunt in Tertio Tomo Conciliorum. Alias miſit ad Acacium Conſtantinopolitanum hactenus ignotas. Præfuit Eccleſiæ Catholicæ annos 15. Menſes vij. totidemque dies., cuius obitus contigit principio Menſis Martij anno reparatæ ſalutis 483.

Celebrant

Celebrant Simplicium Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, & in Annal. Anaſtaſius Bibliothecarius, Panuinius Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Sinibaldus Fliſcus nobilis Genuenſis, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina, S.R.E Vicecancellarius, diuini, humanique iuris conſultiſſimus, qui Petri Cathedram aſcendens dictus eſt Innocentius IV. omnium primus Eremitis S. Auguſtini Protectorem conſtituit Richardum Diaconum Cardinalem S. Angeli, & ſcripſit

Contra Petrum de Vineis Friderici Cæſaris Cancellariũ Opus.

De poteſtate Eccleſiaſtica Apologeticum, quod M.S. aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana

De poteſtate Imperij, & Eccleſiæ alterum librum ex Poſſeuino.

Interpretationem in veſtus Teſtamentum

Vitam S. Guillelmi Epiſcopi ſeptuageſimi noni Bituricenſis M.S. in Vaticano

Regulam Clariſſarum

Formam vitæ M.S. in Vaticano

Exceptionum librum.

Authenticas quas addidit ad Gregorij IX. Decretales

Commentaria, ſeu Apparatum ſuper lib. 5. Decretalium.

Patauij in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ reperitur Innocentij huius volumen ſuper decretales, quod inſcripſit, Hanc Decretalem, teſte Iacobo Philippo Tomaſino in ſuis Bibliothecis Patauinis, ſed an hoc aliud ſit à ſuperiori nil certi habeo; initium tamen videtur diuerſum ab alio.

In Oxonienſi Bibliotheca Collegij noui erat Summa Innocentij IV.

Volumina quinque Regiſtri Innocentij aſſatuantur M.SS. in Vaticano.

Eiuſdem Concilium Lugdunenſe habetur Tomo VII. Conciliorum cum notis Binij.

In ſextum etiam Decretalium ſcripſiſſe Innocentium noſtrũ affirmat Poſſeuinus.

Tum Epiſtolarum ad diuerſos librum vnum: quarum plures, Priori videlicet, ac Fratribus Ordinis Prædicatorum de VVisbi, Lingocopenſis Diœceſis per Gothlandiam, aliaſque Archiepiſcopis Scarenſi, & Vpſalenſi, eorumque ſuffraganeis, & illas Epiſcopis Lincopenſi, Bergenſi, Nidroſienſi, ac Alphonſienſi, nec non alias toti Clero Regni Sueciæ datas inuenies apud Vitim

Aquiloniam Ioannis Vaſtoni Gothi. Ordinauit inſuper ex Baronio in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 15. Septembris Officium quod in Octaua Natiuitatis B. Mariæ legitur; Clero Beluacenſi feſtum diem inuentionis S. Stephani Prothomartyris celebrandum indixit; Archiepiſcopo Pruſiæ vt ante ſe Crucem deſferret conceſſit; Fratres Ordinis Minorum ad Tartarorum Principem, Prædicatorum verò ad Iacobitas, Neſtorianos, Gregorianos, Armenos, Græcos, Maronitas, & Moſolinos ad promulgationem Euangelij miſit; Tumultuante autem Polonia Legatum Apoſtolicum ad componendas eas turbas, Iacobum Leodienſem Archidiaconum direxit; legatos alios inſtituit pro Pruſſia, Germania, Italia, & Hiſpania; Sacræ Carmelitarum familiæ inſtitutam excolendæ vitæ religioſæ rationem confirmauit; Placentiæ Academiam erexit, omnibuſque prærogatiuis, quibus Pariſienſis gauderet, ornauit, Ianuenſis Archiepiſcopi auctoritatem in nonnulla Terdonenſis Diœceſis oppida amplificauit; Scemenſi Epiſcopo permiſit vt in diuinis officij libris Sclauonico charactere exaratis vteretur: At cum anno 1246. Ruſſi, ſeu Pruſſi ad Romanæ Eccleſiæ rediiſſent, qui licet euangelica luce antea fuiſſent colluſtrati, in Græcorum tamen ſchiſmate, atque erroribus merſi iacuerant, Archiepiſcopo, Sedis Apoſtolicæ legato iniunxit vt lectiſſimos quoſque viros ſcientiæ, ac virtutum laude conſpicuos, ſiue ſeculares Sacerdotes, ſiue ex Prædicatorum, ac Minorum religioſis familijs, & alijs Regularibus Epiſcopos illis præficeret, & conſecrationis munus ijs impertiretur. Cum autem Eccleſiam rexiſſet Menſes quinque dies XII. ſupra annos vndecim Neapoli viuendi finem fecit die 13. Decembris anno ſalutis 1254. ibidemque ſepulchro datus, ſequenti Elogio adonato.

Hic Superis dignus requieſcit Papa benignus
Letus de Fliſco ſepultus tempore priſco.
Vir ſacer, & rectus ſacro velamine tectus
Vt iam collapſo mundo temeraria paſſo
Sancta miniſtrari Vrbs poſſet quoque rectificari
Conſilium fecit, veteraque iuſſa refecit.
Hæreſis illiſa tunc extitit, atque reciſa
Maria direxit, rectè ſibi credita rexit,
Strauit inimicum Chriſti colubrum Fridericum.
Ianua de nato gaudet ſic clarificato.
Laudibus immenſis, Vrbs tu quoque Partenopenſis,

Pulcra

Pulcra decore ſatis, dedit hic ſibi plurima gratis.
Hoc titulauit ita Vmbertus Metropolita.

D. O. M.

INNOCENTIO IV.
Pont. Max.
De omni Chriſtiana Republica
Optimè merito
Qui natali S. Ioannis Baptiſtæ
Anno MCCXLIII.
Pontifex renunciatus
Die Apoſtolor. Principi ſacra coronatus
Quum purpureo primus pileo
Cardinales exornaſſet
Neapolim à Conrado euerſam
S. P. reſtituendam curaſſet
Innumeriſque alijs præclarè, & propè
Diuinè geſtis Pontificatum ſuum
Quam maximè illuſtrem reddidiſſet
Anno MCCLIV.
B. Luciæ Virginis Luce, hac Luce ceſſit.
Annibal de Capua Archiep. Neap.
in ſanctiſſimi Viri memoriam.
Abolètum vetuſtate Epigramma reſtituit.

Tanti viri laudes enarrarunt Auguſtinus Iuſtinianus in Annal. Genuen. Io: Fichardus in vitis Iuriſconſultorum, S. Antoninus, Hippolytus Marraccius de Pontificibus Marianis, & in Bibliotecha, Federicus Federici de familia Fliſca, Antonius Sanderus in Elogijs Cardinalium, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Siricius

Siricius natione Italus Patria Romanus, ex Presbytero Cardinali S. Pudentianæ titulo Paſtoris electus ſub eodem nomine Pontifex Maximus ſedit in pontificatu Annos XIV. menſem vnum, dies 14. variaſque ſcripſit Epiſtolas, quarum quatuor tantum extant aqud Binium Tomo 1. Conciliorum. Ex hac demum vita migrans 8. Martij anno à partu Virginis 398. ſepultus in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria cum ſequenti Epitaphio

Liberium lector, mox & leuita ſecutus
Poſt Damaſum clarus, totos quos vixit in annos
Fonte ſacro magnus meruit ſedere Sacerdos
Cunctis vt populis pacem tunc ſolidam daret.
Hic pius, hic iuſtus, felicia tempora fecit,
Defenſor magnus multos vt nobilis auſus
Miſericors, largus, meruit per ſecula nomen.
Ter quinos populum qui rexit in annos amore
Nunc requiem ſentit cæleſtia regna potitus.

Plura de hoc referunt Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Sixtus Paſtoris filius Romanus, ex Presbytero Romanæ Eccleſiæ Pontifex euulgatus duas reliquit Epiſtolas decretales datas ad Epiſcopos Orbis vnam, alterum ad omnes Chriſti fideles. Cum autem ſediſſet in Petri Cathedra annos IX. menſes x. occiſus eſt ab impijs ob fidei chriſtianæ confeſſionem 1. Idus Aprilis anno à Chriſto nato 139.

De hoc Sancto tractant Martyrologia omnia, nec non Baronius in Notis, & in Annal. liber de Romanis Pontificibus inſcriptus Damaſus, Platina, Panuinius, Circonius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Sixtus iunior natione Græcus, patria Athenienſis primò Preſbyter Cardinalis tum Pontifex Maximus, demum cum ſediſſet menſes nouem, dieſque duodeuiginti Chriſti Martyr ſexta Auguſti die anno à partu Virginis 261. factus, ſcripſit Epiſtolas duas, ad Gratum Epiſcopum vnam, alteram ad Epiſcopos Hiſpaniarum. Huic aliqui tribuunt, ſed malè, Sixti Philoſophi librum Sententiarum.

Laudant ſanctiſſimum virum latini in Martyrologijs, Græci in Menologio, nec non Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, Scriptores actuum S. Laurentij M. & alij.

Sixtus alſus patria Romanus qui ex Presbytero Cardinali renuntiatus Pontifex, dictus eſt huius nominis tertius Pontifex, zelo fidei nil antiquius habuit quam Eccleſiam reddere in omnibus ſtabilitam; quare vt Patrem ſe prius exhiberet quam Iudicem ad Neſtorium iam damnatum vt reſcipiſceret literas dedit. At medicinam ſalutarem exhorruit ille. Similes ad Ioannem Antiochenum Præſulem Neſtorij fautorem miſit, ſuiſque ſcriptis hereſim illam ſemper dum vixit inſectatus eſt. Huius libros de diuitijs, de malis Doctoribus, de operibus fidei, iudice futuro, & caſtitate edidit Iacobus Saluator Solanius Murgitanus ſeculo decimo ſexto Romæ. Rexit autem Pontificatum annos 7. & menſem vnum, ſeu ex alijs annos 8. minus diebus triginta, atque ex hac vita deceſſit 5. Kal. Aprilis anno ſalutis humanæ 440.

Huius Sancti acta explicant Baronius in Annal. Anaſtaſius Bibliothecarius, Panuinius, Platina, Petrarcha, Ciaconius, & alij multi.

Soter, alijs Concordius Soter Fundis in Campania natus ex S. R. E. Presbytero creatus Romanus Pontifex ſedit in Cathedra D. Petri annos 7. menſes 11. dies 17. ſcripſitque plures Epiſtolas, quarum duæ inter Decretales recenſentur. Romæ in pace quieuit 10. Kal. Maij anno Domini 182.

Eſt Soteri mentio apud Martyrologia omnia, apud Baronium Euſebium, Ciaconium, & alios omnes qui hiſtoriam Pontificiam deſcribunt.

Staniſlaus Hoſius Polonus ex Varmienſi Epiſcopo Presbyter Cardinalis S. Sabinæ à Pio IV. euulgatus, Maior Pœnitentiarius Sedis Apoſtolicæ legatus in Concilio Tridentino, ac in Regno Poloniæ, vir vitæ ſanctitatis, eruditionis, atque eloquentiæ gloria celeberrimus, ſcripſit.

Confeſſionem Auguſtanam.

Confutationem Catholicæ fidei Chriſtianæ aduerſus Confeſſionem Auguſtanam.

Confutationem Prologomenon Brentij.

De expreſſo Dei Verbo.

De communione ſuper vtraque ſpecie Dialogum Trimembre euulgatum Pariſijs 1561.

Latini ſermonis obſeruationes.

De Sacerdotum coniugio. Pariſijs 1561.

De Miſſa vulgari lingua celebranda. Ibidem.

Explicationem Salutationis Angelicæ

Iudicium

Iudicium, & cenſuram de adoranda Trinitate, in Miniſtros Tigurinos, & Hidelbergenſes.

De loco, & auctoritate Rom. Pontificis in Eccleſia, & in Concilijs contra Orechouium.

Fabiani Quadrantini recantationes.

De oppreſſo Dei Verbo.

De actis cum diuerſis Hæreticis

Epiſtolas triginta duas ſupra ducentas ad diuerſos.

Examen, ſiue excuſſionem confederationis Hæreticorum

Excuſſionem alteram eiuſdem confederationis

Orationes funebres duas in parentalibus Sigiſmundi I. & II. Poloniæ regum.

Homilias plures, latina, Germanica, & Polonica lingua

Literas ad Flaminium Nobilium

Apologiam Romanæ Curię, & Ciuitatis

Tractatum contra Politicos pro Epiſcopali, Eccleſiaſtica, ac Ciuili iuriſdictione. Collationem veteris Eccleſiæ cum noſtra.

Carmina contra Lutheri dogmata

Quæ Hoſij ſcripta tanto Chriſtiani Orbis conſenſu, & approbatione accepta ſunt, vt ipſo met adhuc in viuis agente bis, & triceſies prælo ſubiecta eſſe ferantur, Romæ, Lutetiæ, Lugduni, Antuerpiæ, Colonię, Louanij, Moguntiæ, Cracouiæ, Venetijs, & alibi in Gallicam, Italicam, Germanicam, Flandricam, Anglicam, Polonicam, & Arabicam linguam tranſlata.

Exceſſit Capranicæ die 5. Auguſti anno ſalutis humanæ 1579. Cadauer Romam delatum, ſepulchrum in Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim ſub hoc Epitaphio habuit.

D. O. M.

STANISLAO HOSIO

Polono

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Presb. Card.

Varmienſi Epiſcopo,

Maiori Pœnitentiario, vitæ ſanctitatis,

Eruditionis,

Et

Et eloquentiæ gloria celeberrimo,
Catholicæ fidei accerrimo propugnatori,
Qui cum antiquæ probitatis,
Et Epiſcopi vigilantiæ præſtantiam
In humilitate, caritate, caſtitate,
Et beneficentia
Expreſſiſſet hæreticas ſectas ſcriptis,
Et conſilijs ſapientiſſimè,
Et feruenter oppugnaſſet,
Multos ab erroribus reuocaſſet,
Grauiſſimiſque legationibus
Pro pace Eccleſiæ Dei,
Tum apud Carolum V.
Et Ferdinandum Cæſarem,
Tum præcipuè
In Sacro Concilio Tridentino
Pij IV. Pontificis nomine feliciſſimè
Perfunctus Chriſtianæ Reipublicæ
Plurimum profuiſſet
Omnium virtutum laudibus,
Et exemplis
Ad imitandum abundans, obdormiuit
In Domino
Nonis Auguſti Anno ſalutis
MDLXXIX.
Ætatis ſuæ LXXVI.
Stanislaus Hoſius Patruo,
Et Stanislaus Reſcius Patrono beneficientiſſimo
Executores Teſtamentarij Poſuere.

Huius acta explicatunt Stanislaus Reſcius in Vita, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, & in Bibl. alijque plures.

Stephanus Alberti filius, natione Gallus, mediocri genere ortus, optimæ, honeſtiſſimęque vitæ, & non mediocris eruditionis fama conſpicuus ex Maiori Pœnitentiario, & Epiſcopo Oſtienſi, renuntiatus Pontifex Maximus ſub nomine Innocentij ſexti Petri nauim rexit per Menſes octo, dieſque 26. ſupra nouennium, quò tempore ſcripſit Sermones aliquot, & Decreta Eccleſiaſtica, ac teſte Poſſeuino, Foroliuienſibus Inſtitutiones aliquas tradidit.

Literas Blanchæ Sueciæ, & Noruegiæ illuſtri Reginæ miſſas, aliaſque Magno Sueciæ Regi datas ab hoc Romano Pontifice, reſcripſit in Viti Aquilonia Ioannes Vaſtonus Gothus.

Deceſſit die 12. Septembris anno noſtræ ſalutis 1362.

Debitis laudibus tantum virum exornant Auctores Galliæ Chriſtianæ, & purpuratæ, Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, Genebrardus, Odericus, Bzouius, Spondanus in Annal. Hieronymus Garimbertus, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Stephanus Bonuccius Aretinus, Ordinis Seruorum B. Mariæ Generalis, Epiſcopus Alatrinus, mox Aretinus, ac Presbiter Cardinalis SS. Petri, & Marcellini à Sixto V. renuntiatus reliquit M. SS. nonnulla ſui ingenij monumenta in Ariſtotelem, & Magiſtrum Sententiarum quæ in Piſana ſui Ordinis Bibliotheca aſſeruantur. Naturæ conceſſit Romæ die 2. Ianuarij anno ſalutis 1589. ætatis 68. & in Eccleſia ſui Ordinis S. Marcello ſacra conditus cum hoc Elogio.

D. O. M.

FRATRI STEPHANO BONVCCIO

Ordinis Seruorum

Ciui, & Epiſcopo Aretino

Sanctæ Rom. Eccl.

Presb. Card.

T T SS. Petri, & Marcellini,

Cum

Cum inſignis religio, prudentia,
Et doctrina omnium iudicio
Et votis, ei maiora pararent, extincto
Ætatis ſuæ anno LXVIII.
Sal. humanæ
MDLXXXIX. die 2. Ianuarij
Ludouicus Bonuccius, & Io: Baptiſta Frat.
Patruo benemerito PP.

Vide plura apud Archangelum Gianium in Annalibus Seruitarum, Auberyum, Panuinium, Ciaconium, eiuſque Auctarios, & alios.

Stephanus Conſtantini filius qui, ex Diacono Cardinali renuntiatus Pontifex Maximus dictus eſt huius nominis Tertius, ſcripſit Epiſtolas multas, quarum quinque leguntur in Tomo III. Conciliorum; cum autem vndetriginta dies ſupra quinquennium prudenter res Eccleſiæ adminiſtraſſet viam Patrum ingreſſus obijt die 26. Aprilis anno a partu Virginis 757.

De noſtro Stephano eſt mentio apud Baronium in Annal. nec non apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Platinam, Panuinium, Anaſtaſium Bibliothecarium, & alios.

Stephanus Franchus Orhinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum S. Ioannis de Mattha Fundatoris diſcipulus ob præclara virtutum merita ab Innocentio III. Pont. Max. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo Calliſti, ex aliquibus adſcriptus, Poſteris reliquit de virtutibus, & Excellentijs B. Mariæ librum admirabilem, & alium de immaculata eiuſdem Virginis Conceptione. obijt anno ſalutis 1218. iacet Maguntiæ apud Religioſos ſui Ordinis. Legationem geſſit ſub eodem Pontifice in Germania, interfuit Concilio Lateranenſi; ob ſanctitatem à ſuis Religioſis inter Beatos connumeratus.

Meminit huius Franciſcus à Ieſu Maria in Catalogo Scriptorum ſui Ordinis. Hippolytus Marraccius in Appendice Bibliothecæ Marianæ, Auctarij Ciaconij, Io: Petrus Creſcentius in Præſidio Romano, Ioannes Figueras in Chronico Ordinis.

Stephanus Langthonus Anglus, Archiepiſcopus Cantuariæ primò, tum Presbyter Cardinalis S. Chryſogoni ſub Innocentio III. Pont. Max. inſignis Theologus, artiumque magiſter, ac ſummus ſuæ ætatis Philoſophus plura ſcripſit Opuſcula, videlicet

Commentaria in Geneſim
In Exodum
In Leuiticum
Super Numeros
Super Deuteronomium
In Ioſue
In Iudicum libros
In Regum libros
In Paralipomena libros duos
In Iob libros 34.
In Ruth. librum.
In Tobiam
In Iudith
In Eſther
In Pſalterium
In Prouerbia Salamonis
In libros Machabæorum libros duos
In Eccleſiaſten
In Canticum Canticorum
In Eccleſiaſticum Notulas
Super Eſdram
Super Eſaiam
Super Hieremiam
Super Ezechielem
Super Danielem
Topologiam in Prophetas minores
Commentarios in Oſeam
In Ioelem
In Amos
In Abdiam
In Ionam
In Michæam
In Nahum
In Habacuc
In Sophoniam
In Aggæum
In Zacchariam
In Malachiam
Super Epiſtolas Pauli libros 14.
Concordiam vtriuſque Teſtamenti libris octo.

Quod-

Quodque in primis memorabile exiſtimo primus omnium ſacras Biblias in capitula diſtinxit, ordinemque ab eo conſtitutum omnes Eccleſiæ quæ vſquè iam indè ab eo tempore fuerunt, ſecutæ ſunt.

Scripſit inſuper de vera pœnitentia opus ſub Titulo, Adam vbi es?

libros duos de ſimilitudinibus

Sermones ſexaginta, inter quos tres de B. Maria ſemper Virgine

Conſtitutiones Oxonienſes

De Sacerdotibus Deum neſcientibus librum

Quæſtiones Theologicas libro vno.

Vitam S. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi libris quinque

Vitam Richardi Regis Anglici

De factis Mahumeti Opus

Hexameron Carmine

Benedictiones in monte Ebali

De Maledictionibus

Annotationes ſacrorum Bibliorum

Repetitiones lectionum

Annales Archiepiſcoporum Cantuarienſium libro vno, cuſtodito M. S. in Collegio Cantabrigiæ S. Benedicti

Conſtitutiones Eccleſiaſticas quadraginta octo.

De officio Archidiaconi

De Tranſactionibus

De poſtulando

De vita, & honeſtate Clericorum

De cohabitatione Clericorum, & Mulierum

De inſtitutionibus

De peculio

De Parochijs

De furtis

De purgatione canonica

De pœnitentijs, & remiſſionibus

Inſuper Tilmannus Carthuſianus in Tomis Allegoriarum fragmenta nonnulla huius Auctoris, ſtylo non ingrato, edidit.

Obijt Cantuariæ poſt electionem Honorij III. die 9. Iulij menſis ante an. 1223. quo autē præcisè anno, mihi ignoto. Sepultus in Sacello S. Michaelis Principis Eccleſiæ Cantuarienſis ſub altari propè gradus Auſtrales, vbi eius monumentum ſine vlla inſcriptione adhuc viſitur

De

De hoc viro doctò tractant Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Piſæus de Script. Anglicis, Henricus Ludouicus Rupipozæus in Nomenclatore Cardinalium, Richardus Smitheus de Archiep. Angliæ, & alij plures.

Stephanus Marini filius, patria Romanus, Diaconus Cardinalis primò, mox Pontifex Maximus huius nominis V. per ſex menſes, dieſque 23. Epiſtolam vnam ſcripſit quæ M.S. in Vaticano, & in Decreto Gratiani diſt. 33. Can. 38. inuenitur. obijtque 8. kal. Februarij anno ſalutis 817.

De hoc agunt Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs in Vita, Baronius in Annal. Anaſtaſius Bibliothecarius, Theganus Treuirenſis Corepiſcopus, & alij quamplures.

Stephanus Olybrij filius, Aprutinus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ à Zaccharia factus, deindè Romanus Pontifex ſub nomine Stephani huiuſce nuncupationis tertij, ſcripſit Epiſtolas plures ad diuerſos, quarum vna tantum extat in Tomo 5. Conciliorum. Varias refert Iacobus Gretſerus è Societate Ieſu; quinque enumerat Baronius, plures Ferdinandus Vghellius in ſua Italia ſacra. Hic ſummo Magiſtratu functus per menſes quinque, dieſque viginti ſupra triennium pridiè Kal. Februarij anno ſalutis 772. è viuis abijt.

Eſt Stephani mentio apud Ferdinandum Scholaſticum in Chronico, Anaſtaſium Bibliothecarium, Eginhardum, Baronium in Annal. Theganum de geſtis Ludouici Pij, Ciaconium, & alios.

Stephanus Paloſius Romanus ex Epiſcopo Tudertino Presbyter Cardinalis S. Marcelli, & S. R. E. Camerarius ab Vrbano VI. euulgatus

Conſtitutiones ſcripſit pro Clericis Tudertinis. Denatus Romæ 3. Kal. Maij anno poſt Chriſtum natum 1398. cuius Sepulchrum apud Baſilicam liberianam ſequenti Epigraphe annotatum fuit.

Hi iacet
Reuerendiſs. Pater in Chriſto
D. STEPHANVS PALOSIVS
Tit. S. Marcelli
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card.

Archi-

Archipreſbyter huius Baſilicæ
Qui obijt anno Domini MCCCXCVIII.
Menſ. April. D. 29.
Cuius anima requieſcat in pace.
Amen.

Plura de hoc habent Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra; Auberyus, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinins, & alij.

Symmachus, alijs Cœlius Symmachus, Fortunati Filius, natione Sardus, ex Diacono Cardinali creatus Eccleſiæ Princeps, ſub eodem nomine illam rexit annis 15. Menſibus 7. diebus duodetriginta, ſcribendo Epiſtolas multas, quarum vndecim inueniuntur in Tomo III. Conciliorum, & vna ad Theodorum Italiæ Regem euulgata Venetijs anno 1574.
De hoc Sancto viro vide reliqua apud Baronium in Notis, & in Annal. Binium, S. Antoninum, Ciaconium cum Auctarijs, Panuinium, alioſque quamplures.

Teleſphorum

T

Heleſphorus natione Græcus, patria Thurienſis in Calabria, Presbyter primò S.R.E. deindè Pontifex Epiſtolam decretalem ad omnes fideles dedit quam fictitiam reputant Hæretici, ſed eis opponuntur Auctores multi. Cum autem ſediſſet an. X. Menſibus vij. diebus 27. capitis abſciſſione glorioſiſſimè martyrium ſubijt Nonis Ianuarij anno à Chriſto nato 150.

Celebrant Sanctum iſtum Martyrologia ferè omnia, Baronius in Notis, & Annal. Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij.

Theobaldus Stampenſis natione Anglus vir ſingulari pietate præditus, & bonarum artium cultor ſtudioſiſſimus, S. R. E. Cardinalis ſub Nicolao IV. cum eſſet doctiſſimus contra errorem deperditæ ſententiæ, aſſerentis Chriſtum Dominum non tradidiſſe Petro Apoſtolo, eiuſque Succeſſoribus regimen, & curam totius Eccleſiæ, ſcripſit eruditè

Item Diſputationum variarum librum vnum

Contra errantes in Theologicis librum alterum

Romæ debitum naturæ perſoluit anno ſalutis 1288. ſeu ex alijs 1298.

Meminere huius cum Pitſæo Hiſtorici omnes Anglici, Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, & alij multi.

Theodorus Sanſeuerinus Campanus ex Comitibus Marſorum Bernardi filius, Monachus Caſſinas, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica ſub Alexandro II. ſcripſit Sermones de S. Placido

Vide reliqua apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Arnoldum Vuion, & alios.

Theodorus natione Græcus, Hieroſolymis natus, ex S.R.E. Cardinali electus Pontifex Maximus Rempublicam Chriſtianam adminiſtrauit per annos ſex menſes quinque, dies vndeuiginti, in cuius bonum literas dedit Paulo Patriarchæ Conſtantinopolitano hæretico Monothelitæ, in illum benignitate propria Pontificis Romani vtens. Ex hac deinde vitâ migrauit pridiè Idus Maij anno à partu Virginis 649. Sepultus in Porticu Vaticanæ Baſilicæ cum Epitaphio, cuius ſolum initium ad nos peruenit, & eſt tale.

Incubat

Meminere Theodori Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij plures.

Theodorus Caetanus Sancti Theodori Diaconus Cardinalis Auctor fuit Aſteſano Aſtenſi, ſeu de Aſteſanis Ordinis Minorum Theologo, & Canoniſtæ vt ſummam Caſuum Conſcientiæ, quæ Aſteſana dicitur, libris octo diſtinctam ſcriberet; huius Epiſtolæ habentur in operis limine.

Vixit initio ſeculi decimi quarti poſt Chriſtum natum.

Meminere huius Lucas Vadingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, & Andreas Roſſottus in Syllabo Scriptorum Pedemontij ſub nomine Aſteſani

Theodorus S. R. E. Diaconus Cardinalis vixit initio ſeculi quinti, ſub cuius nomine eſt Dialogus cum Palladio Epiſcopo Helenopolitano de Vita S. Ioannis Chryſoſtomi, latinus factus ab Ambroſio Monacho Carthuſiano, & editus Pariſijs anno 1609. in Tomo 2. Operum Chriſoſtomi, ſtudio, & cum Notis Frontonis Ducæi.

Theodorus Lælius Epiſcopus Taruiſinus inter Cardinales à Paulo II. renuntiatos recenſitus, ſcripſit.

Apologiam pro fœdere Venetorum, & Sigiſmundi Auſtriaci
Gratulationem pro Pio II. ad Venetiarum Ducem
Orationes quinque
Epiſtolas multas
Grammaticam cuius meminit Bibliotheca vniuerſalis
Opus contra Georgium Heimbergium

Romæ denatus iacet in æde S. Mariæ antiquæ cum hoc Epitaphio

THEOD: LÆLIO
Taruiſino Epiſc.
Diuini, humanique iuris conſultiſſimo
Ac Pauli II. Pont. Max.
Referendario
Qui vixit Annis XXXVII.
Menſ. ij. diebus 22.
Gaſpar Lælius

Faciendum curauit MCCCCLXVI.
Pridiè Kal. April.

De hoc Cardinali Panuinius, Ciaconius, Ferdinandus Vghellius tractant.

Theophylatus ex Comitibus Tuſculanis, Alberici filius Diaconus Cardinalis, qui Petri Cathedram aſcendens in illa ſedit per annos 12. Menſes 4. dieſque 20. ſub nomine Benedicti VIII. alijs IX. ſcripſit Epiſtolas plures, quarum duas, vnam ad Rolandum Præpoſitum Florentiæ, alteram ad Clerum Cluſinæ Eccleſiæ reſcripſit in ſua Italia ſacra Ferdinandus Vghellius. Hic anno 1045. Kal. Maij cum ſe omnium odio, ac contemptu haberi videret, nec ſatis roboris ad tantum procellam ſuſtinendam haberet Pontificatu ſe abdicauit.

Vide reliqua apud Leonem Oſtienſem, Panuinium, Platinam, Baronium, Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, & alios.

Mag. Fr. Thomas Anglus Ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ Doctor Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula ſub Vrbano VI. ſcripſit ſuper Ariſtotelis Philoſophiam vniuerſam libros plures, & quodlibeta varia. Mihi incertum quo tempore è vita abierit. Aliqui confundunt Thomam hunc cum Thoma Iorgè, ſed malè, nam hic adfuit à confeſſionibus Riccardo II. Regi Angliæ qui cœpit regnare anno 1377. ille verò Eduardi I. defuncti anno 1307.

De noſtro Thoma agunt Io: Pitſæus de Scrip. Angliæ, Antonius Senenſis in Bibliotheca Prædicatorum, Auctarij Ciaconij, Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano, alijque quamplures.

Mag. Fr. Tomas Badia natione Italus, patria Mutinenſis, Ordinis Prædicatorum Religioſus, Presbyter Cardinalis S. Siluestri in Campo Martio ſub Paulo III. Pontifice Maximo Poſteris reliquit Commentaria in libros octo Phyſicorum Ariſtotelis, nec non in libros de anima, in libros Metaphyſicorum.

Inſuper de Prouidentia Dei opus.

Quæſtionum Phyſicalium, & Metaphyſicalium librum vnum

Mortuus eſt Romæ die 6. Septembris anno ſeculi decimi ſexti ſeptimo ſupra quadrageſimum. Cineres ad Limina S: Mariæ ſuper Mineruam cum hac Epigraphe.

THOMÆ

D. O. M.

THOMÆ BADIÆ
Mutinenſi,
Eruditione, continentia;
Ac
Sanctitate clariſſimo Card. Diui Silueſtri,
Qui
Et ampliſſimo Ordini Senatorio;
Et cunctis mortalibus miræ cuiuſdam
Frugalitatis, religionis,
Atque omnis vitæ incredibile
Exemplum reliquit,
Alijs verò quibuſcumque honoribus
Non tam vti voluit,
Quam dignus videri;
Quos tamen ſola morte exiſtimatus eſt
Fugere potuiſſe.
Franciſcus Badia Fratri Opt. poſuit.
Vixit annos LXIII. Menſes ix.
Dies 27.
Thomas Badia Card. S. Silueſtri
Ordinis Prædicatorum
Deceſſit è vita
Anno MCCCCCXLVII.
Octauo Id. Septemb.

De hoc plura Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Vincentius Maria Fontana, alijque plures.

Thomas Bourcherius Anglus, doctrina, probis moribus, ac pietate Orbi Chriſtiano clarus, Oxonienſis primò Academiæ Alumnus, deindè Cancellarius, ex Elienſi Epiſcopo Cantuarienſis Archiepiſcopus, Angliæque Primas, tum Presbyter Cardinalis S. Cyriaci à Paulo II. renuntiatus plura edidit referentibus Auctore Catalogi Scriptorum Angliæ, & Polidoro Virgilio, ſed quæ nam fuerint, præter Decreta quædam Synodalia me latet. Deceſſit in Anglia die 22. ſeu 30. Menſis Martij anno ſalutis 1486. & Cantuariæ conditus in Eccleſia principe cum ſequenti inſcriptione.

Hic iacet
Reuerendiſſimus Pater, & Dominus
D. THOMAS BOVRCHIER
Quondam Sac. S. Romanæ
Eccleſiæ S. Cyriaci
In Thermis Cardinalis
Et Archiepiſcopus huius Eccleſiæ
Qui
Obijt 30. die Martij, anno
MCCCCLXXXVI.
Cuius animæ propitietur Deus.

Præter laudatos celebrant Thomam Auctores omnes Anglicanæ hiſtoriæ, Ciaconius cum Auctarijs, & alij apud eoſdem.

Thomas de Capua, ſeu de Epiſcopo, Campanus ſub Innocentio III. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, Beatiſſimæ Virginis Mariæ cultor ſtudioſiſſimus, in cuius honorem edidit Antiphonam cuius initium Virgo Parens gaude.

Elucubrauit etiam artis dictaminis Summam,

Et Epiſtolam Innocentij IV. nomine miſit ad Imperatorem Federicum

In laudem quoque S. Franciſci Minorum Inſtitutoris Hymnos compoſuit quorum principium eſt. In cœleſti Collegio; Decus morum; Dux Minorum &c.

E viuis ereptus eſt Anagniæ 11. Kal. Septembris anno à partu Virginis 1243.

Eſt

Eſt noſtri Thomæ mentio apud Ciaconium in Vita, Hippolytum Marraccium in Bibl. Mariana, & apud alios plures.

Mag. Fr. Thomas Ioyce, ſeu Ioſſius, vel Iorſius, quem S. Antoninus, & Volaterranus Thebaldum nominant, Ordinis Prædicatorum Alumnus, natione Anglus, Alberti Magni diſcipulus, S. Thomæ Aquinatis condiſcipulus, Clementis V. Pontificis Maximi beneficio Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Sabinæ adſcriptus, reliquit pro Poſteris.

Super quatuor libros Sententiarum Commentaria.

Poſtillam in Pſalterium

Sermones per Annum

De doctrina Scolarium Opuſculum

De Conceptione Beatæ Mariæ ſemper Virginis librum

Commentaria in Geneſim

Super Boetium de Conſolatione, & de diſciplina Scholarium libros duos.

Contra Ioannem Scotum

De Concordantia librorum S. Thomæ Aquinatis

Poſtillas in Prouerbia Salomonis.

In Canticum Canticorum notas.

In libros S. Auguſtini de Ciuitate Dei Annotationes.

Quodlibeta

Opus aduerſus Iconoclaſtas

Quæſtiones Theologicas

De ſtatu animarum poſt mortem

In Iſaiam librum vnum

Alterum in Hieremiam

In Epiſtolas Canonicas

In Apocalypſim S. Ioannis

Clementis Pontificis iuſſu diſcuſſit Petri Ioannis Oliui doctrinam contra paupertatem Minorum.

E vita exceſſit die 13. Decembris anno à Natiuitate Chriſti 1310. ſeu ex alijs 1311. apud Allobroges Legatus Apoſtolicus electus ad ornadum imperiali diademate Henricum Imperatorem. Corpus iacebat in Oxonienſi Cœnobio Patrum Prædicatorum.

Vide plura apud Hiſtoricos Anglicos, nec non apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Henricum Ludouicum Rupipozeum in Nomenclatore Cardinalium, Vincentium Mariam Fontanam, & alios Scriptores Dominicanos.

Tomas

Thomas Iuriſconſultus Anglus, vir ingenij magni, multæ prudentiæ, eruditionis variæ, integerrimę vitæ ad Epiſcopatum Dunelmenſem peruenit, deinde à Ioanne penultimo Pontifice circa annum Domini 1410. Presbyter Cardinalis renuntiatus, quædam de materia legum ſcripſit, vt habent.

Ioannes Pitſeus de Scriptoribus Angliæ, & in Catalogo Epiſcoporum Dunelmenſium, Panuinius, & reliqui qui de Cardinalibus ſcripſerunt.

Thomas Langlei, ſeu Armellinus, natione Anglus Presbyteris Cardinalibus ſub Ioanne XXII. alijs XXIII. adiunctus Quædam elucubrauit ad Iuriſprudentiam ſpectantia, quæ autem illa ſint ad mei notitiam non peruenit. Naturæ debitum perſoluit anno ſeculi decimi quinti ſeptimo ſupra trigeſimum.

Reliqua huiuſce Cardinalis acta percurrere quiſque poterit apud Panuiuium, & Ciaconium, qui alios proferunt Scriptores qui de hoc tractarunt.

Thomas Parentucellus Sarzanenſis, Bartholomæi atque Andreolæ filius, ex Canonico Bononienſi ad eiuſdem Vrbis Eugenij IV. beneficio euectus, adeo felici, inoffenſoq; gradu ad dignitates alias aſcendit, vt vnius anni curriculo, Bononienſis Epiſcopus, Cardinalis, ac Summus Pontifex euaſerit ſub nomine Nicolai V. in ſupremo throno doctrina præſtantibus viris ſtuduit, Bibliothecam Vaticanam nobilibus, eruditiſque monumentis ornauit, & ne ſua deeſſent ſcripſit Epiſtolas doctiſſimas, quarum Regeſtrum aſſeruatur M. S. in ea.

Scriptis etiam conſignauit Orationem habitam ad Cardinales poſt Eugenij obitum; nec non Antiphonam, & Orationem pro B. Clara de Montefalco, ſanctiſſima Moniali Sancti Auguſtini.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas

Regulas Cancellariæ à Prædeceſſoribus editas collegit, & certo ordine, quibuſdam etitam additis digeſſit.

Virginis Conceptionem immaculatam Diplomate prædicauit, illuſtrauitque ſimili Hallenſem Deiparam.

Cum autem Petri nauim rexiſſet annos octo dieſque vndeuiginti, Nono Kal. Aprilis anni 1455. in Vrbe è vita migrans, ſepultus in Vaticano eſt ſub tali Elogio.

Hic ſita ſunt Quinti Nicolai Antiſtitis oſſa,
Aurea qui dederat ſecula Roma tibi,

Conſilio

Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni
Excoluit doctos doctior ipſe viros.
Abſtulit errorem, quo ſchiſma infecerat Vrbem,
Reſtituit mores, mœnia, Templa, domos.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi
Sancta Iubilæi tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, ac coniugis aureo,
Rex Italas arcto fœdere compoſuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ
Prodidit: en tumulo fundite thura ſacro.

Eſt Nicolai mentio apud Platinam, Panuinium, Ciaconium eiuſdemque Auctarios, Bzouium, Odericum, Spondanum in Annal. Eccl. Vbertum Foliettam in Elogijs ligurum, Paulum de Angelis in deſcrip. Baſilicæ liberianæ, Hippolytum Marraccium in Pontif. Marianis, & apud alios quamplures.

Thomas Vbrit Vide inferius Thomas Vurighit.

Mag. Fr. Thomas de Vio, ſiue Vius natione Italus, patria Caietanus, Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſter, ac S. R. E. Presbyter Cardinalis S. Sixti à Leone X. euulgatus, legationis munere functus eſt in Germania apud Maximilianum Cæſarem & in Vngaria contra Turcas, vir vitæ ſanctimonia, ingenijque Præſtantia illuſtriſſimus, ſubtilis Dialecticus, admirabilis Philoſopus, Theologus incomperabilis inter Eruditiſſimos ſui ſeculi viros eruditiſſimus ſcripſit

In Vniuerſalia Porphyrij
In libros Logicorum Ariſtotelis
De Anima
De Coelo, & Mundo
In Pentateuchum Moyſis
In libros hiſtoriales Bibliorum
In Pſalmos Dauidicos
In tria priora capita Iſaiæ
In nouum Teſtamentum
In quatuor Euangelia
In acta Apoſtolorum
In omnes Epiſtolas D. Pauli, & Apoſtolorum
In Summam D. Thomæ ſperampla Commentaria.
Summulam ſuccinctam de peccatis.
De Poteſtate Papæ, & Concilij Opuſculum.
Apologiam pro eodem Opuſculo.
De Cambijs

De Maleficijs
De Votis
De Circumſtantia diei feſti
De Vſura
De Eleemoſynis
De conceptu Entis
De infinitate Dei
De collatione ſacri Ordinis
De celatione Confeſſoris
De nominum Analogia
De ſubiecto naturali Philoſophiæ
De potentia neutra
De vſu ſpiritualium rerum in peccato mortali
De inſtitutione diuina Pontificatus
De Simonia
De Caſtitate
De Matrimonio
Quæſtiones de Cœlo, & Mundo, & de ſenſu agente
De vnione Verbi Dei
De immortalitate animorum
Quomodo Spiritus patiantur ab igne.
De Synodorum differentia
De Spaſimo Virginis Mariæ.
Aduerſus Lutherum de fide, & operibus
De Communione
De Confeſſione
De ſatisfactione
De inuocatione Sanctorum
Orationes quas coram Alexandro VI. & Iulio II. Romanis Pontificibus habuit,
De vita diuini cultus
De cauſa mali
Literas ad Leonem X. quarum aliquas in lucem editas inter illas Principum inuenies.
De Conceptione B. Mariæ Tractatum
De eadem plura in Commentarijs ſuper S. Thomæ Quæſtiones, & Euangeliorum explanationes.

Animam Deo ſuo reddidit anno à Chriſti natiuitate 1534. ætatis 66. 4. Idus Auguſti, conditus ad oſtium Templi S. Mariæ ſuper Mineruam cum hoc Epigraphe.

THOMAS

THOMAS DE VIO
Caietanus
Cardinalis Sancti Sixti
Sacri Ordinis Prædicatorum.

Nec ſanè plura dicere opus erat, ſolo enim nomine benè omnibus notus; Aliquorum tamen opera aliud ibidem Elogium expreſſum eſt his verbis.

Hac anteriori foſſula quam lector inſpicis
Felicis memoriæ Thomæ de Vio
Ordinis Prædicatorum
Cardinalis Caietani conſeruantur oſſa.
Qui dum vixit ita moribus
Atq; omni doctrina
Humano generi profuit;
Vt pro tanto beneficio Deo gratias agere;
Ac pro eius anima meritò preces
Fundere teneamur.
Hic quorumdam aliorum inanem
Declinans faſtum
Humili hoc ſe iuſſit condi Tumulo.
Vixit annos LXV. dies 29.
Obijt anno Chriſti MDXXXIV.
Die 9. Septembris.

Celebrant tantum Virum Hiſtorici omnes ſeculi præteriti, nec non Ciaconius cum Auctarijs, Sfortia Cardinalis Pallauicinus in hiſtoria Concilij Tridentini Vincentius Maria Fontana in Theatro Dominicano. Hippolytus Marraccius in Bibliot. Mariana, Flauius Aquilanus in Vita, & oratione funebri apud Bzouium Tomo 19. Annalium, & alij plures.

Thomas Vuright, ſeu Vbrit, natione Anglus, profeſsione Trinitarius, Redemptionis Captiuorum, in Academia Pariſienſi Theologiæ publicus doctor, quam Academiam inſtante S. Ludouico Rege, nouis legibus ſcriptis, reparauit, ab Innocentio IV. anno reparatæ ſalutis 1244. Pontificatus II. in Concilio Lugdunenſi euulgatus Presbyter Cardinalis in Titulo S. Crucis in Hieruſalem, & Archiepiſcopus Tuamenſis in Hibernia, doctrina, & ſanctitate clarus deceſſit anno 1249. ætatis 66. kal. Nouembris, cum Poſteris tradidiſſet

In Canticum Magnificat Commentaria libris duobus.
In omnes Pſalmos Dauidicos libros nouem.
Totidemque in Epiſtolam Pauli ad Hæbreos.
Libros item nouem in Magiſtrum ſententiarum.
Librum vnum de Incarnatione Chriſti contra Hæbreos.
Et Sermonum Aduentualium librum alterum.

Meminere huius Ioannes Figueras in Chronico Trinitariorum, Iacobus è Sancto Marco in Maximis Chriſtianis.

De hoc tamen Cardinali nulla
mentio in Tabulis
Vaticanis.

Vibianus.

V

Ibianus, ſeu Viuianus Tomaſius Vrbeuantanus Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte ab Alexandro III. renuntiatus plures ad S. Thomam Archiepiſcopum Cantuarienſem, atque ad Regem Angliæ literas miſit, quarum aliquæ publici iuris ſunt, eiuſdem literæ de Appellatione aſſeruantur M.SS. in Bibliotheca Regia Gallica, teſte Philippo labbè in Bibl. M. SS. Hibernica legatione functus è vita exceſſit Romæ ſub Vrbano III. incertum quo anno, menſeue.

Vide reliqua apud Ciaconium, Panuinium, Auberyum, & alios.

Vicedominus de Vicedominis natione Italus patria Placentinus, qui in Chronico Minorum de Vicecomitibus malè cognominatur, profeſſione Minorita, Gregorij X. Pont. Max. ex Sorore Nepos, celebris Iuriſconſultus, & CauſarumPatronus, ex Aquenſi Archiepiſcopo à Gregorio Patruo Epiſcopus Cardinalis Prænestinus euulgatus edidit anno ſalutis 1269. in Synodo Aquenſi Diœceſana Statuta, & Conſtitutiones pro ſuis Clericis. Fato fungitur 8. Idus Aprilis 1276. Viterbij in Minorum Eccleſia conditus, teſtamento condito quod aſſeruatur in Cartophylacio Placentino. Fr. Lucas Vadingus in Annalibus Franciſcanorum autumat Vicedominum fuiſſe Pontificem Maximum inter Hadrianum V. & Ioannem XXI. qui eodem die, quo creatus eſt, obierit: nemo tamen alius, vel minimum tantæ rei meminit.

De hoc ſcripſerunt Auctores Galliæ Chriſtianæ, Ioſeph Maria Suareſius in ſua hiſt. Præneſt. Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi

Victor Afer, qui poteſt Eleutherij obitum Cleri ſuffragijs Eccleſiam Catholicam Summus Pontifex per annos XI. menſem vnum, & dies 26. adminiſtrauit, cum doctiſſimus eſſet volumina plura de Religione compoſuit, ediditque Opuſculum vnum prænotatum Ratio fidei reddita Hunerico Regi Vandalorum. Scripſit etiam de celebratione Paſchatis Epiſtolas tres, ſeu quatuor, quæ extant cum Notis Binij Tomo 1. Concil. Has Hæretici adulterinas nominant, quia erroribus, quos profitentur aduerſari agnoſcunt.

Romæ martyrio glorioſè ocubuit 5. kal. Aug anno ſal. 203.

De Victore tractant Leo Oſtienſis in Chronico, Petrus Damiani in Epiſt. S. Antoninus, Cæſar Cardinalis Baronius in Not s, & in Annal. Martyrologia omnia, nec non Panuinius, Platina, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Vigilius ex nobiliſſimo genere ortus, Ioannis Conſularis viri filius S. R. E. Archidiaconus per vim viuente Silueriо Pontificatum Romanum, occupauit, ſed poſt illius obitum, legitimè in Cathedra Petri collocatus ſcripſit Epiſtolas octodecim, quæ extant cum Notis Binij in Tomo 4. Conciliorum. Syracuſis in Sicilia calculi morbo perijt cum ſediſſet annos ſexdecim, anno 556. 4. Idus Ianuarij. Corpus Romam delatum ſepultum in Vaticano ſub his carminibus.

Manibus vndiſonis bellorum incendia ſeuis,
Pars ego tunc Populi tela pauentis eram.
Publica libertas, Vigili ſanctiſſime Papa
Aduenis incluſo ſoluere vincla gregi
De gladio rapiuntur oues Paſtore miniſtro
Inque humeris ferimus, te reuocante, pijs.
Corporeum fatis eſt ſic euaſiſſe periclum
At mihi plus animæ naſcitur inde ſalus
Eccleſiam iubeo dimiſſa naufragus aula
Perfida mundani deſero vela freti.

De hoc viro ſanctitate illuſtri ſcripſere Marius Epiſcopus in Chronico, Baronius in Annal. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Platina, Panuinius, Ciaconius in Vita, alijque quamplures.

Vincentius Coſtagutus Genuenſis, Proſperi, & Paulæ Coſtæ filius, Sacro Purpuratorum Senatui Vrbani VIII. beneficio adſcriptus præfuit Diaconiæ S. Mariæ in Porticu, deindè alijs, atque ex diaconali ad Presbyteralem dignitatem gradum faciens S. Calliſti Titulum obtinuit, claruitque ingenio, ac memoria ſingulari. Calluit Philoſophiam, Theologiam, iuſque vtrumque, Mathematica, Architectonicaque optimè inſtructus, in hiſtoria verſatus, chriſtianæ, ac ciuilis ſcientiæ præceptis edoctus, muſices rationis vtiliſſimo elemento ornatus, breui è vita abijt anno 1660. 8. Idus Decembris dum octauus ſupra quadrageſimum ætatis annum ageret, relictis in Poſterorum memoriam lingua etruſca applauſibus feſtiuis factis Eleonoræ Baronæ muſicæ inſtructiſſimæ, & Elogio in Apotheoſi B. Thomæ à Villa-

noua

noua Eremitani S. Auguſtini, & Epiſcopi Valentini, nec non cantiunculis Italicis in laudem B. Mariæ ſemper Virginis, Vrbani VIII. Pont. Max. aliorumq; ac diſcurſibus eruditis de Muſica.

Oſſa iacent in temporario ſepulchro in Vrbe apud S. Carolum ad Catinarios.

De hoc tractant Auctarij Ciaconij in Vita, Gualdus in hiſtoria Vincentius Armannus in literis, Nicolaus Angelus Caferrus in Compendio Chronog.

Vincentius Iuſtinianus Genuenſis ex Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali Presbyter Cardinalis S. Nicolai inter imagines à Pio V. Sanctiſſimo Pontifice euulgatus, ſcripſit Auctore Henrico Ludouico Caſtaneo Rupipozæo Commentaria in logicam, vna cum Quæſtionibus. At monumenta hæc non huius, ſed alterius Vincentij Iuſtiniani Dominicani, opus eſſe volunt alij. Certò tamen ſcimus Vincentium hunc noſtrum Cardinalem Theſaurum edidiſſe, Theſes impugnaturis, ſeu propugnaturis perutilem, & Additiones quaſdam ad librum Conſtitutionum ſui Ordinis, nec non Epiſtolas plures directas ad Religioſos Viros. Multum quoque ſibi nominis ſplendorem comparauit dum ſua induſtria vt D. Thomæ Aquinatis volumina Romæ imprimerentur, effecit, cuius Sermones, tum de Sanctis, tum de Tempore nondum excuſos publici iuris omnium primus fecit. Ad ſuperos euolauit Romæ 5. kal. Nouembris anno ſalutis 1582. ætatis 64. In Templo S. Mariæ ſuper Mineruam conditus, ſequenti Epitaphio inſignitus.

D. O. M.

FR. VINCENTIO IVSTINIANO

Genuenſi

Suæ ætatis anno XXXVIII. electo Generali

Ord. Prædic.

Indè annorum LI. in num.

Sanctæ Rom. Eccl.

Card. aſſumpto

Obijt 28. Octob. An. MDLXXXII.

Vixit An. LXXIII. M. ij.

Petrus

Petrus, Ioſeph, & Gregorius Fratres PP.

Vide reliqua apud Auctarios Ciaconij, Vincentium Mariam Fontanam in Theatro Dominicano, Raphaelem Sopranum de Scriptoribus liguriæ, & alios plures.

Vincentius Laureus Calaber è Tropea Philoſophus, Poeta Orator, virtutibus, multiplicique ſcientiarum notitia clarus, græcæ, latinęquæ linguæ doctiſſimus, Epiſcopus Montis Regalis, ac Presbyter Cardinalis S. Mariæ in Via ſub Gregorio XIII. tum S. Clementis, ſcripſit Vitam Franciſci Cardinalis Turnonij latina lingua.

E vita exceſſit Romæ 12. Kal. Ianuarij anno poſt Chriſtum natum 1592. ætatis 71. Iacet in Titulo S. Clementis ſub Elogio à ſe dictato, perpetuo ſuæ modeſtiæ teſtimonio.

D. O. M.

Hic iacet
VINCENTIVS LAVREVS,
TT. S. Clementis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Card.
Montis regalis nuncupatus.

Huic Elogio in ſupremis Tabulis reſcripto Hæres addidit quæ ſequuntur.

Obijt Kalendis Ianuarij
MDXCII.
Religio Miniſtrantium Infirmis
Hæres opimè de ſe merenti
Ex Teſtamento Poſuit.

Eidem aliud ibidem poſuit Elogium Chriſtophorus Laureus, quod refert Io: Baptiſta Laureus in volumine Epiſtolarum. De

eodem

eodem vide plura apud Auctarios Ciaconij, apud Auctorem Vitæ Camilli de Lellis, apud alios.

Fr. Vincentius Maria Vrſinus, à ſacris aquis Petrus Franciſcus vocatus, Ferdinandi Ducis Grauinæ ex Ioanna Frangipana, nobiliſſima, & pijſſima fœmina, filius primogenitus, in hanc lucem editus eſt die ſecunda Februarij, anno vertentis ſeculi decimi ſeptimi, vndequinquageſimo; Iam Grauinæ Dux, cum ipſi huius mundi honores, Petrum Franciſcum, vt ſuum clientem ambirent, anno ſuæ ætatis decimo nono, maluit honeſtiore ambitu, paupere circumdatus veſte cœlum prenſare, & in Clauſtris abditus, vt ſtultiſſima mundi notaret, damnaretque vitam degere inter Pauperes Chriſti. Poſt longas igitur cum Maioribus pugnas, Sacrum Prædicatorum Ordinem amplexus eſt, in quo Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtadio feliciſſimè, omiumque plauſu confecto, Magiſtri Laurea ornatus, Philoſophiam ſui Ordinis Religioſis viris in Cœnobio Brixienſi publicè docuit. Hinc ad ſacram purpuram à Clemente X. Pontifice Maximo vocatus, tam erubuit, vt alij ad huius repulſam ſolent. Hanc tamen ſibi deſtinatam à die 24 Auguſti, anni 1671 non niſi coactus accepit die 22. Februarij anni proximè ſequentis. Inter Presbyteros Cardinales cooptatus, Titulum S. Sixti obtinuit, præfuitque Patrum Cœtui Concilij Tridentini interpreti. Connumeratus etiam eſt inter illos qui Epiſcoporum, & Regularium negotia apud Romanum Pontificem pertractant; nec non inter alios, qui Epiſcoporum examini, Indulgentijs, ac Sanctorum reliquijs præſunt. Archiepiſcopus deindè Sipontinus ab ipſo Clemente renuntiatus, viuit hoc anno 1675. in eiuſdem Eccleſiæ regimine, & munus ſibi commiſſum, vt decet Eccleſiaſticum Principem in ſubditorum commodum adminiſtrat.

Habemus ad hanc diem tanti Viri Volumen, typis Bononienſibus euulgatum ſub nomine Petri Franciſci Vrſini, cum Titulo Epigrammata ſacra.

Et Elogia SS. Ludouici Beltrandi, & Roſæ de Sancta Maria, Virginis Peruanæ, ex Ordine Prædicatorum, quos Sanctis adſcripſit cum alijs tribus Clemens X.

Vernacula etiam Italiæ lingua ſub nomine Fr. Vincentij Mariæ Vrſini edidit orationem funebrem à ſe dictam Brixiæ in morte Antonij Cardinalis Barberini, ſui Ordinis Patroni.

Vidi eiuſdem literas plures ad diuerſos vtraque lingua publici iuris factas, inter quas vna eſt ad D. Ioſephum Ciantum Epiſcopum Marſicanum de habitu retinendo ab illis qui ad Cardinalit-

Collegium, ex Ordinibus regularibus, ſunt aſſumpti; altera paſtoralis ad Clerum, & Populum Sipontinum; & Plures ad Abbatem Michaelem Iuſtinianum

Meminit noſtri Cardinalis Laudatus Michael Iuſtinianus in ſuo Concilio Tridentino Romæ edito ſumptibus Felicis Cæſaretti anno 1673. & Tomo 3. Epiſtolarum ſelectarum, & memorabilium ibidem 1675.

Virginius Vrſinus Domicellus Romanus, Ferdinandi Ducis Brachiani, & Iuſtinianæ Vrſinæ ex ducibus Sancti Gemini filius primogenitus ab Vrbano VIII. Pontifice Maximo inter Diaconos Cardinales cooptatus edidit Carmen latinum in laudem Ædium Barberinarum quas Hieronymus Tetius deſcripſit, & Elogia in Conſecrationibus B. Thomæ de Villanoua Auguſtiniani Antiſtitis Valentini, Franciſci de Sales Epiſcopi Geneuenſis, ac Petri de Alcantara, Mariæque Magdalenæ de Pazzis, factis ab Alexandro VII. & Clemente IX. Romanis Pontificibus. Hoc præſenti anno quo hæc de illo narramus ab orbe redempto 1670. Presbyter S. Laurentij in Lucina cum virtute viuit in Vrbe Luſitanici, ac Polonici Regni Protector.

De hoc viro tractant Auctarij Ciaconij, Victorius Siri in Mercurio, & Ianus Nicius in Epiſtolis.

Vitalianus natione Aprutinus, filius Anaſtaſij Pontratij Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis, tum Summus Pontifex Regulam Eccleſiaſticam compoſuit, & cantum ordinauit, literaſque miſit ad Regem Saxonum Religionem Chriſtianam amplexum, quas Beda libro 4. ſuæ hiſtoriæ inſerit. Extant eiuſdem Epiſtolæ ſex in Conciliorum Tomis, quarum priores quatuor ſunt in cauſa Ioannis Epiſcopi Lappenſis in Creta, quinta ad Oſuuium Nordahumbrorum Regem, ſexta ad Monachos Benedictinos Siculos. Tandem cum optimè rexiſſet Eccleſiam annis 14. Menſibus 5. diebus vndetriginta 6. kal. Februarij anno Chriſti 672. migrauit è vita.

Eſt Vitaliani mentio apud Martyrologia ferè omnia, nec non apud Baronium in Notis, & in Annal. Genebrardum in Chronico, Panuinium, Ciaconium, & Ioannem Bollandum, & alios.

Vitalianus Vicecomes nobilis Mediolanenſis philoſophicis ſtudijs perfectis, Laurea in vtroque iure donatus Bononiæ, cum præfuiſſet Eccleſiaſticæ ditionis Vrbibus plurimis, & Prouincijs, ab Alexandro VII. Pontifex Max. ad Philippum IV. cum faſcis pro primogenito Infante Carolo, directus eſt. Italiam poſt modum

dum rediens ſacræ Rotæ Auditoribus aggregatus, Deciſiones plures ſcripſit: Legationi deinde Gallicæ Cardinalis Flauij Chiſij Datarius præfuit; mox Epheſinus Archiepiſcopus renuntiatus ordinarij Nuncij Apoſtolici prouinciam apud Iberum Regem obijt, quò in munere ſacro Cardinalium Collegio ab ipſo Alexandro adſcriptus eſt Pileum tamen collatæ purpuræ, & Titulum Presbyteralem S. Agnetis à Clemente IX. accepit, habuit etiam Archiepiſcopalem Monti regalis Eccleſiam in Sicilia à Rege Hiſpano, in cuius regimine vix elapſo anno, die nempe 7. Menſis Septembris anno 1671. repentina morte extinctus eſt.

De hoc Cardinali tractant Auctarij Ciaconij.

Mag. Fr. Vitalis à Furno Gallus, alijs Ioannes Vitalis, Ordinis Minorum Alumnus, omnigena doctrina præditus, Theologus ſuo tempore præſtantiſſimus, fama etiam, & ſanctitate clarus, ob idque Sanctæ Romanæ Eccl. Presbyter Cardinalis in Titulo SS. Silueſtri, & Martini in Montibus à Clemente V. euulgatus, qui deindè Eccleſiam Albanenſem Epiſcopus rexit, ſcriptis conſignauit

Speculum morale totius Sacræ Scripturæ, in quo vniuerſa ferè loca veteris, & noui Teſtamenti myſticè explicantur; Lugduni editum anno 1513. & Venetijs pluries.

Commentaria in Prouerbia Salomonis

Commentaria in Apocalypſim

In 4. libros Sententiarum

De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis librum vnum, & Sermones.

Quodlibeta Theologica

De tuenda ſanitate, & remedijs morborum digeſſionem

Concionatorios Commentarios.

Sermones in diebus ſolemnioribus habitos, inter quos plures de B. Virgine.

Iam ſenex naturæ debitum perſoluit anno ſalutis humanæ 1322. die Menſis Auguſti 16. Auenione, & ſepultus in in Eccleſia Minorum eiuſdem Vrbis cum hoc ſequenti Epitaphio.

Hic iacet
Reuerendus in Chriſto Dom.
FRATER VITALIS

Ordinis Minorum bonæ memoriæ
Epiſcopus Albanenſis
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Cardinalis,
Qui
Obijt 16. Menſis Auguſti
Anno Dominicæ Incarnationis
MCCCXXVII.
Cuius anima requieſcat in pace.

Cætera vide apud Ciaconium, eiuſdemque Auctarios, Panuinium, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Auberyum, Petrum Frizonium in Gallia Purpurata, & alios.

Vitellotius Vitellius nobilis Tiphernas, Diaconus Cardinalis SS. Sergij, & Bacchi ſub Paulo IV. & Sanctæ Rom. Eccl. Camerarius, pietatis atque eruditionis gloria inſignis compoſuit Pontificum Romanorum, nec non Cardinalium hiſtoriam, quæ lucem non vidit niſi M. S. Denatus XIII. kal. Decembris anno duodeſeptuageſimo ſeculi decimi ſexti ab Orbe redempto. Corpus iacet in Diaconia S. Mariæ in Via lata ſine vlla ſepulchrali inſcriptione.

Laudant Vitellotium Auberyus, Panuinius, Ciaconius cum Auctarijs, & alij apud eoſdem.

Vrbanus Sanctæ Rom. Eccl. Presbyter patria Romanus, qui omnium ſuffragijs electus Summus Pontifex antiquum nomen retinendo Vrbanus I. eſt nuncupatus, ſcripſit Epiſtolam ad omnes Chriſtianos, quæ extat in Tomo 1. Conciliorum cum notis Binij; cumque ſanctiſſimè Rempublicam Chriſtianam adminiſtraſſet annis ſex, menſibus ſeptem, diebus quatuor, 25. Maij anno Chriſti 232. ceruicibus abſciſſis martirij Lauream aſſequutus eſt.

Celebrant Vrbanum Martyrologia plura, nec non Baronius in Notis, & in Annal. Acta S. Cæciliæ apud Metaphraſtem, Ciaconius cum Auctarijs, alijque omnes qui Vitas Pontificum Romanorum euulgarunt.

Vrſus Sanctæ Rom. Eccl. Diaconus, ſeu ex alijs Subdiaconus, qui floruit circa annum Domini 860, ſub Nicolao I. Vitam Sancti Baſilij Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopi, ab Amphilochio Iconij Epiſcopo grecè deſcriptam latinitate donauit.

Meminere huius Auctarij Ciaconij, & alij apud illos, & apud Philippum Labbe Societatis Ieſu de Scriptoribus Eccleſiaſticis, nec non apud Ioannem Bollandum, & Gothefridum Henſchenium Tomo I. SS. menſis Febr. ad Kal. eiuſdem.

Y

YMartus Gallus, Monachus S. Benedicti primùm in Monaſterio S. Martini de Campis propè Pariſios, deindè in Cœnobio Cluniacenſi, ab Innocentio II. Romano Pontifice electus Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, cum eſſet vir doctus, & diuinis Scripturis eruditus, edidit aliquot in ſacras literas Commentaria. Poſt legationem Anglicanam Cluniacum ſe recipiens, eiurato ſchiſmate, è vita abijt anno ſalutis humanæ 1164.

Vide alia apud Auctarios Ciaconij, & Scriptores Cluniacenſes.

Yuo Gallus, Epiſcopus Trecorenſis Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalis à Gregorio XI. Pontifice Maximo ex aliquibus renuntiatus edidit Commentaria in Pſalmum Miſerere. Romæ omnium prorſus virtutum ornamento præditus naturæ conceſſit anno à partu Virginis 1378. & ſepultus in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam.

De noſtro Yuone non tacuerunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, nec Auctarij Ciaconij, neque alij apud illos.

Zach. ria

Z

ZAcharia Policronij Pontinij filius Siberenæ magnæ Græciæ Vrbe natus Presbyter Cardinalis tum Romanus Pontifex græca, latinaque lingua eruditiſſimus B. Gregorij Prædeceſſoris libros 4. Dialogorum in in græcum vertit, Græca enim, latinaque lingua eruditiſſimus erat. Epiſtolas etiam multas exarauit, quarum quatuordecim refert Binius in Tomo 5. Conciliorum, vnam ad Proceres Francorum miſſam editam inuenies Venetijs anno Chriſti 1574. cum alijs diuerſorum Principum. Cum autem ſediſſet menſes tres dies ſexdecim ſupra decennium in Petri Cathedra deceſſit die 15. Martij annó ſalutis humanæ 752.

De hoc agunt Martyrologia plura, Baronius in notis, & in Annal. Anaſtaſius Bibliothecarius in Vita notis illuſtrata à Binio, Ciaconius cum Auctarijs, alijque quamplures.

Zephyrinus, alijs Abundius Zephyrinus, Romanus, qui poſt Victorem huius nuncupationis primum Petri Cathedram aſcendit, in eaque ſedit annos 18. & totidem dies, Epiſtolas duas exarauit, quarum primam, ad Siciliæ; alteram ad Ægypti Epiſcopos miſit, extant ambæ cum notis Binij Tomo 1. Conciliorum, & apud Baronium, Bouerium, Gruterium, & alios. Deceſſit Romæ 7. Kalendas Septembris anno à Chriſto nato 221.

Martyrio ſublatum volunt Zephyrinum Martyrologia, Baronius in Notis, & in Annalibus, Franciſcus Maria Torrigius in Opuſculo de Eccleſia S. Silueſtri in Campo martio, Ciaconius cum Auctarijs, & alij multi.

Zoſimus natione Græcus ex magna Græcia, nunc Calabria dicta, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis primùm, mox Summus Pontifex ſcripſit Epiſtolas decretales tredecim quæ extant in in Tomo primó Conciliorum cum Notis Binij. Sunt eiuſdem literæ ad Galliæ Epiſcopos de Vita, & conuerſatione Sancti Trophimi Archiepiſcopi Arelatenſis, quas ex antiquo Breuiario Arauſienſi refert Benedictus Gononus, Cœleſtinus in Tomo ſecundo de Vitis Sanctorum. Elaborauit etiam ex Trithemio librum vnum de Páſchate, & alterum de Sacerdotio. Præfuit Eccleſiæ Romanæ anno tan

tum

tum vno, Menſibus quatuor, diebus ſex; diemque ſupremum obijt in Vrbe 7. Kalendas Ianuarij anno à partu Virginis 418.

Meminere Zoſimi Martyrologium Romanum, nec non Bedæ, Baronius in Notis, & in Annalibus, Ciaconius cum ſuis Auctarijs, & alij qui ſcripſerunt de Romanis Pontif.



ADDENDA

ADDENDA:

Pag. 155 Poſt Cæſarem Facchinettum addendus

Cæſar Gherardus Peruſinus, legum ſcientia præclarus, has enim publicè profeſſus eſt in Patria Academia, & Firmi in Piceno, cum ſcripſiſſet varias, & doctas prælectiones ſuperdiuerſos tractatus, ex Scipionis Burgheſij Auditore, vtriuſque Signaturæ Referendarius, Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, & S.R.E. Cardinalis à Paulo V. die 11. Ianuarij anno ſalutis 1621. renuntiatus, anno ſequenti Epiſcopatum Camerini obtinuit. Deceſſit Romæ anno 1623. ætatis 46. pridiè kalendas Octobris, ſepultuſque ad Sanctum Franciſcum propè fluminis ripam in marmoreo ſepulchro cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

CÆSARI GHERARDO
Peruſino
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Titulo S. Petri in Monte aureo
Presbytero Cardinali,
Quem
Peruſiæ, Firmique XX. Annis
Ius Canonicum interpretantem
A Scipione Card. Burgheſio
Romam euocatum
Audiendiſque apud ſe cauſis
Præfectum
Paulus V. Pontif. Maximus
Inter Vaticani Canonicos
Et vtriuſque Signaturæ Patres retulit;
Atq; in ampliſſimum Collegium cooptauit;

Grego-

Gregorius XV.
Camertibus Præſulem dedit.
Mors An. XLVI. nondum exacto
Pridiè Kal. Oct. MDCXXIII.
Rapuit
Dominicus Gherardus mœſtiſſ.
B. M. P.

Huiuſce Cardinalis literas latino idiomate exaratas ad Ioannem Baptiſtam Laurum, Auctorem Commentariorum de Annulo pronubo Deiparæ Virginis, qui Peruſiæ religioſiſſimè adſeruatur, euulgatas inuenies typis Colonienſibus apud Ioannem Kinkium anno 1626. cum ipſis Commentarijs.

Et huiuſce Cardinalis mentio apud Auctarios Ciaconij, Ferdinandum Vghellium in Italia ſacra, Theodorum Amydenum in Vita, & alios.

Pag. 155. ad Cæſarem Montium adde

Cæſaris Montij literas ad Auguſtinum Coltellinum euulgauit Michael Abbas Iuſtinianus in tertia parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium Romæ 1675.

Pag. 156 ad Cæſarem Raſponum adde

Cæſaris Raſponi literas idiomate italico, Michaeli Abbati Iuſtiniano ſcriptas, euulgatas inuenies in tertia parte literarum memorabilium Romæ edita anno 1675.

E vita hic Cardinalis exceſſit Romæ die Iouis 21. Nouembris, anno Iobilei 1675. circa horam quintam noctis. Conditus poſt obitum in Lateranenſi Baſilica, in ſepulchro Matris, à ſe extructo.

Pag. 159. ad Carolum Boromæum adde.

Caroli Cardinalis Borromei literæ ad Fabritium Geſualdum datæ publici iuris ſunt opera Michaelis, Abbatis Iuſtiniani, qui illas typis Romanis euulgauit anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi vndeſeptuageſimo.

Pag. 160. Poſt Carolum Cerrum, addendus

Carolus Emanuel Pius à Sabaudia nobilis Ferrarienſis, Æneæ, ac Barbaræ Turchæ filius à Clemente VIII. Diaconis Cardinalibus iuuenis adhuc adſcriptus die 9. Iunij anno ſalutis 1604. quam purpuram vſque ad annum 1641. ætatis 63. induit; hoc enim

die

die prima Iulij Romæ è viuis abijt, ſacri Collegij Decanus. Cadauer ſolemni pompa elatum apud Patres Societatis Ieſu in Templo Farneſiano, locum habuit in pernobili ſepulchro, ſub hac Epigraphe.

Oſſa
CAROLI CARD. PII.
Sac. Coll. Decani.

Huius Cardinalis literas plures vidi ad diuerſos; illas ad Ioannem Baptiſtam Laurum Peruſinum, latino idiomate exaratas, legere quis poterit apud eumdem Laurum in Commentario de Annulo pronubo Deiparæ Virginis, qui Peruſiæ religioſiſſimè adſeruatur, Coloniæ Agrippinæ anno 1626. apud Ioannem Kinkium in lucem edito.

Meminere huius Cardinalis Ferdinandus Vghellius Tomo 1 Italiæ ſacræ, Auctarij Ciaconij, Aurelius Vrſus in Carminibus, Venantius Argenteus in Elogio, Theodorus Amydenius in Vita & alij plures.

Pag. 164. ad Carolum Roſſettum adde

Caroli Roſſetti Cardinalis, Fauentini Epiſcopi, literæ ad Michaelem Abbatem Iuſtinianum publici iuris ſunt in ſecunda parte literarum memorabilium eiuſdem Michaelis.

Pag. 178. poſt CoſmatumÆllioratum addendus

Cyriacus Roccius Romanus ex Nuncio Apoſtolico apud Cæſarem ab Vrbano VIII. Cardinalium Collegio adſcriptus eſt anno 1629. quem tamen non euulgauit niſi die 28. Nouembris anno 1633. illique Titulum S. Saluatoris in Lauro tradidit, quem retinuit vſque ad obitum, ſequutum Romæ die 25. menſis Sept. anno Chriſti 1651. ætatis ſuæ 69. ſeu 70. Iacet in Eccleſia S. Mariæ Montis ſerratis de Vrbe in familiæ Sacello, ſine ſepulchrali inſcriptione, ſolo nomine; & virtutibus clarus.

Huiuſce Cardinalis literas ad Auguſtinum Coltellinum, & alias in obitu Fr. Ioannis Muzarelli Minoris Conuentualis ſcriptas, legere quiſque poterit apud Michaelem Abbatem Iuſtinianum in Tertia parte Epiſtolarum memorabilium Romæ anno 1675. edita.

Meminere Cyriaci Cardinal. Roccij Auctarij Ciaconij, Theodorus Amydenus in Vita, Ranuccius Scotus in Heluetia, alijque quampluras, cum Ioanne Baptiſta Lauro in Centurijs Epiſtolar.

Pag. 208. ad Fabium Chiſium adde

Fabij Chiſij Nuncij Apoſtolici ad Imperij Electores literas Franciſco Capocio ex Comitibus Berardis ſcriptas, typis Romanis euulgauit anno 1675. in tertia parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium, Michael Abbas Iuſtinianus.

Pag. 222. poſt Flaminium Platum, addendus

Flauius Chiſius, Marij ex Berenice Aciaria filius, Alexandri VII. nepos, natus Senis in Etruria, à patruo die 9. Aprilis anno 1657. inter Presbyteros Cardinales ſub Titulo S. Mariæ ad Populum connumeratus Præfecturam iuſtitiæ, Archipresbyteratum Baſilicæ Lateranenſis miniſtrauit, cum munere Bibliothecarij Vaticani. Huius literas ad Magiſtratum Spoletanum datas publici iuris fecit Michael Abbas Iuſtinianus in tertia parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium, Romæ edita anno 1675. quo in Vrbe viuit, non vulgaris apud Patrui ſucceſſores gratiæ, & magnæ in ampliſſimo ordine auctoritatis.

De hoc plura apud Auctarios Ciaconij.

Pag. 229. ad Franciſcum Barberinum adde

Franciſci Cardinalis Barberini literas vernacula lingua Italica ad Laurentium Cardinalem Magalottum, Epiſcopum Ferrariæ, & ad Cæſarem Balduinium, Archiepiſcopi Rauennatenſis Vicarium datas, publici iuris fecit typis Romanis anno 1669. Michael Abbas Iuſtinianus in ſecunda parte literarum memorabilium.

Pag. 235. ad Franciſcum Mariam Brancaccium adde

Die Mercurij 9. Ianuarij, anno noſtræ ſalutis 1675. ætatis 83. Romæ è vita migrauit Franciſcus Maria Brancaccius, Epiſcopus Portuenſis, conditus poſt obitum in Templo Farneſiano apud Patres Societatis Ieſu.

Pag. 284 ad Cardinalem Bentiuolum adde

Guidonis Cardinalis Bentiuoli literas ad P. Fr. Ioannem Muzarellum, Minorem Conuentualem, Quæſitorem fidei Florentiæ, euulgauit in tertia parte Epiſtolarum memorabilium Michael Abbas Iuſtinianus, Romæ 1675.

Pag. 288. poſt Guidonem de Pore addendus

Guidobaldus de Thun, ſeu Tunno natione Germanus, ex Archiepiſcopo Salisburgenſi, legatoque nato, & Sacri Imperij Principe, ab Alexandro VII. Pontifice Maximo ſacra purpura donatus die 7. Martij anno Chriſti 1667. præfuit Imperatoris iuſſu Conuentui Ratisbonenſi, cum iam eiuſdem Vrbis Archiepiſcopatum obtinuiſſet. Titulum de more non habuit, quia diù non vixit in purpura; nam die prima Iunij anni ſequentis 1668. in æta-

in ætate conſtanti, lapſu ex equo exanimatus, tumulum obtinuit in Eccleſia principe Salisburgenſi

Tanti Cardinalis literas ſcriptas Raimundo Capiſucchio Ordinis S. Dominici, Sacri Palatij Magiſtro, euulgatas inuenies à Michaele Abbate Iuſtiniano in ſecunda parte literarum memorabilium Romæ edita anno ſalutis 1669.

Meminere Guidobaldi huiuſce Auctarij Ciaconij, Vincentius Armannus in Diſcurſu italica lingua de familia Capiſucchia Patritia Romana, publici iuris facto, anno noſtri ſeculi duodeſeptuageſimo.

Pag. 322. ad Hieronymum Columnam adde

Hieronymi Cardinalis Columnæ literas ad Carolum Mediceum, Sacri Collegij Cardinalem Decanum euulgauit in ſecunda parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium Michael Abbas Iuſtinianus, Romæ anno 1669.

Pag. 326. poſt Hieronymum Pamphilium addendus

Hieronymus Ruſticuccius natione Italus, patria Fanenſis à Pio V. felicis recordationis Pontifice 16. kalendas Iunij, anno à partu Virginis 1570. Presbyteris Cardinalibus adſcriptus eſt ſub Titulo S. Theodori primùm, deindè S. Suſannæ. Hunc Sixtus V. pro nauata fideliter opera ad reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem, & ornamentum, anno ſui Pontificatus tertio Vicarium ſuum in Vrbe generalem nominauit. Sub Clemente VIII. Presbyterorum primus factus Titulum S. Mariæ Tranſtyberim obtinuit; deindè Epiſcopus Albanenſis, Sabinenſis, & demum Portuenſis, renuntiatus, S. Suſannæ Titulum, permittente Pontifice numquam dimiſit, vt incœptum opus, reparationis videlicet eiuſdem Eccleſiæ, abſolueret.

Sepulchrum ſibi viuens in eadem Eccleſia extruxit cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

HIERONYMVS RVSTICVCCIVS
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presbyter Card.
Tituli huius Eccleſiæ
Vicarius Papæ

Monumentum ad SS. Martyres
Deuotionis cauſa
Viuens ſibi poſuit,
Anno ætatis ſuæ L I X.
Sal. hum. MDXCV.

Vixit poſt conſtructum tumulum annos octo; è viuis diſceſſit die 14. Iunij anno 1603. in palatio à ſe erecto propè Vaticanum.

Hieronymi Ruſticuccij literæ plures, ſcriptæ cum à ſecretis Pio V. adeſſet, in Vaticano adſeruantur. Illas ad Alexandrum Riarium Cameræ Auditorem, poſtea Cardinalem typis Romanis publicæ luci commiſit Michael Abbas Iuſtinianus in ſecunda parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium, edita in Vrbe anno 1669.

Meminere huiuſce Cardinalis Cabrera, alijque Ciaconij Auctarij, Petramellarius, Gabutius in vita Pij V. Hippolytus Marracius in Purpura Mariana, Horatius Turſellinus in hiſtoria Lauretana, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Io: Baptiſta Adriani in ſua hiſt. Auberyus in Vita, Vincentius Robardus in geſtis quinquennalibus Sixti V. Sebaſtianus de Sanguinis Carpentoractenſis in Oratione habita ad ipſum Sixtum Pontificem, tertij Venaiſſinæ prouinciæ ordinis nomine, alijque quamplures.

Pag. 334. ad Hippolytum Aldobrandinum adde.

Hippolyti Cardinalis Aldobrandini literæ vernacula lingua italica ad Cardinalem Bandinum Piceni legatum leguntur apud Abbatem Michaelem Iuſtinianum in tertia parte literarum memorabilium, edita Romæ anno 1675.

Pag. 337. poſt Horatium Iuſtinianum addendus

Horatius Lancellottus Romanus, Ioannis Pauli filius, Scipionis nepos, à Gregorio XIII. Pontifice Maximo Rotæ Romanæ Iudex renuntiatus, à Paulo V. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Saluatoris in Lauro aſcriptus 17. Auguſti, anno ſalutis humanæ 1611. Romæ ſub eodem Pontifice die 9. Decembris anno 1620. ætatis 49. è viuis abijt, & ſepultus in Laterano in Sacello ſuæ familiæ.

Tantus hic vir pro Poſteris reliquit Deciſiones plures, quas ſcripſerat in Romana Rota

Publici iuris ſunt eiuſdem literæ latina lingua ad Ioannem Baptiſtam Laurum datæ 15. Septembris ann. 1614. Vide plura apud Auctarios Ciaconij.

Pag. 426. poſt Ioannem Morronum addendus

Ioannes Nicolaus de Comitibus Romanus, Lotharij huius nominis ſecundi Ducis Poli, ex Iulia Vrſina filius, natus die prima Iunij, noſtri ſeculi anno decimo ſeptimo, poſt ſtudia feliciſſimè confecta Referendarijs vtriuſque Signaturæ adſcriptus, Ferrariæ, Æmiliæ, ac Bononiæ Armorum Curator præfuit. Aueniononenſi deindè legati vices gerens Prouincias illas aliquam dò adminiſtrauit. Præſes Marchiam Anconitanam, Vrbemque Prætor rexit omnium plauſu. Quibus in muneribus cum cumulatiſſimè Principi ſatisfeciſſet, Alexander huius nominis VII. inter S. R. E. Cardinales anno voluentis ſeculi ſexageſimo quarto illum cooptauit, non tamen euulgauit niſi die 15. Februarij anni ſexageſimi ſexti, quo Presbyteris cum Titulo S. Mariæ Transpontem adſcripſit, & Epiſcopum Anconitanum nominauit: in cuius regimine pro Clericorum vtilitate leges condidit, & ſtatuta deſcripſit, in Synodis habitis ad annum præſentem 1675. Vitam viuit, vtinam longam in ouium commodum.

Meminere huiuſce Cardinalis Auctarij Ciaconij, Iulianus Saracenus Anconitanus in Notitijs hiſtoricis Patriæ, & alij plures.

Pag. 395. ad Ioannem Bonam adde

Ioannis Bonæ, Abbatis Generalis S. Bernardi, literas, tum latina, tum vernacula lingua Italica ſcriptas ad Abbatem Michaelem Iuſtinianum, euulgatas inuenies typis Romanis, annis 1669. & 1675. in ſecunda, & tertia parte literarum memorabilium, ab ipſo Michaele collectarum.

Pag. 444 ad Iulium Mazzarinum adde

Iulij Cardinalis Mazzarini literas vulgari lingua italica ad Reginam Franciæ, ad Rempublicam Venetam, ad Iacobum Panzirolum poſtea Cardinalem, & ad Paulum Maccaranum, Patritium Romanum, euulgauit Michael Abbas Iuſtinianus in ſecunda, & tertia parte literarum memorabilium.

Pag. 446. ad Iulium Roſpilioſum adde

Iulij Roſpilioſi Archiepiſcopi Tarſenſis, à ſecretis ſtatus apud Alexandrum VII. Pontificem Max. literas vernacula lingua Italica, ad Laurentium Pollinum, Epiſcopum Auellini, euulgauit typis Romanis anno 1669. Michael Abbas Iuſtinianus, in ſecunda parte literarum memorabilium.

Pag.

Pag. 447. ad Iulium Sacchettum adde

Iulij Sacchetti literas italico idiomate publici iuris fecit in tertia parte ſuarum Epiſtolarum memorabilium Michael Abbas Iuſtinianus edita, Romæ anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi quinto ſupra ſeptuageſimum.

Pag. 462. poſt Leonardum de Ruuere addendus

Leopoldus Medices Florẽtiæ natus, initio vertentis ſeculi decimi ſept. Coſimi huius nominis ſecũdi Magni Etruriæ Ducis filius, Ferdinandi II. frater, Coſimi III. patruus ex Abbate anno 1667. die 12. Decembris Diaconis Cardinalibus à Clemente IX. adſcriptus, Diaconiam S. Mariæ in Coſmedin obtinuit, interfuitque poſt Clementis obitum Comitiis Vaticanis, & ſuffragatus eſt Clementi X. Hic virorum doſtrina præſtantium Patronus, literas amauit, ac fouit ſemper

Huius literas vernacula lingua italica ad Iacobum Roſpilioſum, & Flauium Chiſium Cardinales publici iuris factas à Michaele Abbate Iuſtiniano inuenies in tertia parte Epiſtolarum memorabilium typis Romanis euulgatas anno 1675.

E viuis abijt noſter Leopoldus Florentiæ die 10. Nouembris anno eodem 1675. ætatis 59. Cardinalatus 7. Iacet in ſepulchro Maiorum.

Huiuſce Cardinalis meminere Auctarij Ciaconij, Raimundus Capiſuccus in literis, præfixis ſuis electis Controuerſijs Theologicis ad mentem D. Thomæ Aquinatis reſolutis, nec non Hiſtorici ferè omnes qui res noſtri ſeculi tractant, alijque quamplures.

Pag. 473. poſt Ludouicum de Torres addendus

Ludouicus de Vandomo nobiliſſimus Gallus, ex antiqua, & pernobili familia Borbona, Henrici IV. Regis nepos, Cæſaris, Ducis Vandomi ex Franciſca Lotharingia filius, Franciſci Gallicarum Claſſium magni Thalaſſiarchæ, & in Cretica expeditione Ducis Pontificij Generalis germanus frater natu minor, antequam cœlibatui nomen daret, Mercurij Dux, & Prouinciæ Gubernator in matrimonium duxerat Victoriam Mancinam nobilem Romanam, Laurentij filiam, & neptem ex fratre Franciſci Mariæ Cardinalis eiuſdem agnominis; ex ſorore verò Iulij, ac Michaelis Mazarinorum Cardinalium, qua defuncta, inſtante Ludouico XIV. Galliarum Rege, Diaconis Cardinalibus ab Alexandro huius nominis VII. adſcriptus eſt die 7. Martij anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi, ſexageſimo ſeptimo. Mortalitatem expleuit die 6. Auguſti anno 69. eiuſdem ſeculi Lutetijs Pariſiorum.

Huius

Huius literas ad Marchionem Ioanettinum Iuſtinianum euulgatas inuenies typis Romanis anno 1675. apud Michaelem Abbatem Iuſtinianum in tertia parte Epiſtolarum memorabilium.

Meminere tanti viri Hiſtorici omnes noſtrorum temporum, Auctarij Ciaconij, & alij multi.

Pag. 484 poſt Marinum Grimanum, addendus

Marius Albericus, ſeu Albritius, Vetranæ Principis frater, patria Neapolitanus ex Archiepiſcopo Neocæſarienſi, & Nuncio Apoſtolico apud Leopoldum Cæſarem die 27. Maij, anni 1675. a Clemente X. Romano Pontifice renuntiatus Præsbyter Cardinalis, Allocutionem dixit ad Sfortiam Marchionem Pallauicinum, cum is emenſis Philoſophiæ ſtudijs in Collegio Romano Societatis Ieſu laurea donaretur; quæ Allocutio typis Romanis euulgata eſt anno eiuſdem ſeculi ſeptimo ſupra vigeſimum. Vitam viuit in Vrbe, vtinam longam, in Eccleſiæ Catholicæ felicitatem.

Pag. 508. ad Nicolaum Vbaldum adde.

In Templo Aræ Cœli in Vrbe eſt noſtri Nicolai talis memoria.

Robertæ Vbaldæ nobili matronæ Peruſinæ, & Nicolao, ac Matthæo filiis Iuriſconſultiſſ. Baldi ataui, Doctorum principis, fratrumq; eius gloriam penè conſecutis, Romæ virtutis merito patriciatum adeptis, doctrina, integritate, ac rerũ vſu à Paulo II. & Innocẽtio VIII. Pont. Max. & litibus Iud. inter Rot. 12. adlectis.

Quorum alter à Sixto IV. in ſummis rei Eccleſiaſticæ difficultatibus ad Ludouicum XI. Gallorum Regem Orator miſſus, tantum muneris pro voto egit.

Alter vxore primum ducta, inſigni prole auctus, indè religioni adſcitus, ab Alex. VI. Nuceriæ, mox à Iulio II. Peruſinæ Eccleſiæ præfectus, cum nec ambiſſet, neque quicquam cogitaret minus, plenus fama, & annis octogenarius, Matris, ac Germani oſſibus eſt illatus.

Io: Baptiſta Vbaldus tanta luce orbatus, ne qui domus, ac Patriæ decus, nomenque auxerant, hic ſine ſtemmate, ſine mortis honore iacerent, Auiæ, Patruo, ac Patri Benemerent. & ſibi P. MDLIX. Kal. Maij.

FINIS.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS
COGNOMINVM CARDIN.
Omnium qui recenſentur in hoc volumine.

Acciaiolus Angelus
Accolti ſeu Accoltij
Benedictus
Petrus
Acromont vide Grandmont
Ægidij Ioannes
Ærulus Berardus
De Agripholio Guillelmus
Aiglerius Bernardus
Alanus Guilelmus
Albanenſis Epiſcopus Nicolaus
Albanus Io: Hieronymus
Albergati Nicolaus ſenior
Nicolaus iunior
De Albertis ſeu Alberti
Nicolaus
Raimundus
Stephanus
Albornotius Ægidius
Albicius Franciſcus
Albricius, ſeu Albericius Marius.
Alby Bernardus, vel Bartrandus
Alciatus Franciſcus
Almandus, ſiue Alemannus
Ludouicus
Aldobrandinus Hippolytus
Ioannes
Petrus
Aleander Hieronymus
De Alliaco Petrus
Allucignolus Hubertus
Alterius Io: Baptiſta
Alun Robertus
Amanatus Iacobus
Ambaſia, ſeu de Amboſia
Bernardus
Georgius.
Amulius Marcus Antonius
Anagninus Hugolinus
Andegauenſis Goffridus
Angli Boſo
Chriſtophorus
Galfridus
Thomas.
Anicius Felix
Gregorius.
Antonianus Syluius
De Aquaſparta Matthæus
Aquiuiuus Octauius
Aragonius Ioannes
Arboreus Mercurius
Archidiaconi
Gerardus
Ioannes
Leo
Vigilius.
Archioninus Antonius
Archipresbyteri
Geraldus
Leo
Sergius II.
Arcimboldus Ioannes
Ardinghellus Nicolaus
Aretinus Paulus
Argentinus Franciſcus
Arigonius Pompeus
De Arreblaio Petrus
Aſculanus Hieronymus
Aſtallus Camillus
Aſtenſis Bruno
Atratus Hugo
De Attis, vel de Aptis
Franciſcus.
De Aubuſon Petrus
Auila Franciſcus
Auolos Gaſpar
De Aurelia Ioannes
Aureolus Petrus
Auria Hieronymus
Ioannes, ſeu Ioannettinus

Auſtriaci

Auſtriaci Albertus
Ferdinandus.
Azzolinus Decius.

Badia Thomas
Baduarius Bonauentura
Balneoregienſis Bonauentura
Belue Ioannes
De Bandellis Bandellus
Bandinellus Rolandus
Bandinus Octauius
Barbarus Hermolaus
Barberini Antonius
Franciſcus
Maphæus.
Barbus Marcus
Petrus.
Baronius Cæſar
De Barro Ludouicus
De Bartholomæis Henricus
Baſſus de Ruuere Hieronymus
Bauarus Ioannes
De Beaulieu Simon
Bellarius Ioannes
Bellarminus Robertus
Bembus Petrus
Do Bentiuengis Bentiuenga
Bentiuolus Guido
Benufort Henricus
Bernerius Hieronymus
Bertrandus Petrus
Berullius Petrus
Bibiena vide Tarlatus
De Bicchierijs ſeu Beccaria
Iacobus
Bichius Antonius
Biragus Renatus
Blanchetus Laurentius
Sigizzo
Blanchus vide Candidus
Blanchus Gerardus
Otho
Boba Marcus Antonius
Boccaſinus Nicolaus
Bohierius Antonius
Bolognettus Albertus
Bona Ioannes
Boncompagnus Hugo
Bonellus Michael
Bonoſi Benedictus
Paſchalis.

Bonſius Io: Baptiſta
Bonuccius Stephanus
Borbonius Ludouicus
Bordeilles, ſeu de Bourdeille
Elias
Borgia Alphonſus
Boromæus Carolus
Federicus
Gibertus.
De Burſano Simon
Boshan Herebertus
Bourcherius Thomas
Bozzutus Annibal
Bragoſe Guillelmus
Brancatius Franciſcus Maria
De Brandeburgo Albertus
De Bria Simon
Briſſonetta Guillelmus
Brittus Robertus
Bubalus de Cancellarijs Innocentius
De Bubonibus Hyacintus
Buccafocus Conſtaninus
Buccaporci Petrus
Bullenus Robertus
Burgheſius Camillus
Ex Burgundia
Gerardus
Humbertus.

Caballolle Philippus
Caccianemicus Gerardus
Cæſarini Alexander ſenior.
Alexander iunior.
Iulianus.
Cæſius Bartholomæus
Federicus
Paulus Æmilius
Petrus Donatus.
Caſarelli Proſper
Scipio
Caietani Antonius
Benedictus
Bonifacius
Franciſcus
Henricus
Iacobus
Ioannes
Theodorus
Calamentanus Raynaldus
Calandrinus Philippus
Campanus Maynardus

Campegius Alexander
Laurentius
De Campis Ægidius
Cananius Iulius
De Candia Petrus
Candidus Hugo
Otho
De Canillac Raynaldus
Canonici regulares
Albinus
Arduinus
Galto.
Capiſuccus Io: Antonius
De Capiteferro Hieronymus.
Capoccij Nicolaus
Raynerius.
Capponius Aloyſius
Capranica Angelus
Dominicus
Capuani ſiue à Capua
Petrus
Thomas.
Inicus.
Caracciolus Marinus
Caraffa Alphonſus
Antonius
Decius
Io: Petrus
Oliuerius
Petrus Aloyſius.
Carauagial Bernardinus
Ioannes.
Carenſis Hugo
Carpineus Gaſpar
Carretus Carolus Dominicus
Caſanoua Ioannes
De Caſate Gluſianus
Caſtaldus, vide Gaſtadus
Caſtanea Io: Baptiſta
Caſtellenſis Hadrianus
De Caſtello Guido
Caſtilionei Franciſcus Abundius
Ioannes.
De Caſtro Rodulphi Otho
Catadiocis Ioannes
Caſtellinus Ioannes
Cauallerius Iacobus
De Ceccha no Annibaldus
Cecchinus Dominicus
Celſus Angelus
Cerdanus Antonius
Cerrus Carolus
Ceruantes Ioannes
Ceruinus Marcellus
Ceſarini vide Cæſarini
Chempius Ioannes
Chi hæleius Henricus
Chiſius Fabius
Flauius
Sigiſmundus.
Cicada Io: Baptiſta
Ciocchi Antonius
Ciolettus, ſiue Coler Ioannes
Cleſſius Bernardus
De Cluniaco Federicus
Cobelutius Scipio
Coetquis, vel Coerquis Philippus
De Collemedio Petrus
Columna Ægidius
Aſcanius
Hieronymus
Ioannes
Ioannes
Ioannes
Marcus Antonius
Otho
Pompeius.
Ex Comitibus Marſorum Odoriſius
Ex Comitibus Signiæ Andreas
Gregorius
Lotharius
Rainaldus
Ex Comitibus Romanis Io: Nicolaus
Commendonus Io: Franciſcus
Condolmerius Gabriel
Contarenus Gaſpar
Corarij Angelus
Antonius
Cornelij Federicus
Franciſcus
Corneus, Fulnius, qui Statuta, & Conſtitutiones Synodales edidit anno 1564. pro Clericis Perufinis
Corradus Iacobus
Corſinus Petrus
Corteſius Gregorius
Coſſa Balthaſar
Coſtaguus Vincentius
De Cramado Simon
Craſſus Franciſcus
Cremonenſis Guido

De

De Creſcentio Gregorius
Marcellus
Cribellus Lambertus
Croia Guillelmus Iacobus
Da la Cueua Alphonſus
Bartholomæus
De Cupis Io: Dominicus
De Cura Bertrandus
Curſon Robertus
De Cuſa Nicolaus
Cybo Alderanus
Innocentius
Io: Baptiſta

Damiani Petrus
Datus Leonardus
Delphinus Ioannes
Detus Io: Baptiſta
Deucius Bertrandus
Deuſſa vide Oſſa
Diaconi Agapetus, ſiue Agapitus
Albinus
Almericus
Anatolius
Cœleſtinus
Conſtantinus Marinus
Felix
Gregorius
Hadrianus
Hermannus
Hilarus
Hormiſda
Innocentius
Ioannes
Ioannes
Ioannes
Ioannes
Iulius
Laborans
Liberius
Marcus
Nicolaus
Octauianus
Paſchaſius
Pelagius
Petrus
Sabinianus
Stephanus
Symachus
Theophylactus
Vrſus

A Dietrichſtain Franciſcus
Diuitius vide Tarlatus
Dolera Clemens
Dominici Ioannes
Donghius Io: Stephanus
Doria vide Auria

Eleutherius
Epiſcopi Adalbertus
Ægidius
Albertus
Ruſticus
Eſcobleau de Sourdis Franciſcus
Eſtenſis Hippolytus
Eſton Adam
Eſtouteuille, vide Totauillæus.

Facchinetti Antonius
Cæſar
Io: Antonius
Fagnanus Lambertus
Falguerius Arnaldus
Faltuetius Amaldus
Farinerius Guillelmus
Farneſij Alexander ſenior
Alexander iunior
Hieronymus
Felguerius vide Falguerius
Feltrius è Ruuere Iulius
A Ferraria Philippus
Ferrerij Bonifatius
Guido
Io: Stephanus
Petrus Franciſcus
Ferrici Petrus
Fidantius Bonauentura
Filaſterius ſiue Filaſtrius Guillelmus
Fiſcherius Ioannes
Flandrini Ioannes
Petrus
Fliſci Othobonus
Sinibaldus
Florentius Hadrianus
De Folietto Hugo
Fornerius Iacobus
Fortunatus Amalarius
Francauilla, ſeu Farinulla Nicolaus
Franciottus Marcus Antonius
Franciottus de Ruuere Galeottus
Francus Stephanus
Frangipanis Latinus

Franlonus Iacobus
Fredeole Berengarius
Fregoſij ſeu Fulgoſij
Federicus
Paulus
E Furno Vitalis
De Fuxo Petrus
Petrus.

Gabrielis Iulius
Gaddius Nicolaus
Galli Guido
Guillelmus
Henricus
Hugo
Ymarus
Yuo.
Gallius Ptolomæus
Gallus Antonius Maria
Gambara Io: Franciſcus
Gaſtaldus Hieronymus
E Geneua Robertus
Gerardus Robertus
Gherardus Cæſar
Germanus Benno
Conradus
Gezza Philippus
Ghinuccius Hieronymus
Ghislerius Michael.
Giancolettus Geruaſius
Gimnaſius Dominicus
Ginnettus Martius
De Giury Claudius
Goldiuus Guillelmus
Godeus Guillelmus
Gondi Io: Franciſcus Paulus
Gonzagæ Ferdinandus
Hercules
Scipio.
Grandmont Gabriel
De Grangia Ioannes
De Graſſis Achilles
Carbius
Gratianus Ioannes
Grimaldi Hieronymus
Io: Andreas
Grimani Dominicus
Marinus
Grimoaldus Angelicus
De la Gralaye Ioannes
Gropperus Ioannes
Groſſi Guido
Leonardus
Groy Guillelmus Iacobus
Gualla vide de Biccherijs
Guidiccionus Bartholomæus.
Guillelmi Petrus
Guiſij Carolus
Carolus
Guzman Didacus
Gypſius Berlengerius.

Halgrim Ioannes
Hanibaldenſis de Molaria
Hannibaldus
Ab Harrach Erneſtus Adalbertus
Hermard Carolus
Herbertus Robertus
Herueſeus Euerardus
Hilſiſtonius Robertus
Hiſpanus Iuuencus
Hoſius Staniſlaus.

Iacobatius Chriſtophorus
Dominicus
Ianidega Ioannes
Ilcij ex Comitibus Scipio
Iliprandus Hadrianus
Inſulanus Iacobus
Ioyce Thomas
Itali Guitmundus
Rainaldus
Iuliani Io: Petrus
Iuriſconſultus Thomas
Iuſtiniani Benedictus
Horatius
Vincentius
Iuuenis Ioannes.

Kempius vide Chempius
Kiluuarbius Robertus.

Lælius Theodotus
Lagerius Bertrandus
Lancellottus Horatius
Landrianus de Capitaneis
Gerardus
Langhtonus Stephanus
Langlei Thomas
Laureus Vincentius
Lenzolius Rodericus
Leſignijs, ſeu Liſiguijs Erardus

Liber

Liber vide Madrutius
Ligur Arator
Lomellini Benedictus
Io: Hieronymus
Longus, ſeu Longaſpata
Guillelmos
Lotharingij Franciſcus
Fridericus
Nicolaus
Ludouiſij Alexander
Ludouicus
Nicolaus.
De Logo Ioannes
De Luna Petrus
De Lunate Bernardinus
Luſitanus Henricus.

Macchiauellus Franciſcus Maria
Macziouuiſchius Bernardus
Madrutius Chiſtophorus
Maffeius Bernardinus
Magalottus Laurentius
De Mandagoto ſeu de Mandagoſo
Guillelmus.
Mantica Franciſcus
Mantuanus Anſelmus
Manzolius Lucas
De la Mara Honorius
Marlesfeldius Guillelmus
De March Erardus
Margotius Lanfrancus
Marquemont Dionyſius Simon
Marſicani Bonifacius
Ioannes
Leo
Leo
Lucas.
Martia Eutichianus
Martinus Bartholomæus
Maſsa Pandulphus
Mattheius Hieronymus
Maurocenus Petrus
Mazarinus Iulius
Maximus Camillus
Mediarota vide Scarampus
Medicei Hippolytus
Ioanues
Ioannes Angelus
Iulius
Leopoldus.
Melioratus Coſmas

De Mella Ioannes
Mendozij Eoeous
Franciſcus
Petrus Gundiſaluus
Mercurius Ioannes
Mezuacca Bartholomæus
Mignaoellus Fabius
Minius Ioannes
Minutulus Henricus
Minſquinus Cacciarolus Nicolaus
Moles Ioannes
Monachi Albericus
Anaſtaſius
Boſo
Dauferius
Dionyſius
Drogo
Gregorius
Guido
Guitmundus
Henricus
Hiltprandus
Hugo
Humbertus
Ioannes
Pandulphus
Richardus
Monaeus agnomine Ioannes
Monſtrius vide Rugerij
De Monte Io: Maria
A Monte Sanctæ Mariæ
Franciſcus Maria
De Monte flore Gentilis
De Montecellis Laurentius
Montius Cæſar
A Mora Albertus
Morlandinus Ioannes
Moronus Ioannes
Mortonis Ioannes
Musfoilis Raymundus

Nabunal Elias
Nauaggerius Bertrandus
Nerlius Franciſcus
Nidardus Io: Euerardus
Nobilis Robertus
Nouelli vide Fornerius

Oczko Ioannes
Oliua Alexander

Oregius Auguſtinus
Olla Iacobus
Oſſatus Arnaldus
Othobonus Petrus.

Paceeus Franciſcus
Paleottus Gabriel
Pallauicini Antonius
Io: Baptiſta
Sfortia.
Pallotta Io: Baptiſta
Palmerius Andreas Matthæus
Paloſius Stephanus
Pamphilij Camillus
Hieronymus
Io: Baptiſta.
Pantaleo Ancherus.
Panzirolus Io: Iacobus
Papareſcus, ſeu de Papa Gregorius
Parentucellus Thomas
Pariſius Petrus Paulus
Paſqua Simon
Paulutius Franciſcus
Pazmany Petrus
Perauld Raymundus
Perenottus Antonius
Perettus Felix
Perronius Iacobus Dauid
Petri Leonis Ægidius
Petronus Ricchardus
Philaſtrius, vide Filaſtrius
Philonardus Ennius
Piccolomineus Æneas Syuius
Pighinus Sebaſtianus
Pinellus Dominicus
Pius Carolus Emanuel
Rodulphus
Platus Flaminius
Poloni Io: Caſimirus
Matthæus
Poli Fauſtus
Reginaldus
Ponzettus, ſeu Pocettus vel Pucet
Ferdinandus
De Porè Guido
De Porta Ardicinus
De Porto, alijs de Poyet, ſeu de Podiet,
Bertrandus
A Prato Antonius
De Prato Petrus

Presbyteri
Adeodatus
Agapetus
Agapetus
Agatho
Albericus
Amicus
Anacletus
Anaſtaſius
Anaſtaſius
Anicetus
Antherus
Baſilius
Benedictus
Bonifacius
Bonifacius
Bonifacius
Bonifacius
Bruno
Caius
Calliſtus
Clemens
Cletus
Conſtantinus
Cornelius
Damaſus
Dauferius
Deuſdedit
Deuſdedit
Dionyſius
Donus
Eleutherius
Eleutherius
Euariſtus
Eugenius
Eugenius
Euſebius
Fabianus
Felix
Felix
Fidantius
Formoſus
Gelaſius
Gregorius
Gregorius
Guilielmus
Hyginus
Ioannes
Ioannes
Ioannes
Ioannes

Leo

Leo
Leo
Leo
Linus
Lucius
Marcellinus
Marcellus
Martinus
Matthæus
Melchiades
Nicolaus
Nouatianus
Nouatus
Paulus
Pelagius
Petrus
Pius
Pontianus
Sergius
Sergius
Seuerinus
Silueſter
Simplicius
Siricius
Sixtus
Sixtus
Sixtus
Sixtus
Soter
Stephanus
Teleſphorus
Theodorus
Victor
Vitalianus
Vrbanus
Zacharias
Zephyrinus
Zoſimus .
Priulus Laurentius
Puccet vide Ponzettus
Pucci A ntonius
Laurentius
Puteus ſeu à Puteo Iacobus.

De Queua vide de Cueua
Quigoonus Franciſcus
Quiroga Gaſpar

Raggius Laurentius
Octauianus
De Raguſio Ioannes

Rapacciolus Franciſcus Angelus
Raſponus Cæſar
Razalius Saraphinus Oliuarius
Raymundi Ioannes
Remolinus Franciſcus
Repindonus Philippus
De Richeliu Armandus Ioannes
Rigauult Odo
Robertus de Victorijs Carolus
Roccius Cyriacus
De Rocha Androinus
Rodulphus Nicolaus
Rogerij Petrus
Petrus
Roma Iulius
Romanus Arſenius
Petrus
Rondininius Paulus Æmilius
Roſelli Nicolaus
Roshan Herebertus
Roſpiliolus Iacobus
Iulius
Roſſettus Carolus
De Rubeis Leonardus
Rubeus Vrſinus Matthæus
De Ruffinis , vide de Gezza
Rugerius vide Rogerij
Rupeſucaldius Franciſcus Albertus
Rulticuccius Hieronymus
De Ruuere Dominicus
Franciſcus
Hieronymus
Iulianus
Leonardus .
Sabaudus Mauritius
Sabelli Benedictus
Cencius
Iacobus
Iacobus .
Sacchettus Iulius
Sacratus Franciſcus
Sadoletus Iacobus
Saluiatus Ioannes
Sanctacrucius Proſper
A Sancto Domaro Gerardus
De Sancto Gregorio Io: Antonius
De Sancto Heredio Elias
De Sancto Theodorico Hugo
Sanctorius Iulius Antonius
Sandoual Balthaſſar
Bernardus

De

De Sangro Odoriſius
Sanleuetini Federicus
Lucius
Theodinus.
Sareſtudius Paſtor
Saresburienſis Robertus
Saulius Antonius
Saxo Oliuerius
Scarampus Ludouicus
Scholaris Paulus
A Schombergh Nicolaus
Scotus Io: Bernardinus
Sega Philippus
Seguin Henricus
De Seguſio Henricus
Seripandus Hieronymus
Serranus Dominicus
Sfondrati Franciſcus
Nicolaus
Paulus Æmilius
Sfortia Guido Aſcanius
Signinus Bruno
Siliceus Io: Martinus
Siluius Michael
Simonetta Iacobus
Sirletus Guillemus
Soannenſis Hilteprandus
Socherus Hieronymus
Soderinus Franciſcus
Soliaco Simon
Somercotus Robertus
Sorbellonius Io: Antonius
Spada Bernardinus
Io: Baptiſta
Spinuli Auguſtinus
Io: Dominicus
Iulius.
Stampenſis Theobaldus
Statius Leonardus
Stedelli Berengarius
Stephaneſcus Caietanus Iacobus
Stridonienſis Hieronymus
Subdiaconus Siluerius
De Suburra Corradus
Sudie Guillelmus
Sueſſionis Oddo
Suly Simon.

De Taillefer Petrus
Tarantaſienſis Petrus
Tarlatus Bernardus
Galeottus
De Tauera Ioannes
Tauruſius Franciſcus Maria
Textoris Petrus
De Thalaru Amedeus
Ioannes
Theſalonicenſis Iſidorus
Thomaſius Vibianus
Thodeſchinus Piccolomineus
Franciſcus
Theresbius Ioannes
De Thun, ſeu de Tunno Guidobaldus
De Toleto Ferdinandus
Toletus Franciſcus
Tomacellus Petrus
De Torres Coſmus
Ludouicus
Tortuillæus Guillelmus
Trapezuntinus Beſſarion
Triuultij Antonius
Auguſtinus
Truchſeſius Otho
Tudiſcus Nicolaus
Turnonius, ſeu de Turnone Franciſcus
De Turre Bertrandus
Turrecremata Ioannes
Tuſcus Dominicus

Valerius Auguſtinus
De Vandemo Ludouicus
Vaſſalus Fortanerius
Vbaldinus Robertus
Vbaldus Benedictus
Nicolaus
Vbertus Bernardus
Vbrit, alijs Vringth Thomas
Le Veoui Ioannes
Veralius Hieronymus
Verdala Hugo
Veroſpius Fabritius
Hieronymus
A Vertenberg Franciſcus Guillelmus
De Veza ſeu de Via Arnaldus
Vicarianus Pelagius
Vicecomes Carolus
Vitalianus
De Vicedominis Vicedominus
Vigerius Marcus
De Villauezzoſa Ioannes
De Vindiſco Ioannes
De Vio Thomas

Vitelleſcus

Viteleſchus Bartholomæus
Vitellius Vitellotius
Viterbienſis Ægidius
Marcus
De Vitriaco Iacobus
Vrſini Alxander
Ioannes
Neapoleo
Vincentius Maria
Virgineus
Valdokus Robertus
Vuillelmi Philippus
Vuilconus Riuardus
Vuinkeerbrunus Gualterus
Vuright Thomas
Ximenius Franciſcus
Zabarella Franciſcus
Zacchiæ Laudiuius
Paulus Æmilius
Zapata Antonius.

Addenda huic Indici Cognominum.

E Burgo Sancti Sepulchri Stephanus
Eugubinus Ioannes
Fulginas Io: Dominicus
De Gentilibus Lucas
Peruſinus Stephanus
Pontanus Octauius
Rodulphuccius Lucas
Thebaldus Iacobus
Trincius Io: Dominicus
De Valentibus Erminius
Viteleſchus Ioannes.

Addenda ſuis locis.

Pag. 11. Ioanni XIII. Papæ, adde

Scripſit plurimas Epiſtolas, & Conſtitutiones non paucas condidit.

Pag. 204. poſt Erardum adde

Erminius de Valentibus, ſeu Valens, honeſto genere Trinij, nobili in Vmbria municipio, natus anno ſalutis humanæ 1564. die 24. Decembris, ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ à Clemente VIII. Presbyteris Cardinalibus cum Titulo S. Mariæ Transpontem in ſexta Cardinalium enuntiatione, die videlicet 9. Iunij anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi, quarto adſcriptus, à Paulo V. ſucceſſore ad Eccleſiam Fauentinam euectus, illam per tredecim annos ſanctiſſimè rexit; obijt in patria, quò recuperandæ valetudinis gratia ſe contulerat die 22. Auguſti anno ſalutis 1618. ætatis 54. cum erudita opuſcula, & Conſtitutiones Synodales, in Clericorum Fauentinorum, & reliquorum commodum, reliquiſſet: iacet apud Sanctam Mariam Gratiarum cum ſequenti Epigraphe.

OSSA ERMINII
Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Presb. Card.
Epiſcopi Fauentini.
Orate pro Anima eius.

Meminere huiuſce Cardinalis Ciaconij Auctarij, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Theodorus Amydenus in Vita, Horatius Auicenna in Memorijs Cinguli, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & alij plures.

Pag. 366. poſt Iacobum Simonettam, adde

Iacobus Thebaldus, alijs Theobaldus, Ciuis Romanus, oriundus oppido Collis Scipionis in Vmbria à Calliſto III. Romano Pontifice inter Presbyteros Cardinales, cum Titulo S. Anaſtaſiæ cooptatus, præfuit Epiſcopus Eccleſiæ Feretranæ, quare cognominatus Feretranus, & Archiepiſcopus Neapolitanæ.

Obijt Romæ die 3. ſeu 4. menſis Septembris anno 1466. iacet ſepultus in Æde S. Mariæ ſuper Mineruam Romæ ſub lapide, his verſibus notato.

Qui fuit Vrbis honos generoſa prole Thebaldus,
Frigida marmoreo Iacobus tenet oſſa ſepulchro,
Cæſareas norat leges, Montiſque Feretri
Præſulerat, nullique fide, & pietate ſecundus;
Pauperiem tollebat humo, clariſque fauebat
Ingenijs, iuſtique pater, moderator, & æqui
Cuius virtutem admirans, animumque pudicum
Cardineo Diuus decorauit honore Calliſtus.

Obijt Anno Chriſti MCDLVI. Die 4. Menſis Septembris, Hora decima ſexta.

Edidit noſter Iacobus vtiles Conſtitutiones pro Feretranis, Spoletanis, & Peruſinis, quorum Vrbibus præfuit, aut Epiſcopus, aut Præſes. Edidit etiam eruditas Epiſtolas, vt referunt Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Iacobus Ammanatus, vulgo Papienſis in Commentarijs, Æneas Siluius in Commentarijs, Durantes Dorius in hiſt. familiæ Trinciæ; meminere eiuſdem Ciaconius cum Auctarijs, Panuinius, Auberyus, Felix Contelorius in Elencho, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Auctor Nomenclatoris Cardinalium, & alij plures.

Pag. 405. poſt Ioannem Doriam, adde.

Ioannes Eugubinus, Presbyter Cardinalis S. Anaſtaſiæ ab Vrbano II. Romano Pontifice renuntiatus, qui exceſſit è vita ſub Paſchali II. cum legationis munere functus fuiſſet in Vmbria, ac ſcripſiſſet vitam S. Ioannis à laude, Epiſcopi Eugubini.

De hoc plura Ciaconius cum Auctarijs, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, Vincentius Armannus in hiſt. Eugubina, Defendens in Vita S. Ioannis Epiſcopi, Tabulæ Gualdenſes, & alij.

Ibidem poſt Ioannem Dominicum Spinolam, adde

Ioannes Dominicus Vmber, patria Fulginas, filius Oderiſij Comitis Trincij, literis præditus pro poſteris reliquit nonnulla erudita Opuſcula, in Bibliotheca Vaticana M. SS. aſſeruata. Ab Innocentio III. ſacra purpura ornatus claruit.

Meminere huius Ciaconius cum Auctarijs, Dorius in hiſtoria familiæ Trinciæ, Ludouicus Iacobillus in hiſtoria Fulginatenſi, & de Scriptoribus Vmbriæ, alijque plures.

Pag. 436. poſt Ioannem de Viridico, adde

Ioannes VitelleſchusCornetanus, origine Fulginas ab Eugenio IV. die 9. Auguſti anno Chriſti 1437. Pontificatus ſeptimo Preſbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina Florentiæ euulgatus, militari gloria clarus, vulneribus, ſeu ex alijs veneno confoſſus die 11. Aprilis anno 1440. e duplici huiuſce mortalitatis carcere Romæ euolauit; cuius oſſa Cornetum translata iacent in Cathedrali ſub hac Epigraphe.

Reuerendiſſimo Domino
IOANNI DE VITELLESCHIS
De Corneto
Patriarchæ Alexandrino
Card. Florentino
Bartholomæus Epiſcopus Cornetanus
Nepos
In Poſteritatis memoriam.

Quando ego pro patria, pro maieſtate repreſſi
Pontificis furias bellorum, hoſteſque ſubegi
Eccleſiæ, noſtris qui floruit aucta ſub armis
Reſtitui res effluxas, vrbeſque, decuſque
Inuidit ſors atra mihi, magis æmula virtus
Immeritam ſtatuens, non æquo munere mortem.

Pro Eccleſijs Recinetenſi, Maceratenſi, ac Florentina, quibus præfuit Conſtitutiones plures condidit, & Epiſtolas ſcripſit.

De hoc Cardinali cum laude tractant Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Ludouicus Iacobillus in Chronico Epiſc. Fulginat. & Scrip. Vmbriæ, Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, Hieronymus Garimbertus, Henricus Albi in Elogijs Cardinalium, Iulius Roſcius, Antonius Sanderus, Paulus de Angelis in deſcriptione Baſilicæ Liberianæ, Bartholomæus Fatius in ſua hiſtoria, & alij plures.

Pag.

Pag. 464. poſt Lotharium ex Comitibus Signiæ, Adde

Lucas de Gentilibus, à ijs Rodulphuccius, natione Italus patria Camers à Gregorio XI. Epiſcopatu primum Camerinenſi, mox Nucerino, & ab Vrbano VI. ſacra purpura donatus, cum titulo S. Sixti, legationem geſſit in Vmbria, ſcripſitque nonnulla opuſcula in Iure; è vita migrauit Peruſiæ circa annum ſalutis 1388. Corpus ſepulturę datum in Cathedrali Camertium, cum ſequenti Inſcriptione.

Hic iacet inſignis Lucas rutilante Galero
Tam celeber Iuris Doctor, quàm cultor, & omnis
Præcipuum exemplum virtutis, & regula morum.

De hoc plura Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vghellius in Ital. ſac. Camillus Lilius in hiſtoria Camerte, Bzouius, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ, & alij.

Pag. 513. poſt Octauium Bandinum, adde

Octauius Pontanus Cerretanus in Vmbria, Iuris conſultus, ac Theologus ſui ſeculi illuſtris à Pio II. ad ſedanda iurgia inter Ferdinandum Neapolitanum Regem, & Vrbinatem Comitem, ac Pandulphum de Malateſta, Arimini Regulum Apoſtolicus Nuncius miſſus, cum ad Pontificis mentem ſeſe geſſiſſet ab eodem ſacræ purpuræ deſtinatus, illam induere non valuit; nam in itinere Romam verſus morte oppreſſus, è vita abijt; cum ſcripſiſſet volumina Epiſtolarum duo, quæ M. SS. aſſeruantur apud plures, vt referunt.

Sigiſmundus Philogenius Paulutius, Baronius Vincentius in Cerretti hiſtoria, Ludouicus Iacobillus de Scriptoribus Vmbriæ. De hoc Cardinali nulla memoria in Tabulis Vaticanis.

Pag. 169. poſt Stephanum Bonuccium, adde.

Stephanus è Burgo Sancti Sepulchri natione Italus, decimusſeptimus Seruorum B. Virginis Mariæ Præfectus Generalis, cum eſſet Apoſtolicæ Sedis Nuncius apud Polonos, à Martino III. vulgò V. dicto, Presbyter Cardinalis, Titulo Sancti Marcelli renuntiatus, Cracouiæ in Polonia è vita ceſſit, cum edidiſſet Conſtitutiones Eccleſiaſticas plures, & Epiſtolarum Volumen.

De hoc Archangelus Gianius in Annalibus Seruorum, Auctarij Ciaconij, & alij.

Stephanus Diaconus Cardinalis Sancti Hadriani, quem Panuinius ab Innocentio III. alijs ab Honorio renuntiatum eſſe Cardinalem volunt, patria Peruſinus, ex legitimo matrimo-

nio in filium habit Philippum; qui diuino ſe famulatui de-uouens in ſacro Minorum Ordine, Alexandro IV. Romano Pontifici familiaris vixit: Stephanus poſt purpuram legatione Sedis Apoſtolicæ nomine functus eſt in Sicilia, in Vmbria, in Tuſcia, & in Piceno Obijt Neapoli 6. Idus Decembris ſalutis humanę anno 1254. cum edidiſſet plures ſacras Conſtitutiones, & Epiſtolas varias.

Meminere huius Ciaconius cum Auctarijs, Ferdinandus Vghellius in Italia ſacra, Florauantes Martinellus de Diaconia Sanctæ Mariæ in via lata, Lucas Vadingus in Annal. Minorum, Felix Ciattus in hiſtoria Peruſina, Philippus filius in Epiſtola ad Godislauum Generalem, Ludouicus Iacobillus de Script. Vmbriæ & alij.

CATALOGVS

CATALOGVS AVCTORVM

QVI

DE ROMANIS PONTIFICIBVS

Scripſerunt.

SAnctus Abbo, alijs Albo, Floriacenſis Abbas, Epitomen Vitarum Romanorum Pontificum à S. Petro ad Gregorium II. Moguntiæ 1604. in 4. opera Ioannis Buſæi Soc. Ieſu.

S. Ado Archiepiſcopus Viennenſis in Chronico de ſex ætatibus Mundi vſque ad annum Chriſti 879.

Ægidius Buſcheius Atrebas è Soc. Ieſu Catalogum.

Ægidius, Raphael, & Ioannes Sadeler fratres Antuerpienſes Calcographi, Symbola diuina, & humana Romanorum Pontificum.

Ægidius Viterbienſis S. R. E. Cardinalis in hiſtoria 20. ſeculorum, Pontificum Seriem.

Albertus Monachus Vitas Rom. Pontificum.

Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis Vitas Pontificum Romanorum aliquorum titulo ſanctitatis illuſtrium.

Alphonſus Ciaconius Hiſpanus Ordinis Prædicatorum Vitas à D. Petro ad Pium III.

Alphonſus Villegas Hiſpanus Vitas quorumdam Sanctorum.

Amalricus Augerius Auxitanus Vitas.

Anaſtaſius Bibliothecarius Vitas à Damaſo vſque ad Stephanum VI. & à S. Petro ad Nicolaum I.

Andreas Ducheſnius, alijs Quercetanus Gallus Vitas duobus Tomis patria lingua à D. Petro ad Paulum V.

Andreas Eudæmon Ioannes Græcus è Soc. Ieſu Vitas verſus heroico.

Andreas Sauſſayus Pariſinus Elogia plurimorum in Martyrol. Gallicano.

Andreas Victorellus Baſſanenſis Vitas aliquorum Pontificum poſt Clemētē VIII. ad Vrbanum pariter VIII. & obſeruationes ad Vitas Romanorum Pontificum deſcriptas à Ciaconio.

Idem Bonifacium VIII. ex bonæ notæ Scriptoribus defendit.

Anonymus Chronicon à D. Petro vſque ad Benedictum IV.

S. Antoninus Ciuis, & Archiepiſcopus Florentinus de Romanis Pontificibus à D. Petro ad ſua tempora in Chronico.

Antonius Cicarella, Platinæ continuator Vitas, à Pio V. ad Clemente VIII. incluſiuè.

Antonius à Fonte maiori Hiſpanus materno idiomate Hiſtoriam Romanorum Pontificum.

Antonius Gentius Belga Monachus Vitas Romanorum Pontificum ſanctitatis nota illuſtrium in ſua hiſtoria Sanctorum Tomis 8. diſtincta.

Arnaldus Pontacus Vaſatenſis Epiſcopus in Chronico.

Arnoldus

Arnoldus Vuion Belga Benedictinus de Romanis Pontificibus qui prodierunt ex ſuo Ordine, in ligno vitæ.

S. Auguſtinus Epiſcopus Hipponenſis Roman. Pontificum Catalogum.

Auguſtinus Oldoinus Societatis Ieſu Additiones ad Vitas Romanorum Pontificum à Ciaconio, & alijs deſcriptas. Romæ Tomis 4. Phillippi Roſſi impenſis 1676.

Idem Necrologium Romanorum Pontificum Romæ 1671. typis Ignatij de Lazaris

Auguſtinus Schiaffinus ligur, profeſſione Carmelita Italica lingua ſcripſit Vitas Romanorum Pontificum. Vixit noſtro ſeculo.

Auguſtinus Triuultius Mediolanenſis S. Rom. Eccl. Cardinalis Hiſtoriam Romanorum Pontificum à Diuo Petro ad Paulum II. deductam;

Baptiſta, alijs Bartholomæus Platina Cremonenſis Vitas Romanorum Pontificum a S. Petro vſque ad Sixtum IV, Coloniæ 1529.

Bartholomæus Dionyſius Vitas Romanorum Pontificum Italico idiomate.

Bartholomæus Oſſa Bergomenſis Hiſtoriam Romanorum Pontificum libris 16. diſtinctam.

Bartholomæus Tridentinus quorumdam Sanctorum Roman. Pontificum vitas.

Bernardinus Iobinus natione Germanus latinè & Germanicè Pontificum aliquorũ Icones, cum breui eorum vitæ deſcriptione. Argentorati in fol.

Bernardus è Caſtro Sancti Vincentij, Italus, Ordinis Prædicatorum Annales Summorum Pontificum à S. Petro ad Ioannem XII.

Bernardus Guidonius Aquitanus, Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Londouenſis Chronicon Romanorum Pontificum.

Bonifacius Simonetta Mediolanenſis hiſtoriam Romanorum Pontificum à Sancto Petro vſque ad Innocentium VIII. vel Iulium II.

Boninus Mombritius Mediolanenſis Sanctorum Pontificum Romanorum Vitas.

Cæſar Cardinalis Baronius Acta Romanorum Pontificum à Sancto Petro vſquè ad Cœleſtinum III. in Annal. Eccl.

Cæſar Becillus Presbyter Oratorij Romani, natione Italus Annotationes in Vitas Romanorum Pontificum à Ciaconio deſcriptas.

Camillus Pereginus Italus Vitas Summorum Pontificum à S. Petro ad Clementem VIII.

Chriſtianus Ierchtholdus Germanus Hiſtoriam Romanorum Pontificum, ſuo vulgari idiomate. Gorlicij 1580.

Chriſtophorus Beſoldus Germanus Romanorum Pontificum ſeriem, & Vitas Argentorati 1633.

Claudius Robertus Lingonenſis Romanorum Pontificum Catalogum à D. Petro vſque ad Vrbanum VIII.

Claudius Rota Gallus, Dominicanus quorumdam Sanctorum Romanorum Pontificum Vitas.

Conradus à Mure Germanus Romanorum Pontificum Catalogum.

Conſtantinus Caietanus Syracuſanus Congregationis Caſſinenſis, Ordinis Sancti Benedicti Abbas; acta SS. Gregorij Papæ, Petri Cœleſtini, & Bonifacij VIII. cum Apologia pro eiuſdem Bonifacij ingreſſu ad Pontificatum legitimo, prudenti regimine, & glorioſa morte; nec non Commentaria in Vitam Gelaſij II. Papæ, è familia Caietana à Pandulpho Piſano deſcriptam.

S. Cyrillus Græcus Vaticinia quindecim Romanorum Pontificum

Damaſus Papa, à D. Petro vſque ad annum Chriſti 359. incluſiuè
Dauid Camerarius vulgò Calmer natione Scotus Epitomen Romanorum Pontificum.
Dominicus Pannes Hiſpanus Dominicanus Romanorum Pontificum Catalogum.
Dominicus Tempeſta Romanus latinè, & Italicè Vitas Romanorum Pontificum à S. Petro ad Clementem VIII. Romæ 1597.

Egeſippus de Summis Pontificibus à Sancto Petro vſque ad Anicetum in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica.
Elzear Dorazzon Summ. Pontificum Catalogum ab Adamo vſque ad Paulum V.
Euagrius Epiphanienſis, cognomento Scholaſticus Romanorum Pontificum acta in hiſtoria Eccleſiaſtica.

Felix Contelorius Cæſius Iuris, & Sacræ Theologiæ Doctor, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, Cameræ Apoſtolicæ Commiſſarius, Baſilicæ S. Petri Cannonicus, Martini V. Vitam: de Alexandri III. occulto aduentu Venetias librum: & de Romanis Pontificibus in Elencho Cardinalium.
Ferdinandus Vghellius Abbas Ciſtercienſis, Florentinus, Romanorum Pontificum Catalogum Tomo 1. Italiæ ſacræ.
Idem Additiones ad Vitas Romanorum Pontificum ab Alphonſo Ciaconio deſcriptas.
Floranantes Martinellus nonnullas in Ciaconium obſeruationes.
Franciſcus Boſquettus Narbonenſis, Pontificum Romanorum è Gallia oriundorum hiſtoriam.
Idem Acta Romanorum Pontificum in hiſtoria Eccleſiaſtica.
Franciſcus Cabrera Morales Hiſpanus Vitas Romanorum Pontificum à Pio III. ad Clemente VIII.
Franciſcus Carriere Aptenſis Minorita Hiſtoriam Chronologicam Pontificum Romanorum in fol. & in 12. Lugduni 1663.
Franciſcus Cauazzonius Bononienſis Tabulas Pontificum Bononienſium.
Franciſcus Godeuuinus Anglus Epiſcopus Landauenſis de Romanis Pontificibus Anglis. Londini 1614.
Franciſcus Haræus Vltraiectinus Sanctorum Romanorum Pontificum Vitarum Compendium. Antuerpiæ 1591.
Franciſcus Ioannettus Italus Vitas Romanorum Pontificum. Bononiæ 1570 à D. Petro, ad Clementem VII.
Franciſcus Iouerius Delphinas Vitas Romanorum Pontificum à S. Petro vſque ad Nicolaum I.
Franciſcus Longus à Coriolano Ordinis Capuccinorum Romanorum Pontificum Catalogum.
Franciſcus Petrarca Florentinus Italicè de Romanis Pontificibus librum Venetijs 1507. & Florentiæ 1474. & 1625. à D. Petro ad Vrbanum VI.
Franciſcus Rogerius Italus Vrbani VIII. Marcelli II. & S. Gregorij Magni laudes.

Gabriel Pennottus Canonicus Regularis de Romanis Pontificibus ſui Ordinis.
Gaſpar Vrſinus Velius, aliàs Seleſius de Romanis Pontificibus vſque ad annum 1540. Francofurti.

Georgius Abbas cognomento Amortolus Græcus de Romanis Pontificibus in hiſtoria Eccleſiaſtica Græcè.
Georgius Lilius Romanorum Pontificum ſeriem. Venetijs 1548.
Georgius Vuicelius, alijs Vallius Germanus, Epitomen Romanorum Pontificum à S. Petro vſque ad Paulum III. Coloniæ 1549.
Geruaſius Ricobaldus Ferrarienſis Romanorum Pontificum vitas à S. Petro vſq; ad Bonifacium VIII.
Geruaſius Tilleberienſis Regni Arelatenſis Mareskallis Vitas à D. Petro ad Ioannem XXII. ex labbè in Bibl. M. SS.
Gilbertus Genebrardus Aruernus ex Monacho Benedictino *Archiepiſcopus* Aquenſis de Romanis Pontificibus in ſua Chronographia.
*Gonſaluus ſeu Gundiſaluus de Illeſcas Hiſpanus, Monachus, & Abbas Sancti Fromes Hiſtoriam Pontificiam patria lingua Tomis duobus, quibus Ludouicus Babia addidit tertiam, & quartam partem, & Marcus de Gualdalaxara aliam.
S. Gregorius Epiſcopus Turonenſis de Romanis Pontificibus in hiſtoria Francorum.
Gregorius Polydorus Piſtorienſis de quotuordecim Gregorijs Romanis Pontificibus. Florentiæ 1598.
Guillelmus Bibliothecarius continuauit Anaſtaſium vſque ad annum 1060.
Guillelmus Gatadegns Parmenſis Romanorum Pontificum Vitas a S. Petro vſq. ad Innocentium VI.
Guilielmus Gazætus, vel Gazæus Artefius Vitas Sanctorum Pontificum Romanorum aliquorum in Tomo 2. Vitarum Sanctorum.
Guillelmus Malmesburienſis Anglus, Monachus Cluniacenſis Chronicon Romanorum Pontificum libris 5. diſtinctum.
Guillelmus Rouillius Turonenſis Elogia quorumdam Romanorum Pontificum extant in Promptuario Iconum inſigniorum.

Henricus Ludouicus Caſtaneus Rupipozæus Gallus, Epiſcopus Pictauienſis Nomenclaturam Pontificū Romanorum, qui aliquid ab anno Chriſti milleſimo commentati ſunt. Toloſæ 1614.
Henricus Schorus Germanus Breuiarium Romanorum Pontificum.
Henricus Spondanus, Epiſcopus Apamienſis in Gallia de rebus geſtis Romanorum Pontificum a Sancto Petro vſque ad Vrbanum VIII. in Annalibus Eccleſiaſticis.
Hermannus Conſtractus Germanus Monachus Benedictinus de Romanis Pontificibus in Chronico.
Hermannus Schedelius Germanus, Romanorum Pontificum Catalogum in ſua hiſtoria.
Hermias Sozomenus Græcus de Romanis Pontificibus in Hiſtoria Eccleſiaſtica.
Hieronymus Bereoaldus Italus Ordinis Prædicatorum de Gregorio XIII. ad Paulum V. pro continuatione Panuinij. Venetijs 1612. Italicè.
Hieronymus Garimbertus Epiſcopus Galleſinus Vitas quorumdam Romanorum Pontificum ab Innocentio III. ad Clementem VII. Venetijs 1568. Italicè.
Hieronymus Megeſerus Germanus Icones, & Vitas Romanorum Pontificum, cum eorumdem Inſignibus Francofurti 1603. Germanicè.
Hilarion Coſteus, ſeu de Coſte Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Elogia quorumdam Romanorum Pontificum, videlicet à Leone X. ad Gregorium XV. in hiſtoria Catholica, Pariſijs 1625.

Hippolytus Maraccius Lucenſis Clericus Regularis Congregationis Matris Dei Pontifices Maximos Marianos, ideſt Mariæ Deiparæ cultores præcipuos. in 8. Romæ.

Honorius III. Pont. Max. Indicem Romanorum Pontificum à D. Petro, vſque ad ſuam ætatem.

Iacobus Auzolius Peyrius Aruernus Romanorum Pontificum Catalogum in Chronologia ſancta. Pariſijs 1632.

Iacobus Gaulterius Annonæus è Soc. Ieſu Romanorum Pontificum Catalogum à D. Petro vſque ad Vrbanum VIII. in Tabula Chronographica Lugduni.

Iacobus Gordonius Scotus Societatis Ieſu Romanorum Pontificum Catalogum in Opere Chronologico. Pictauis 1616.

Iacobus Manlius Romanorum Pontificum Vitas.

Iacobus Mensbona,ſeu Amanatus S. R. E. Cardinalis Romanorum Pontificum Vitas carmine deſcriptas.

Iacobus Riuius hiſtoriam Pontificum Romanorum contractam, & compendio perductam vſque ad annum 1632. Amſelodami 1632.

Iacobus Strada Romanorum Pontificum Epitomen. Venetijs 1567. eſt idem Panuinij, auctum tamen eorumdem inſignibus.

Iacobus Tipotius Germanus Symbola diuina, & humana Pontificum. Latinè Pragæ 1601.

Iacobus Viterbienſis, ſeu de Viterbio Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Archiepiſcopus Neapolitanus acta Romanorum Pontificum in libris 2. de regimine Chriſtianitatis M. SS. in Bibliotheca Vaticana.

Iacobus de Voragine ligur Archiepiſcopus Genuenſis quorumdam SS. Pontificum Vitas.

Iacobus Zenus Venetus Pontificum Romanorum Vitas.

Idacius Epiſcopus Lemicenſis de Romanis Pontificibus à Siricio, vſque ad Simplicium.

Ioachimus Abbas Florenſis, Ordinis S. Benedicti Vaticinia quindecim Romanorum Pontificum.

Io: Antonius Petramellarius Bononienſis Continuationem ad librum Onuphrij Panuinij de Summis Pontificibus & Cardinalibus nempe à Paulo IV. ad Clementem VIII. latinè Bononiæ 1600.

Io: Baptiſta de Caualerijs, alijs de Clauerijs Italus patria lingua Vitas in Compendium cum effigiebus. Romæ 1595.

Io: Baptiſta Lezana, natione Hiſpanus, profeſſione Carmelita Romanorum Pontificum catalogum à Diuo Petro in hiſtoria ſui Ordinis Romæ tribus Tomis in fol. edita.

Ioannes de Columna Romanus S. R. E. Cardinalis Vitas à S. Petro vſque ad Bonifacium VIII.

Io: Franciſcus Bordinus Romanus Congregationis Oratorij de Vrbe Presbyter, & Archiepiſcopus Auenionenſis, Romanorum Pontificum Vitas ex Annalibus Baronij. Pariſijs 1604.

Ioannes à Louanio Belga Ordinis Carthuſianorum Romanorum Pontificum Vitas.

Io: Nicolaus Paſchalis Alidoſius Bononienſis de Summis Pontificibus Bononienſibus.

Ioannes de Nigraualle Canonicus Regularis S. Auguſtini de Romanis Pontificibus Ordinis Canonicorum Regularium.

Ioannes Pagæus vulgò le Paige Gallus Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus Elogia Summorum Pontificum Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini, in Bibliotheca Præmonſtratenſi. Pariſijs 1633.

Io: Petrus Camuſius, vulgò Camus Pariſienſis, Bellicenſis Epiſcopus Acta Romanorum Pontificum à D. Petro vſque ad Vrbanum VIII. Gallicè. Pariſijs 1642.

Ioannes Rioche Brito Ordinis Minorum, Romanorum Pontificum Catalogum a Sancto Petro ad Gregorium XIII. in ſuo Compendio Temporum, & hiſtoriarum Pariſijs 1576.

Ioannes Riualdellus Taruiſinus Latinè Elogia aliquorum Romanorum Pontificum qui ſub eodem nomine, quinto loco vixerunt. Romæ 1581.

Ioannes Rufus, vulgo Redad, natione Anglus, patria Cornubienſis, Ordinis Prædicatorum alumnus, Pontificum Romanorum librum vnum.

Ioannes cognomento Siculus, natione Græcus de Romanis Pontificibus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica Græcè.

Ioannes Stella Venetus Sacerdos de Romanis Pontificibus à S. Petro vſque ad Iulium II. Baſileæ 1570.

Ioannes Valterus Gandauenſis de rebus geſtis Sumorum Pontificum, in Chronico Eccleſiaſtico Politico.

Ioſeph Maria Auenionenſis Pontificum qui Auenioni ſederunt res geſtas, ex varijs Diarijs, Regeſtis, & Manuſcriptis excerptas.

Ioſeph Silos Bituntinus Clericus Regularis Mauſolea Romanorum Pontificum, & Cæſarum; ſiue ad eorum ſepulchra qua ſoluta oratione, qua verſibus Inſcriptiones.

S. Irenæus origine, Aſianus, 2. Epiſcopus Lugdunenſis, & Martyr, Romanorum Pontificum Catalogum à S. Petro vſque ad S. Eleutherium.

Lambertus Scaffnaburgenſis Germanus Monachus Hilsfeldenſis de Romanis Pontificibus in hiſtoria Germanica, quæ incipit ab Orbe condito vſque ad annum 1077. & alius Monachus continuauit vſque ad annum 1472. prodijt Tubingæ 1533.

Landulphus Columna Romanus Romanorum Pontificum hiſtoriã à S. Petro ad Bonifacium VIII.

Laurentius Surius Carthuſianus, Romanorum aliquorum Sanctorum Pontificum Vitas, in hiſtoria Sanctorum.

Laurus Teſta, Italus patria lingua Vitas, ſeu Hiſtoriam Pontificiam. Venetijs 1618.

Leo Marſicanus Italus ex Monacho Caſſinenſi Epiſcopus Oſtienſis, de Romanis Pontificibus in Chronico Caſſinenſi, Venetijs 1513.

Lucas Holſtenius Amburgenſis Romanorum Pontificum Vitas Tomis 2. diſtinctas.

Lucas Vadingus Hibernus Ordinis Minorum Vitas Romanorum Pontificum à Clemente VIII. ad Vrbanum item VIII.

Ludouicus Bologninus Bononienſis Iuris Conſultus ſcriptis clarus ſeculo decimo quinto Hiſtoriam Summorum Pontificum.

Luitprandus Epitomen Vitarum Pontificum Romanorum.

Marcellinus Comes de Romanis Pontificibus in Chronico.

Marcus Antonius Scipio Romanorum Pontificum, Monachorum Caſſinenſium Elogia, inter Elogia Abbatum ſui Monaſterij Caſſinenſis. Neapoli 1690.

Marcus Guidalaiarra Hiſpanus Carmelita Hiſtoriam Pontificiam ſex partibus diſtinctam. Hiſpanicè Cæſar auguſtæ 1612.

Marianus Scotus Monachus Fuldenſis de Romanis Pontificibus à S.Petro vſque ad Gregorium VII. in Chronico, à Dodechino Abbate continuato vſque ad Innocentium III.

Martinus Polonus Ordinis Prædicatorum Chronicon Summorum Pontificum à D. Petro vſque ad Eugenium III.

Matthæus Bapalmenſis, Epiſcopus Bononienſis in Gallia, Romanorum Pontificum Vitas.

Matthias Alberti Florentinus, Monachus Oliuetanus Romanorum Pontific. Ordinationes. Venetijs 1571.

Michael Brechingerus, ſeu Buchingerus Germanus de Romanis Pontificibus à S. Petro vſque ad Paulum IV. in hiſtoria Eccleſiaſtica. Moguntiæ 1560.

Nicolaus Manerbius Venetus Ordinis Camaldulenſis Abbas Sanctorum quorumdã Romanorum Pontificum Vitas, in hiſtoria Sanctorum Venetijs 1525.

Nicolaus Montacutius, alijs Manacutius Romanos Pontifices libro vno

Nicolaus Roſſelius Tarraconanſis, vulgò Arragonius dictus, Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis Romanorum Pontificum Vitas extant M. SS. in Vaticana Bibliotheca.

Odericus Rinaldus Italus Vitas in Annal. Eccleſiaſticis ab anno 1300. vſque ad 1534.

Onithon Italus Epiſcopus Sutrinus Romanorum Pontificum Chronicon.

Onuphrius Panuinius Veronenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini de Romanis Pontificibus à S.Petro vſque ad Paulum IV. Epitomen, & Continuationem hiſtoriæ Romanorum Pontificum Platinæ à Leone X. vſque ad Paulum IV.
Idem 27. Pontificum Maximorum Elogia, & Icones. Romæ 1578.
Idem Chronicon Eccleſiaſticum Romanorum Pontificum. Coloniæ 1574.

Optatus Mileuitanus Epiſcopus ſucceſſionem Romanorum Pontificum libris 2.

Otho Friſigenſis Epiſcopus Ordinis Ciſtercienſis Romanorum Pontificum ſeriem in Chronico.

Pandulphus Maſca Piſanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Tit. SS. XII. Apoſtolorum, & Prior Presbyterorum, Vitas Romanorum Pontificum à S. Petro vſque ad Innocentium III. Venetijs annis 1547. & 1600. ſeu potius continuauit Guilielmum Bibliothecarium vſque ad annum 1130.

Papyrius Maſſonus, ſeu Maſſon Gallus de Epiſcopis Vrbis Romæ, ſeu de Vitis Romanorum Pontificum. Pariſijs; prohibitus tamen donec corrigatur in Indice Romano.

Paulus Bombinus Presbyter regularis Congregationis Somaſchæ Vitas Romanorum Pontificum à Gregorio XIII. ad Clementem VIII.

Paulus Morigia Mediolanenſis Ordinis Ieſuatorum Summarium Chronologicũ Vitarum Summorum Pontificum. Bergomi 1601. Italicè.

Petrus Auithius ſeu d'Auith Turnonenſis Romanorum Pontificum Catalogum in hiſtoria totius Mundi. Pariſijs.

Petrus Caniſius Belga Societatis Ieſu Romanorum Pontificum Catalogum à Sancto Petro vſque ad Paulum V.

Petrus Corſinus Ciuis, & Epiſcopus Florentinus, ac S. R. E. Presbyter Cardin. Vitas aliquorum Romanorum Pontificum.

Petrus Frizonius, vel Frizo, ſeu Frizon Gallus de Romanis Pontificibus natione Gallis, cum Gallia purpurata Pariſijs 1638. latinè.

Petrus Gallardus, ſeu Gaillard Romanorum Pontificum Chronicon à S. Petro vſque ad Vrbanum VIII. Gallico idiomate.

Petrus Galeſinus Mediolanenſis Protonotarius Apoſtolicus Theatrum Pontificale, in quo Tabulæ ſpectantur Romanorum Pontificum.

Idem Hiſtoriam ſummorum Pontificum à Platina conſcriptam, à ſe emendatam, notationibuſque diligenter auctam, atque illuſtratam.

Petrus Guilielmus, alijs Guillermus Sanctæ Rom. Eccl. Diaconus Cardinalis primò, deindè Presbyter Tituli Sancti Chryſogoni, & Bibliothecarius, Romanorum Pontificum Vitas à Nicolao I. vſque ad Paſchalem II.

Petrus Manlius de Romanis Pontificibus in hiſtoria ſacra.

Petrus Mattheius Gallus de Romanis Pontificibus qui vixerunt temporibus Henrici IV. Regis Galliarum; in hiſtoria Henrici IV.

Petrus de Natalibus Venetus, Epiſcopus Equilinus Sanctorum Romanorum Pontificum Vitas in Catalogo Sanctorum.

Petrus Opemerus Batauus Icones, & Elogia Summorum Pontificum.

Petrus Ribadineira Hiſpanus Soc. Ieſu Sanctorum Romanorum Pontificum Vitas Hiſpanicè in Flore Sanctorum.

Philippus labbè Bituricenſis Societatis Ieſu in Cœnotaphio euerſo Ioannæ Papiſſæ in 8. Pariſijs 1660. vna cum Diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

S. Proſper Aquitanicus, Epiſcopus Regienſis de Romanis Pontificibus in Chronicis.

Ptolomæus Lucenſis Italus Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Torcellanus de Romanis Pontificibus à Sancto Petro vſque ad Cœleſtinum V. in Chronico, vel ad Benedictum XII.

Raphael Volaterranus Tuſcus latinè Vitas aliquorum Romanorum Pontificum.

Raihodus Germanus, Epiſcopus Vltraiectinus Sanctorum Romanorum Pontificum hiſtoriam

Reginio Abbas Prunienſis de Romanis Pontificibus in Chronico.

Robertus Anglus cognomento Barns ob hæreſim lutheranam quam profitebatur ab Henrico Rege Anglico capite damnatus anno 1540. breui compendio Vitas Romanorum Pontificum à D. Petro ad Alexandrum III.

Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis in Controuerſijs, & in Parte altera Chronologiæ à D. Petro ad Paulum V.

Scipio Dupleix Gallus de rebus Geſtis Romanorum Pontificum in hiſtoria Gallica Tomis quinque.

Seuerinus Binius Germanus Romanorum Pontificum Vitas à S. Petro ad Paulum V. in Conciliorum Tomis.

Sicardus Cremonenſis Epiſcopus, natione Italus Romanorum Pontificum hiſtoriam.

Sigebertus Gallus, Monachus Gemblacenſis Ordinis S. Benedicti Romanorum Pontificum Vitas, quæ extabant M.SS. Piſauri in Bibliotheca Ducali.

Idem de Romanis Pontificibus in Chronologia.

Simon Metaphraſtes Græcus Vitas Sanctorum Romanorum Pontificum.

Symphorianus Champerius Lugdunenſis de ſummis Pontificibus Gallis.

Theodorus Amydenus Belga de Romanis Pontificibus qui ipſo viuente diem ſupremum obierunt M. S.

Theodorus,

Theodorus , alijs Theodoricus Niemus à S.Petro vſque ad Gregorium XI. Vitas

Theodorus Petreius Belga Monachus Carthuſianus Chronologiam ſummorum Pontificum .

Thomas Coſtus Neapolitanus Italicè Compendium Vitarum Summorum Pontificum à S. Petro vſque ad Clementem VIII. Venetijs 1592.

Thomas Treterus Poſnanienſis Romanorum Pontificum compendiaria geſta ;

Thomas Vualſingamus Anglus , Monachus S. Albani de Romanis Pontificibus, in hiſtoria .

Vincentius Bellouacenſis Burgundus Ordinis Prædicatorum de Romanis Pontificibus in Speculo hiſtoriali .

Vitellotius Vitellius Tiphernas , S. R. E. Cardinalis, & Camerarius Pontificum Romanorum Hiſtoriam .

Zacharias Lipeloo Germanus, Ordinis Carthuſianorum Sanctorum Romanorum Pontificum Vitas .

FINIS.

2234433

LEGAT

Digitized by Google